



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**EPISTOLAE TRES AD || D. IOANNEM PAPPVM ||
THEOLOGVM LVTHE-||RANVM:|| PRIMA, Excitatoria, cùm in
seruando iureiurando Emetingæ factò, ne-||gligentior
esset Pappus.|| SECVNDA, Refutatoria Parallelorum ...**


Pistorius, Johann

COLONIAE, 1594

VD16 P 3042

urn:nbn:de:hbz:466:1-43314





f. VII
20

EPISTOLAE TRES AD
D. IOANNEM PAPPVM
THEOLOGVM LVTHE-
RANVM:

PRIMA, Excitatoria, cùm in seruando iureiurando Emetingæ factò, negligentiòr esset Pappus.

SECUNDA, Refutatoria Parallelorum Pappi, & præsertim Præfationis, quam Parallelis præmisit.

TERTIA, quæ iam primùm in lucem refertur, & tanquam integer liber est, DEMONSTRATORIA, nullum omnium mortalium per Se-cula quindecim Catholicum vel orthodoxum, virum vel fœminam, senem vel iuuenem sensisse de fide Christi vt sensit Lutherus & credidisse vt ille credidit.

Collegij Societatis lesu Paderbornæ

ACCESSERVNT TANQVAM ANTIΔΩPON
PARALLELA NOVA, PARALLELIS PAPPI
MVLTO MELIORA, DE HVSSII ET LVTHERI
IN OMNIBVS CONTROVERSIIS DISSENSIONE:
quibus ostenditur ne quidem in vno articulo sentire Hussium cum
Luthero: nec magis ad Hussium & eius Ecclesiam,
quàm ad Arianos receptum habere
Lutheranos.

AVTHORE
REVERENDO, NOBILI ET CLARISSIMO VIRO,
D. IOANNE PISTORIO NIDANO, SS. THEOLO-
GIE DOCTORE, PROTONOTARIO APOSTOLICO, CA-
NONICO CONSTANTIENSI, SERENISS. AVSTRIÆ
ET BAVARIÆ PPP. CON-
SILIARIO.

COLONIAE,
Apud Geruinum Calenium, & hæredes Iohannis
Quentelij, ANNO M. D. XCI III.

Cum gratia & Privilegio Cæsareæ Maiestatis.

REVERENDISSIMO
ET ILLUSTRIS DOMINO,
D. IACOBO FUGGERO BARONI
IN KIRCHBERG ET WEISSENHORN,
ECCLESIAE CATHEDRALIS CONSTAN-
tensis Præposite Domino suo officio-
sissimè colendo, S. P.

IVRAVERAT Emetingę Pappus
Doctor Lutheranus, Reuerendissi-
me & Illustris Domine, in Iacobi
Principis optimi, Badensis Marchi-
onis & Theologorum qui vtrinque
ad disputandum delecti erant, con-
fessu publico: nisi in omnibus Lutheranum fuisse
Sanctum Augustinũ sine iniuria & vitio common-
straret, Catholicum se futurum cõtinuò & facturum
à Lutherana secta diuortium. In eo cùm hereret pau-
lò diutius & præstitutum tempus præterfluxisset, re-
uocauit in prima Epistola bonum virum ad memori-
am promissi: & commonuit vt tam sanctè iuratum
iusiurandũ temerè non relinqueret. Postquam igitur
egrè tandem se ex veterno suscitans, Parallela, fu-
nesta Pappo & exitiosa Lutheranis parallela non ad
præstandum iusiurandum, sed ad errorem atque fu-
cum obijciendum ciuibus in publicum retulisset:
astiti statim ad latus: & tum mendacia Præfationis in
fauces authoris reieci, tum infelicem miserrimo-
rum & lamentabilium Parallelorum partum nihil
* 2 attine-

attinere ad id, quo Emetingæ se Pappus obstrinxe-
 rat, ostendi in Epistola secunda: ideoque cum de S.
 Augustini & Lutheri consensione rem desperatam
 esse videret, cohortatus sum vt deflebens ad alteram
 iurisiurandi partē, confociaret se cum Ecclesia Chri-
 sti, ne fidem & animam & conscientiam & sectam
 in maximam proijceret perpetuamque despicio-
 nem: & vt boni honestique viri cognomentum re-
 tineret: simulque Epistolas duas sub totius mundi
 conspectum subieci (vt altiùs in animo infigeretur
 stimulus. Interim cum per inconsiderantiam Typo-
 graphi multa menda inter imprimendum intercur-
 rissent: & Pappus implicatus detestabili bello, præ-
 terfluere annum rursus integrum sineret: ego verò
 præsentirem Pappum, si quando comparaturus se
 ad responsum esset, in eo vno viribus omnibus la-
 boraturum, vt vel S. Augustinum in aciem retrude-
 tet, vel alium superiorum ætatum scriptorem pro se
 nominaret: præsertim cum ego in calce secundæ
 Epistolæ, nouum bellū fecissem Lutheranis, & sim-
 pliciter negassem, fuisse vllū vnquam hominem,
 maiorum vel minorum gentium, senem, iuuenem,
 infantem, virum, fœminam, orthodoxum, hæreti-
 cum, qui post Apostolos vsque ad nos totam Lu-
 theranæ inconstantia vōraginem & fidei mutabili-
 tatem simul credidisset: visum fuit Epistolas priores
 duas de nouo cōmittere prælo: & addere tertiam: in
 qua ad anteuertendum Pappum percurrerem gene-
 ratim seculorum omnium Doctores præcipuos sub
 quo-

DEDICATORIA.

quorum hætenus patrocínio in religionis similitudine latere voluerunt Lutherani: & remotione vniuersorum, verum esse paulò clariori lumine docerem quod obscuriùs proposueram in Epistola secunda. Inde igitur natus hic fuit labor tertius: quem fateri debeo quãquam pro summo studio meo contendendi vt intra epistolæ modum consisteret, & tantùm initia complecteretur futuræ maximæ pulcherrimæque concertationis, tamen amplitudine materiæ & numero scriptorum, & Lutheranorũ in quærendis diuerticulis immoderatione sic creuisse, vt propemodum ad iusti libri speciem & molem perueniret. Nec, vt spero, reprehendet quisquam qui ad fructũ respiciet, quem inde, cùm quæ hinc inchoata sunt, ad absolutam aliquando perfectionem & ad pleniorẽ aspectum expolientur, capiet non solum Pappus sed tota hæreticorum societas: cùm derelictæ ab omnibus sectæ deformem nuditatem & incredibilem nouitatem apertis oculis conspicati, execrabuntur ipsi turpitudinem & sine tricis inutilium disputationum recta via progredientur ad inquirendam & sequendam Ecclesiam Christi.

Multæ à Deo positæ & signatę in scriptura & tritæ vestigijs maiorũ & relictæ in exemplis S. Patrum sunt viæ quibus vti ad conuertendos hæreticos possumus: scriptura: miracula: concilia: sanctimonia veterum doctorum: perpetuitas Ecclesiæ & antiqua per omes ætates constantissimè progressa intelligentia scripturæ: sed inter istas sententia omnium

qui præstantiam consecuti in iudicando sunt, antecellit via quæ ex Ecclesiæ & fidei sempiterna æquabiliq̄ue conspiratione ducitur.

Scripturam Hæretici, animales homines, quales omnes esse necesse est, qui Spiritum sanctum in Ecclesia non participant, non intelligunt: eoq̄ue ad institutam de scriptura disputationē, vt præclarè Tertullianus consulit, tanquam cæci ad iudicium coloris vel affecti oculorum morbis ad aspectandum fulgorem solis adhiberi ad fruendam alienam possessionem non debent; cū in scripturis contra hæreticos, vt ille inquit, aut nulla aut incerta aut parum certa victoria consistat: non vitio scripturæ, sed libidine & abusione hæreticorum, qui furiosè negant: augent: despoliant: peruertunt: rumpunt: quicquid obsistere audaciæ eorum videtur.

Miracula quibus Christus testificari veritatem & illuminare fidem per Apostolos & Martyres voluit, Lutherani tanquam si quisquiliæ vel ludi Dæmonum essent, criminose despiciunt: nec vel dignitatem Conciliorum vel sanctitatem veterū Doctorum & Martyrum integram esse patiuntur: Concilij & Patribus omnibus tanquam hominibus anteponunt vnum Lutherum, nō hominem sed porcū & aprum depastorem vineæ Dei. Restat igitur extrema via: ducta quidem ex scriptura: & cum hac consentiens: tamen tantò securior quō & magis in externos sensus incurrit, & in tot sanctorum pedum ante nos factis impressionibus & defixis atque constitu-

DEDICATORIA.

stituti errare neminem finit: quam Theodosius senior incredibili prudētia summaque religione Cæsar post frustra tentatas vias alias (*apud Socratem lib. 5. capite 10. & Sozomenum lib. 7. capite 12.*) aptissimam ad reprimendos hēreticos esse, tum institutione Sisinij, tum euētus felicitate sensit: vt nimirum non laqueis disputationum, in quibus ad elabendum apertas habēt rimas quamplurimas, & ex importuna tractatione scripturæ & occultatione veneni cū accedit garrulitas, multò facilius in animos simpliciorum influunt, sed nudè & tantum antiquis sententijs antegressæ Ecclesię & sanctorum Patrum astringantur: quod tum Cæsar, cū fecit, quos prius appositis acutissimis disputatoribus superare non potuit, fregit deinde & disiecit sola superioris Ecclesię & luminum qui in ea fuerunt autoritate: vt, cū traditam à S. Patribus, quorum conuellere magnis radijs Spiritus sancti lucentem honestatem non audebant, & perpetuatā in Ecclesia Christi doctrinam vel timidè susciperent vel apertè repudiarent eo ipso clarissimè liqueret esse hēreticos & hostes Christi & aduersarios Ecclesię & procreatores nouarum fatuitatum. Nec aliena est à sacris literis istiusmodi progressio: iaceret tota scriptura, nec Deus esset Christus nec scriptura veritas: si ante nos interiecta longinquissima temporum intercapedine Christus non fuisset cum Ecclesia: non misisset Spiritum sanctum, qui veritatem omnem traderet: non dedisset Pastores, qui sanctos consummarent,

& sub-

& subirent ministerium, & prædicarent Euangelium: nõ reliquisset discipulos, qui palàm contra minas omnes & ferocias mundi confiterentur religionem & laudarent Dominum religionis authorem. Tantò igitur, vt dixi, vltima via tutior est: quòd & nititur scriptura, & ex illa fluit & positis exẽplis multitudinẽque testium, & relictis signis, nostro respectu facta est testatior & minùs implicata inuolucris erroris, & planior.

Quę etiam me causa permouit, vt ad aperiendos hæreticorum oculos, & ad ostendendam perspicuam falsitatem, in viam me directiorem & luminosiorẽ contra Pappum darem: & non quidem iam totum negocium momentis & partibus omnibus plenissimè conficerẽ: fiet enim postea cùm in conflictũ veniemus: tamen sic delinearem, vt quisque, si vellet, ex seminibus, quæ hîc iacta sunt, speciem absolutam exprimere, & ex omniũ Patrum & Scriptorum libris scire posset, cùm nullius Ecclesię testimonio, quæ per annos mille quingentos, vel notata oculis, vel animaduersa auribus, vel inscripta in libris, memoriã, recordationemque nominis sui reliquerit, & cum nullius hominis sententia, & ne quidem cum Hussio cohærere sectam totam Lutheranam: eoque non posse veram esse, & Christi doctrinam. Nec expectare volui, dum respõderet Pappus: quia quid propositurus esset, liquidò constabat, priusquam in manus calamum sumeret. Nec in hac tantum Epistola applicatam meam ad probandam erroris

roris

DEDICATORIA.

roris Lutherani nouitatem, apparere finam occupationem: ne tantum in Scriptoribus, quos nominavi, ostendam diffimilitudinem: faciam in libris omnibus, & de authoribus omnibus temporum & locorum omnium, quoscuque nobis obijcient: & semper concludam, NULLVM PER QVINDECIM AETATES Catholicum, hereticum, infantem, puerum, iuuenem, senem, virum, foeminam, Eunuchum, Hermaphroditum, nullam urbem, villam, domum, casam, solitudinem sensisse & credidisse totum illud, quod per infinitas mutabilitates sensit & credidit, vel potius variauit, & dubitauit Lutherus.

Sub amplissimo verò nomine tuo, Reuerendissime & Illustris Domine, cum Epistolam, tum apposita ad Epistolam Parallela de perpetuo articulorum omnium inter Hussium & Lutherum diffensione, in apertum proferre volui: non solum ut quantum pro singularis clementiae summæque propensionis significationibus & fructibus quam plurimis & tibi & illustribus generosisque viris, Domino parenti & fratri, Domino Christophoro, dominis obseruandissimis meis deberem, publico testimonio declararem, & aliquam pro tenuitate mea referrem gratiam: sed etiam ut Theologicum & tempestatibus atque procellis hereticorum propositum & inter perpetuas peregrinationes & occupationes penè non scriptum sed effusum librum tibi Sacerdoti maximo & affluentia externa potètia defendendum

**

trade-

EPISTOLA DEDICATORIA.

traderem: & in eo consuetudinem imitarer, in fitu-
 tumque nostrorum hominum, qui libros tum rectè se-
 ptos præsidio, & munitos auctoritate putat, cum in
 Fuggerorum sunt patrociniū tanquā in celeberrimū
 tutissimūque portū recepti. Nihil enim am-
 pliūs vel de illustri tota familia vestra, cuius splendor
 nō inclusus in vna prouincia, sed per Germaniam,
 Italiam & Hispaniā peruagatus, vniuersum terrarum
 orbem lumine suo cōpleuit, vel de præstantia, libe-
 ralitate, intelligentia literarū & linguarum, exquisi-
 to iudicio, & virtutibus reliquis tuis, quæ ipsæ sine
 externa laude se gloriose sustinent, hoc loco dicam:
 ne adulari videar. Tantūm rogabo, vt audaciam me-
 am in dedicando libro interpreteris in partem opti-
 mam, & gratia me librūque meum complectendum
 putes. Deus vicissim & gentem amplissimā tuam
 & te circumfluentes honoribus & dignitatibus, &
 optabilibus rebus omnibus, tum hīc ad Religionis
 Catholicæ & patriæ cōmunis incolumitatem con-
 seruet, & augeat: tum aliquando post longissimam
 felicitis vitæ vsuram mortuos in cælestem sanctimo-
 niam ad fruendam æternam beatitudinem recipiat.
 Ex Constantia Calendis Martij Anno xciiii.

*R^{d^m} & illustrem D^{em}
 tuam*

officiosissimè colens

*Ioannes Pistorius Nidannus
 S. S. Theol. D.*

REVERENDO, NOBILI, ET CLARISSIMO VIRO, DOMINO ANDREAE VVENDLSTEIN I. V. DOCTORI, CONSTANTIENSIS & BASILIENSIS CATHEDRALIUM ECCLESIAARUM Canonico, suo in Vicariatu antecessori, & singulariter colendo Domino & amico.



VM Epistolas duas meas contra Pappum Argentinensem Lutheranum Theologum effusas magis quam scriptas, Reuerēde & clarissime Vir, referre in publicum amici iuberent: quanquam praeuidebam futurum, ut tanquam non satis elaboratae, in reprehensionem hominum incurrerent: tamen morem gerendum esse putavi: praesertim quod sperarem, quia epistola essent, in quibus accuratio sermonis & artificium disserendi non vehementer attenditur, tantò mihi libentiùs esse tantoq; prolixius daturus omnes veniam. Itaque sine maiori cōsideratione ad Typographum misi: Tamen nolui, ut sine tuo nomine in lucem venirent: tum quia negotiorū peregrinationū-

** 2

que

EPISTOLA DEDICATORIA.

que mearum frequentiam subiectam oculis habes: & testari potes, ad plus studij in scriptione ponendum, & ad ista semel relegenda, que scripsi, nullum prorsus mihi vacuum relictum fuisse tempus: tum quia saepe iam optavi ut amoris nostri publicum signum ante oculos hominum appareret: & omnes quantum te merito tuo & propter doctrinam virtutisque praestantiam amarem, tanquam inscriptum in aperta tabula perspicerent: quod ex ista hac nuncupatione existimabam me consecuturum. Accipe igitur, Vir Reuerende & Praestantissime, testimonium animi mei: & permitte ut, quanta inter nos intercesserit beneuolentia coniunctio, posteri ex isto libro legant. Vale, Domine & amice obseruande: meque, quod facis, ama, amantissimum tui. Ex Museo Constantiensi meo. Nonis Februarij, Anno M. D. XCII.

Reuerentiae tuae

Obseruantissimus & Amantissimus

Ioannes Pistorius
Nidanus, &c.

EPI-

1

EPISTOLA PRIOR, SCRIPTA A REVERENDO, NOBILI, ET CLARISSIMO VIRO, D. IOANNE PISTORIO Nidano SS. Theologiæ Doctore, Vicario per Episcopatum Constantiensem generali.

Ad excitandum ex silentio D. Ioannem Pappum, Concionatorem Argentinensem, cum editionem promissi libri de S. Augustini & Lutheri in controuersis omnibus capitibus fidei consensione nimis diu procrastinaret.

S. A. D. IESV CHRISTO, VNICO totius mundi Salvatore.

VIR Clarissime, Domine colende: Quid Emeringæ, cum inter te & Zehenderum à sanctissimo Principe Iacobo instituta esset disputatio, de S. Augustini religione doctrinaque promiseris: credo te recenti tenere memoria: nec oblitum esse quid postea mihi confirmaris. Itaque quia tempus præterfluxit: visum fuit amanter te monere, ut fidem liberares: & vel ostēderes quod te clarissimè probaturum recepisti, cum omnibus Augustanæ Confessionis articulis consensisse sanctum virum: vel quia nunquam id potes, discessionem à turpi Lutheranismō faceres, teque cum Catholica coniungeres Christi Ecclesia. Sed, mi D. Pappē, ne existima, si sparsa per S. Augustinum verba colliges: si ea quæ in speciem blandiri opinioni tuæ vidētur, tanquam ex medio orationis cursu excerpes: si in sensum tuum periodum vnā contorquebis: satis factū esse voto tuo.

A

illa

Illa enim omnia negasti, te facturum: promisisti vt cor-
 di religio tibi & cælestis salus est, sic tantum te liberatu-
 rum, vt constantem S. Augustini sententiam, quæ in po-
 sterioribus libris sine vlllo dubio explicetur, quæ secum
 perpetuò constet, & quam fuisse S. Augustini, planissi-
 mum sit, non ex vna periodo, sed ex totius libri perpe-
 tua narratione cõcludas. Id nisi facies: si minimam frau-
 dem intercedere sines: si ab isto instituto discedes: doce-
 bimus publicè, iniuriam fieri S. Patri, & contra pactam
 promissamque fidem à te grauissimè peccari: nec tamen
 elabi sinemus: teneberis istis vinculis constrictus quibus
 ipse te induisti. Perpende igitur, mi Domine Pape: con-
 sidera, quid feceris: da gloriam Deo: gratias magis age
 quòd isto medio Deus te repugnantem ad aspiciendam
 veritatis Christianæ lucem adduxerit: quia nihil in S. Au-
 gustino, nihil in cæteris omnibus doctoribus leges, con-
 sentaneum doctrinæ tuæ, discede ab errore: redi in gra-
 tiam cum Christo, & cum huius sponsa Ecclesia: consule
 simul tum honori externo tuo, tum animæ saluti, quam
 te spectare nõdum dubito. Nisi feceris: quia quod susce-
 pisti, probabis nunquam: facilè quid futurum sit, perspi-
 cies. Extrahemus te in lucem: præstigias & inuolucra
 quibus sub persona sancti viri pugnabis, dissipabimus: &
 sic omnia sub hominum oculos subiiciemus, vt quis sis,
 & quomodo ipse te dedecoraueris, aspecturi sint omnes.
 Id igitur vt effugias: in te positum est: si errorem fatebe-
 ris, & quòd te S. Augustinus tanquam manu duxerit, acce-
 des ad Christi Ecclesiam, explicatam in S. Augustini de
 vnitæte Ecclesiæ libro: qui vnus Augustinæ Confessioni
 iugulum incidit: & Lutheranismum totum euertit fun-
 ditus. Hæc igitur amanter rogare & monere volui: reli-
 qua in arbitrio tuo pono: & responsum exspecto: vti-
 nam optabile nobis, & commodum animæ tuæ. Deus te
 & omnes errantes in Christo Iesu illuminet: quod iam
 factum esset, vt spero, nisi ipsi tenebras vobis ad inobscu-
 randam

randam Dei lucem obijceretis: cuius tanquam extremae desperationis exemplum si legeres Tubingensis futoriae Scholę ad Analyfin meam responsum: non dubito quin pro doctrina tua, cum puerilium deformium nugarum voraginem aspicias: ipse sis & turpitudinem causę & ruditatem hominum detestaturus. An enim vir doctus, cum in istas fatuitates incidit, & cum miseriam videt magistrorum, teneri in errore posset? Plura non possum: Vale, vir doctissime, & in toto isto negotio ad solum Deum, ad ea quę sempiterna sunt, ad iudicem Christum respice: cogita, mudi honores quàm vani & quàm breues: cęlestia quę exspectamus, quàm perfecta sint & quàm diuturna. Celeriter pridie Id. Octobr. Anno 1590. ex Brisgoiæ Friburgo.

Salutis tuę Amantissimus

Ioannes Pistorius.

VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO,
D. IOANNI PAPPO, LUTHERANÆ THE-
OLOGIAE DOCTORI, ET APVD ARGEN-
TINENSES PROFESSORI ET INTERPRETI,
DOMINO ET AMICO SVO.

A 2 AD

AD LECTOREM.

IN eandem sententiam, sed paucissimis verbis, ad calicem epistolæ D. D. Pistorij, subscripserunt Reuerendi, Clarissimi & Doctissimi viri, D. D. Georgius Hælinus, cum quo Pappus in manum conuenerat: & M. Ioannes Zehenderus, disputator in colloquio oppositus Pappo: & petebat vterque propria manu, vt tandem euigilans Pappus, vel promissionem sustineret, vel desertor factus Lutheranismi, profiteretur religionem nostram Catholicam: vt se facturum sanctissimè iurauerat Emetingæ. Tamen sic admonitus Pappus: primùm in Martio sequentis anni Parallela, miserrima Parallela & digna nomine suo Parallela in apertum retulit: ad quæ & D. D. Hælinus particulatim, proprio libro, & D. D. Pistorius sequente Epistola, responderunt. Lege lector, & iudica: & vide, quàm putidè noua & vana sit nouorum Euangelicorum religio: vt in mille quingentis annis nullum in omni genere mortalium & per orbem terrarum, quousque solis lumine collustratur, nominare constantem approbatorem, Sectæ suæ possint. Vale.



EPISTO.

5

EPISTOLA POSTERIOR
EIVSDEM D. PISTORII AD
EUNDEM D. PAPPVM.

*SCRIPTA post publicationem Parallelorum:
ad magis ostendendam Pappi in præstando
promisso inanitatē, & ad apertissimè ante
mundi conspectum proponendas istius homi-
nis & libri nugas.*



V M Parallela tua, miserrima parallela, parum oculis percurrissē, Pappē: dicam ingenuè quod accidit: miseratus vehementer vicem sum conditionemque tuam: & optavi vt promissi sancti tui memor, quod post cœnam Emetingæ in magna hominum frequentia mecum pactus eras, & ad cuius te postea memoriam in prioribus literis reuocaui: vel ad scribendum, animum appulisses nunquam, vel certè id quod in pactionē venerat, præstari nec à te nec à quocquam Lutherano posse, elocutus liberè & professus simul fidem nostram Catholicam fuisse. Sic enim & magna te molestia liberasses, & tuam non tam turpiter sordidasses existimationem.

Meministi, quemadmodum tum statim prædicerem, quod omnibus scriptoribus vsauenit, idem contigisse sancto Augustino: vt diuersis locis, quia rem eandem non eadem attentione tractauit, nec priorem semper explicationem adhibuit: quod illum facere breuitas sermonis & occupationum multitudo, & rei ista ætate in omnium animis contestata perspicuitas sæpe non sinebat: iam minutis & in eius lectione non exercitatis viris pugnare & dissidere secū videatur: præsertim cū interspersæ hinc inde in varijs libris sententiæ, vel à contextu

orationis abiunguntur, vel non satis omnibus momentis considerantur.

Itaque continuò promisi, planum me facturum, nullam vnquam sancto Viro excidisse contrariam vocem quam non ipse ante mortem correxerit: & causam, cur non omnia primo aspectu congruere, vel sancti viri de religione sententię in dissimilitudine & varietate positę esse existimantur, consistere totam in hebetudine & malitia eorum qui sanctum virum legunt: eoque monui, si vir honestus & literatus haberi velles, vt non in paucis verbis, nec in sono externo, nec in vno semper loco hæreres: perpenderes magis quid in continuata & à principio libri vel capitis ad finem profusa oratione, & quid in omnibus libris primis, medijs, postremis significasset; aut quò animum retulisset suum vir sanctus. Si quid obscurum vel difficultate implicatum occurreret, iussi vt ex cæteris sancti viri libris, vbi sententiam suam maiori perspicuitate illuminasset, tanquam ex fontibus haurires intelligentiam: & nunquam in istam te fatuitatem dares, vt contrariam vnā in sancto Augustino esse sententiam, quam ipse non explicauerit, crederes: nec vllum vnquam ex sancto Augustino in libro tuo apponeres testimonium, quòd non accuratè in omnibus Augustini libris perspexisses, & in conscientia tua ad eam sententiam, ad quam adscriberes, seriò valere iudicares: Dixi enim, si quoquo modo ex sancto Augustino ad tutandum infelicem Lutheranismum mutuari testimonia cogitares, nec respicere velles, quid reuera sanctus Vir credidisset, non opus futurum vt trimestre ad deliberandum postulares: me paratum esse ad continuò recitandum omnia, quę hactenus cæteri Lutherani de munditia sancti Viri fœditatibus suis, in libris publicis obduxissent, & quę tu procul dubio, si in istam eandem viam ingredi velles, repetiturus esses.

Isto igitur tempore cum per Deum te, per conscientiam

tiam

tiam tuam, per salutem anime obtestatus essem: scis quid promiseris, & ad quam nouam accesserit vterque stipulationem, cum tu quidem palam iuratus ediceres: vel certis planissimisque locis constantem te sancti Augustini sententiam adscripturum: vel si id diffideres, accessurum sine dissimulatione ad Ecclesiam nostram & ad vnam nobiscum profitendam religionem: ego verò vicissim, si Lutheranum fuisse sanctum Virum isto modo probares, Lutheranum me statim futurum iureiurando confirmarem.

Atque istius pacti prior te epistola diligenter commouit, cum ego presentiens quid facturum esses, & honoris tui quam tu amantior, anteuertere imprudentiam tuam, & te dormientem excitare ad considerandum iusiurandum, & ad retinendam existimationem volui.

Vtinam verò cohortationi locum dedisses meæ: vtinam & quid iurasses, & quid postea tum prestares, tum in præfatione præstiturum te diceres, satis reputasses animo: sic enim in apertam despectionem te nomenque tuum non proiecisses: & viri boni fecisses officium. Nunc quid de te dicam, quid de te sentiam nescio, Pappo.

Primum, ea quæ in te recepisti, non præstitisti in parallelis: sponsonem in quam te incluseras, non vicisti: debes adhuc promissum vniuersum: vt honestus vir esse non possis, si Papista non fias & nobiscum te consocias: quia trimestre, quod petebas, præterfluxit: nec tamen vel in parallelis, vel in literis fidem liberaisti tuam. Nec iam dicam quòd non rectè promissam solueris: inclamo publicè & docebo postea, nullo modo solutum promissum, & frustra totum parallelorum susceptum laborem: & ne quidem adiectum vnquam abste animum esse, vt sustineres promissionem. Nihil enim editio parallelorum ad sponsonem tuam attinet.

Secundò, si maximè in parallelis tuis stare conuentis & facere promissum voluisses; tamen id & præter rem & tam

ram fecisses ineptè, vt ne sic quidem nobis, quod spon-
disti, exhiberes. Nam multa inter nos non controuersa,
laborasti, vt copiosè cōmunires sancti Viri testimonijs:
credo ad magis amplificandum librum, quod à te mini-
mè requirebatur: cū non de concessis, sed de illis tan-
tū pactio interuenisset, quæ in quæstione posita & Lu-
therana sectæ propria essent. Deinde etiam in contro-
uersis nullum vnquam locum in toto libri decursu aptè
apposuiisti, vt in rem quadraret: tanquam si apertè ludifi-
care mundum constituisses, & nos omnes pro bardis &
truncis haberes: qui inanitatem istam tuam, & illusio-
nem publicam animis prospicere non possemus.

III. Tertiò, tametsi in Augustanam solam Confessionem
non venisset sponsio: & tu similia verba S. Patris ad the-
ses tuas non ineptè accōmodasses: Tamen ne sic adhuc
quidem, Pape, fidem defendisset tuam: postquam ipse
in præfatione clarissimè testaris, nec posse te nec velle
declarare, quod promiseras, Lutheranū fuisse S. Patrem:
Ostensurum tantū, quod multa habeat consentanea
Confessioni Augustanæ: cū interim superesse Papisti-
ca multa in eodem S. Patre non neges. Fateris igitur non
te hoc præstiturum quod iuraueras, nec facere posse: Ta-
men à secta tua non discedis: & ter contra officium boni
viri & cōtra fidei religionem tuæ peccas grauissimè: pri-
mū quod pactum non præstas: deinde quod cū præ-
stari non posse libenter & prolixè concedis, tamen con-
tra iusiurandum cum Papistica te Catholica religione
nostra non consocias: tertiò, quod simul & negas pro-
bari posse: & tamen tanquā si pulcherrimè probasses, sic
in titulo vis & ingressu præfationis eictor videri sponsi-
onis promissionisque tuæ. At Papæ, Pape, an hoc est
honestè agere?

IV. Quartò, quasi non satis esset à iuramento discedere:
voluisti etiam historiam Ementingani colloquij corru-
ptelis tuis peruertere: & quæ nunquam acciderunt, sic
comme-

commemorare, tanquam si enuntiata in colloquio fuissent.

Quintò, vt vulnera, quæ isto loco accepisti, dissimulares, repetiisti miseras tuas, quibus constabilire tum Lutheranismum cogitabas: nec attendisti, quomodo & quàm perspicuè te Princeps sanctissimus & Magister Zehenderus refutassent, vt ipsa sine dubio conscientia tua foeditatem ineptissimarum rationum & turpitudinem in colloquendo tuam coarguat.

Hæc verò Pappæ si vera sunt, si sub omnium aspectum & oculos sic subiiciam, vt vera esse liquidò planissimeque perspiciantur: quid Pappæ, mi Pappæ, nos de te sentire existimabis? & quid ipse de te senties? Et an non dolebis, quòd per inconsiderantiam tam te grauius dignitatemque tuam læsisti? quòd non mihi morigeratus, vel nomen tuum religioni Christi dedisti? vel interim silentio passus es præterfluere promissi receptiq; tui munus: quod patrari exsoluiq; non posse, nisi te in nostram fidem tradas, & sine dubio tum statim agnouisti, & iam intelliges multò magis.

De illis igitur quinque capitibus tecum agam, Pappæ, & agam amanter: & docebo, vera esse, quæ scripsi: & tandem ad pactiõnem te reuocabo tuam, vt quia omnibus præsijs ad defendendum id, quod tum fortassis non quidem credebas, sed tamen tanquam extremum præsidium ad honestam fugam arripiebas, exutum te despoliatumque vides, recto itinere ad religionem Christi Catholicam progrediare, & maculam ipse aspersam honori nominiq; tuo, rursus deleas. Velim enim mihi credas Pappæ: si id non facies: nos ex pactiõibus duabus, quarum vnã cum Reuerendo & clarissimo Viro Domino Doctore Hanlino, alteram mecum suscepisti, honestum te & bonum virum & iurisperiti studiosum esse non sinemus: nisi fortassis ante omnium hominum conspectum, & in mundi totius oculis, iurandũ te falsum perigno-

B. iudicanti-

rantiam iurasse confiteri cogites. Illam verò consilij viam si te inire videbimus, quod tamen minimè exspectamus: tum fortassis, & nos de responso circumspiciemus, quo te coram Mundo & Angelis à voto liberemus, vt interim perpetua ignominia in te nomineq; tuo insideat.

CAP. I.

Et ne diu te Pape detineam, primùm agemus de capite primo: & demonstrabimus promissum te edendis parallelis, miserrimis parallelis, non compleuisse: & fecisse nihil quod ad sponsonem valet: eoq; non minùs promissisteneri, quàm si prorsus nihil scripisses.

Et id tu quidem iam nosti. cōuictus Protocolli conscientia: sed vt omnes tecum historiam pactionis propositam ante oculos & omnibus partibus explicatā habeant, meministi Pape, bis te in colloquio Emetingano venisse ad pactionem: semel primùm, cùm ipse extrema necessitate constrictus, cùm neque responderè Principi & Zehendero, nec honestè fugere posses, ante Domini Doctoris Hanlini interpellationem confirmares, te de omnibus Doctoribus, qui cum Augustino vixerunt, & de ipso sancto Augustino, planum facturū, quòd cum omnibus & singulis Augustanæ Confessionis articulis in vniuersum consenserint: Deinde secundò, cùm à Domino Doctore Hanlino cōmonitus, dextram porrigeres, & cum dextra iungeres fidem; quo tempore nec omnes Doctores, nec Augustanam confessionem verbo vllò, sed solum Augustinum & totum Lutheranismum & tu nominasti & ille cum Principe repetiuit.

In priori igitur pacto, quod ad Principem & Auditores omnes directum erat, verum est, mentionem factam esse Confessionis Augustanæ, sed simul, Pape, nec solum nec primo loco Augustinum, sed omnes Augustinī æquales Doctores cum Augustino producebas, tanquā testes & subscriptores vniuersæ doctrinæ, quæ in Augustanam illam confessionem vestram confluit. Verba tua sunt, quæ agnosces, aut si negas, puer aliquis ex protocollo recitabit.

Quia

Quia (inquit Pappus) toties ex me quæri video, an possit Apostolos Ecclesia vna nominari possit, quæ cum Augustana confessione congruat: itaque ne Ecclesiam eiusmodi commonstrare, vel non posse, vel non velle videar, repetam quidem primum omnia quæ heri dixi, opus ista accuratatione non esse, & esse satis, si Lutheri doctrina ex scripto Dei verbo probetur: tamen istis stantibus, & ex superfluo in nomine Dei & huius auxilio intra breue tempus ostendam, omnes Doctores qui tempore Augustini vixerunt, vt etiã ipsum Augustinum, docuisse omnia prorsus consentaneè articulis omnibus & singulis Augustanae confessionis.

Hæc igitur tu Pappæ, tum publicè in colloquio, antequam te ad stipulationem deposceret Dominus Doctor Hænlinus; cùm sexcenties interrogatus & tanquam stimulis incussus esses; nec quò te reciperes, vel ex theatro subduceres, haberes, palàm dixisti, & te dixisse non inficiaberis: nec inficiari potes. Nihil hîc dicam, te in isto loco turpiter peruertisse causæ statum. Nunquam enim ab aduersarijs tuis quæsitum fuit, an Ecclesia vlla vnquam Augustanam confessionem assensione sua probasset: sed semper & Princeps sanctissimus & optimus Zehenderus, profelytus tuus, & senis Doctoris iuuenis victor, an Lutherana, in omnibus cum Luthero consentiens Ecclesia vnquam exstitisset, ambo interrogauerunt: confessionem Augustanam in ista quæstione verbo vno attigerunt nunquam.

Et tu Pappæ, in sessione tertia, quarto Iunij, an meministi quid dixeris? & quomodo quæstionem ipse definiueris, cùm sessionem concluderes? Aiebas enim, vt protocollum habet, de eo quæri: *An in durante Papatu vnus vel plures commemorari possent, qui in omnibus primarijs articulis ad salutem pertinentibus, idem sensissent, quod Lutherus sensit: & promittebas Pappæ, ad proximum conuentum te aliquot exemplis instructiorè factum, illud ipsum probaturum.*

Itaque Pappæ statum negotij, quem & aduersarius constituerat, & tu ipse receperas, in priori pacto contra

officium boni viri corrupisti: & quod de Lutherana tota religione promiseras, postea ad imprudentiam promissi respiciens, voluisti in Augustana confessione præstare, tanquam in Lutheranarum opinionum particula minima, vt deinde docebimus: sed Pape, istam à promisso discessionem libidini tuæ cōdonabimus: nec te nimium constringemus, Parallelistam miserum; Concedemus omnia: potueris Lutheranismum totum complecti sub inuolucro Augustanæ confessionis: rectè illud feceris.

Tamen sic non effugies Pape: & verum semper est: primam sponsonem non de vno sancto Augustino fuisse, sed de omnibus quarti seculi Doctoribus, qui cum sancto Augustino vixerunt, ab anno 390. vsque ad annum 440. (tamdiu enim secundum Sigebertum viuentis Augustini industria & authoritas in Ecclesia Christi floruit.) Promisisti igitur primùm, omnes illos in omnibus cum Augustana illa tua inconstantia consensisse; idque te non multò post testimonijs declaraturum: quod tamen præstitisti nunquam: nec ad illud præstandum animum eousque appulisti tuum.

Deinde verò Pape ab ista promissione ipse rursus discessisti: & antecessit isthac pactio stipulationem postremam vestram. Nam cum illa inuerecundè elocutus esses, & promissionē illam prolixam & liberalem tuam primam absoluisset: admiratus verò Dominus Doctor Hænlinus incredibilem impudētiam tuam, inclamaret, si tu vnquam de sancto Augustino probares, fuisse Lutheranum in omnibus, se è vestigio futurum istius eiusdem sectæ affectatorem: tantum vt si contrarium doceretur, tu, Pape, Papista vicissim fieres & maneres: hæc enim Protocolli verba sunt: Ibi tum enata nona secunda stipulatio inter vos ambos fuit: non de confessione Augustana, quæ silentio prætermittebatur, sed de tota complexione Lutherana delirationis, & de solo sancto Augustino, non de cæteris doctoribus.

Nam

Nam & clarissimus Doctor Hanlinus, Augustinū in omnibus Lutheranum ostendi cupiebat, & tu respondebas: nisi PROBARES sanctum Augustinum in omnibus (Durchaus) Lutheranum fuisse, te per dextram coram Deo & mundo iurare, quòd & futurus sis & mansurus Papista. Agnoscis enim verba tua: Et ipse sanctissimus Princeps idem de Vniuersa Lutheri credulitate adhuc semel ingeminauit priusquam posterior stipulatio confirmaretur.

Tunc enim primū & vos dexteram coniunxistis, & Princeps imposita manu sponsonem roborauit: tamen rursus quòd de toto Lutheranismò conuentum esset, antequam sessionem finiret, nouis perspicuis verbis explanauit Princeps, ne qua relinqueretur dubitatio.

Nec vnquam in extrema colloctione, nec postea vsque ad exitum colloquij, nec in tua Pape, nec in aliorum conclusionem, verbum appositum vnum, nec emissa vox vlla fuit de Augustana confessione. Iurastis omnes & recitauerunt ceteri de Lutheranismò toto: & sic postremò inter vos transactum: & sic discessum fuit.

Vt igitur primam sponsonem, Pape, de Augustana confessione & de omnibus istius memoriæ Doctoribus: sic postremam de toto Lutheranismò & solo Augustino fecisti: quod cum primis ostendendum erat, tanquam Principium totius disputationis. Nam vt scias, Pape, id quod iam traditum est, repetetur in progressu orationis sæpissimè, & aliquoties aures circumsonabit tuas; quò magis considerare toto animo, & reuocare in memoriam, quoties opus est, debes, bis promissum à te factū esse: semel sine stipulatione: deinde tanquam interposito iureiurando per coniunctionem manuum: & primū quidem de omnibus quarti seculi Doctoribus & Augustana confessione: sed secūdum de solo Augustino & vniuerso Lutheranismò, sine prorsus vlla recordatione confessionis.

Itaque Pape, post ista iam posita fundamenta agemus tecum breuiter: & te ostendemus nullo modo stetitisse conuentis.

Primum enim Pape, vel priorem vel posteriorem sponsonem respexisti, cum parallela tua, lamentabilia parallela, scriberes. Nos vero optionem tibi relinquimus ut ipse deligas, utri sponsoni satisfeceris.

Equidem priorem ut praestares, opus non erat: quia successerat alia magis iurata, & confirmata per dextram, & per iusiurandum. Haec igitur tanquam vltima, & magis contestata promissio compleri debuit: non prior a qua rursus discessum fuit.

Tamen Pape, respexeris priorem sponsonem. At Pape qui fieri potest? prior enim conuentio ad Patres omnes qui cum sancto Augustino vixerunt, & quorum libri ad nostram aetatem peruenerunt, attinebat: ad sanctum Hieronymum, ad sanctum Chrysostomum, ad Optatum Mileuitanum, ad sanctum Paulinum, ad sanctum Maximum, ad sanctum Cyrillum, ad Orosium, Sulpitium, Proclum, Theophilum, Philippum presbyterum, Primasium, Theodoretum, Vigilium, Prosperum, Leonem Papam, & ad infinitos alios. Eorum igitur scripta cum in manibus nostris sint, An tu ex illis, Pape, verbum vnum in parallelis, calamitosis parallelis, vnquam vlllo loco ascripsisti? Edissere Pape, vbi id a te factum est? si vero factum non est, dic Pape, quomodo edendis parallelis fidem liberaueris promissi tui? cum confirmare Augustanam illam confessionem ex solo Augustino non deberes: deberes ex ceteris Doctoribus omnibus.

Itaque perspicuum & in luce clarissima positum est, parallelis tuis, flebilibus parallelis, sponsonem primam euetam non esse: reque adhuc promissione teneri.

Rursus, Pape, nec secundae stipulationi satisfecisti: Haec enim a te requirebat, non ut cum Augustana confessione: & multo minus, ut cum eius non controuersis articulis:

ticulis: sed vt cum infinito toto Lutheranismō & Lutheranismi controuersijs omnibus (Durchaus) sentire sanctum Virum declarares. Quia verò Pappē, nec hoc prestitisti: nec vt prestares, apposuisti vnquam animum: tantum spectasti vt Augustanam cōfessionem sine Apologia & sine reliquis Lutheri deliramentis, testimonijs sancti viri quoquo modo infereres, & relinqueres articulos Lutheranos quā plurimos: quomodo posteriorem stipulationem in parallelis tuis, miserabilibus parallelis, exsoluisti Pappē? cum illa de Augustana confessione nunquam loqueretur: cum confessionem nullo verbo attingeret, sed tantum te ad Lutheranismum totum, ad voraginem istam errorum omnium obligaret.

Deinde vt maximè sponsio posterior non ad totum Lutheranismum, sed ad solam confessionem te obstrinxisset: tamen ne sic quidem debitum persoluisses. Scis, Augustana confessio, quoties & quā turpiter sit variata: confiteris ipse in vermiculosis scholijs tuis, quādam verba fuisse maturè rursus detracta, vt tu iam in articulo duodecimo quādam ex posteriori confessione adijcis, quæ in priori editione ipse non posuisti: fortè quod tunc te puderet mendacij, cuius iam non pudet. Nec negari potest inter duodecim editiones dissimilitudinem esse maximam. Itaque quia nec cum omnibus Augustanis confessionibus coniunxisses sanctum Augustinum, nec textum tuum genuinum esse ostendisses, nec potuisses sine vitio, quid, Pappē, editione tua profecisses?

Tamen falsum est, in vltima promissione emissum esse, de Augustana defessa iam confessione verbū vnum: memoriā vnā: syllabam vnā. Tota disceptatio & sponsio de Lutheranismō fuit, & de toto Lutheranismō; quousque illius se interminata libido profundit. Quomodo igitur, quod tam sanctè recepisti Pappē, prestitisti? An primam: an extremam: an vtramque sponsonem? Die? quomodo? quando? vbi? Quare aliquod ex vbi-
quita-

quitate tua ficus folium, quod turpitudini tuæ obducas.

Sed Pappe non potes: ne quidem si in tot te varietates, quot dissimilitudines sunt Sectæ tuæ, contorqueas: quicquid dices, semper constrictus eris: semper planum erit, nec priori nec posteriori promisso receptoque in hunc vsque diem satisfactum esse tuo: eoque parallela tua, turpia parallela, frustra venisse in conspectum publicum: & te sic adhuc iureiurando deuinctum esse: vt si Deo & conscientiæ tuæ gratificatus, Papista non fias, honesti & constantis viri nomen sustinere in mundo non possis. Tribuemus Pappe imbecillitati tuæ, quod toto anno, cum trimestri deberes, promissum non exhibuisti: prorogabimus terminū, quem ipse tibi præstituisti: concedemus ne noceat honori tuo. Tantum enuntia publice: parallelis tuis, ineptissimis parallelis eò te quò intendebas, non peruenisse, nec peruenturum vnquam: profiteri Catholicum Papistam esse sanctum Augustinum: nec posse tam perspicuam veritatem vllis nebulis obscurari: eoque ad nos accurre Pappe: si honestus vir, si non iureiurando tuo ludificasse Deum & mundum, videri vis, Pappe.

Dices fortassis Pappe, Augustanam cōfessionem esse totum Lutheranismum, neque sensisse quicquam Lutherum quod in ista Confessione inscriptum expressumque non sit.

Sed falsum dices Pappe, si dices. Cogita primū, quem admodū Chytræus in editione Latina confessionis istius tuæ folio 123. palàm testetur, intermissos studiosè (vel magis insidiosè) articulos sedecim, quos Lutherus, & ante annos decem proposuerat, & defenderat, tanquam capita fidei: quāquam tu Pappe in Pappist tuæ editionis impudenter negas: an omnia necessitate Stoica euēniant nécessaire: an liberum arbitrium sit nihil: an indulgentiæ aliquem habeant locum: an confessio auricularis sit de necessitate salutis, &c. & istos articulos si ad salutem
 perti-

pertinere Pappę negabis, Lutherus dæmon te tuus refutabit.

Rurfus cogita Pappę, confiteri eodem loco antecessores tuos & ſectę tuę magiſtros Theologos, & idem ad Cæſarem confiteri Principes: articulos non omnes, ſed ferè omnes neceſſarios propoſitos eſſe. Id verò cùm fatentur: an non concedunt, reſtare aliquos neceſſarios? II.

Iterum cogita, ſtudioſè voluiſſe architectos confeſſionis, vt odioſi articuli diſſimularentur, & iſta taciturnitate vt fucus Cæſari & Imperio obijceretur. Id, cuius ſpiritus ſit, perpende: vel nega adhuc Pappę, ſi potes: vt negaſti in Pappiſmis tuis, quibus Confeſſionem ante triennium conſperſiſti. III.

Adhuc cogita de prodigioſa Vbiquitate, quàm biennio ante effuſam Confeſſionem tãquam proram & puppim ſalutis Lutheranę Lutherus in libris publicis defenderat, an verbum vnum appareat in confeſſione? IV.

Præterea cogita Pappę, quod in quinta propoſitione Lutheri fuit, & proponi corruptor tuus voluit, quo plus ſe homo ad iuſtificationem parat, hoc fieri deteriorem: item quod in vndecima theſi ſignificabatur, Euāgelium, Baptiſmum, Cœnam eſſe libera, nec debere imperari, vt nec auricularem confeſſionem: item quod ſcurra in poſtrema propoſitione aſcripſerat, ceremonias etiam non pugnantes cum ſcriptura, tamen hominū libidini relinquendas eſſe liberaſ, & abrogādas eſſe Miſſas: iſta omnia cogita Pappę, an in Auguſtana confeſſione tua legantur? & ſimul cogita an omnia, quę in Apologia ſunt, ſint in confeſſione? & tum reſponde Pappę: an interminata vaſtiſſimãque Lutheri nouitas inuoluta tota ſub integumento ſit confeſſionis Auguſtanę? V.

Similiter cogita Pappę, an Auguſtana confeſſio doceat, in ſub & cum pane & vino eſſe corpus & ſanguinem Domini, vt tamen maneat panis & vinum in venerabili ſacramento? ſicut expreſſè poni iuſſit Lutherus in propoſi-

positione X? Cogita magis an non contrarium istius in Apologia sit: conscientiam tuam excute: quare tecum: quare ex Heshusio an non Transsubstantiationem prima impressa Apologia confirmet: vt ipse concedis.

VII. Nec minùs cogita Pappè: An satisfactionem nò esse partem pœnitentiæ: An animas à corporibus abiunctas, dormire & suo modo tanquam corpora mori: An orandum esse pro mortuis: An Adiphora permitti Catholicis: An opera esse necessaria ad salutem: An infernum hodie nullum esse: An purgatorium: An sexcenta alia sint in Confessione, quæ sunt in Lutheranismò?

VIII. Cogita tandem Pappè, an quod est in Confessione capite 21. & in præfatiuncula anteposita Articulis Abusum, vniuersam inter nos & Lutheranos diffensionem tantùm versari in abusibus: nec disceptari de articulis fidei: Cogita inquam an illa sententia Lutheri sit, & tum ex illius XV. propositione, tum cum tua consciëntia considera, perpende: examina Pappè, & responde: & nega aliquid si vis: nega ex veteri impudentia, quam in scholijs tuis Confessionis contra omnem verecundiam ostēdisti.

Quid dicam de alijs plurimis, quæ in Lutheranismò sunt, & pro Lutherana varietatis articulis defenduntur, tamen in Augustana confessione testimonium vel indicium nullum habent: quædam etiam damnantur? An igitur adhuc includuntur omnia in Augustana confessione quæ Lutherus sensit? Et quid de Lutero dicam? Dicam propiùs, An omnia sunt, quæ tu Pappè credis? & tanquam articulos fidei inculcas? & an omnia quæ Philippus, effoeminatus Lutheranus: & quæ Flacius asperimus truncus, & quæ reliqui nati ex petulãtia Lutheri nauatores, tanquam occultata in tricis confessionis credi voluerunt?

Nisi fortassis *δύναμιν* confinges, sub qua res istæ omnes inuolutæ delitescant in confessione. Sed confinge Pappè: ostēdam statim non *δύναμιν* sed *ἐναντιότητα*: docebo contra Lu-

tra Lu-

tra Lutherum, contra Lutheranismum multa in Augustana confessione proponi, quæ Lutherus paulò antè de testatus tanquam Diaboli doctrinam erat, vt illud præcipuè in articulo 9. de libertate arbitrij humani in ciuili iustitia: & in articulo 19. Impios per voluntatem suam à Deo auerti, si Deus non adiuuet, cuius cōtrarium omnibus locis eousque docuerat Lutherus.

Falsum igitur est, Lutheranismum totum, & Augustanam confessionem rem esse vnam: & illa duo inter se reciprocari. Falsum est inquam & probari non potest: Nec totum Lutheranismum complectitur Augustana confessio: supersunt multa ante & post exhibitam Augustanam confessionem inuenta & defensa à Luthero & Lutheranis: non inscripta in Augustano libro, in volumine volãte, de quo Zacharias propheta loquitur, cap. 5.

Itaque Pappè, quia de Augustana charta probare voluisti, quod debuisti de toto Lutheranismò: operam malè collocasti tuam: & probatum, Pappè, primum caput est, quod primo loco in libro tuo reprehendi, non valere Parallela tua, lacrymabilia parallela, ad fidem vllam tuam, primam vel extremam liberandam: & nihil te illis publicandis affecutum, hærere adhuc in pedicis quas ipse tibi per imprudentiam induisti: nec magis esse à voto liberum, quàm si nullam literam fecisses: & si parallelorum tuorum, nullam adhuc duxisses lineam. Quid igitur dicemus? quid sentiemus de te Pappè?

Idem deinde probabimus de capite secundo: cuius CAP. II. partes fecimus duas: & diximus, tametsi ad sponsonem tuam attineret, vt soli Augustanæ cōfessionis ex solo sancto Augustino subsidia conquireret: quod quoties dices, falsum dices: tamen multa te extra rem, cum non opus esset: tum illis locis, vbi opus erat, nihil commodè, nihil aptè scripsisse, vt ne sic quidem vllò modo satis promisso fecisses pacto que tuo. Prosequemur vtrunque, & primò de non controuersis loquemur: Illa verò, Pappè, quor-

sum probanda suscepisti? de quibus non controuersamur? quæ nostra sunt, translata à nobis ad sectã vestram? sumta à nobis? An tam obtusus es, Pappæ, vt cum Augustanam confessionem damnari à Catholicis audis, existimes omnia quæ in eius complexione continentur, etiam nostra: etiam textum scripturæ damnari? Id verò Pappæ si iudicasti, cur non etiam pro tua hebetudine ad verba Scripturæ, quæ in confessione interiecta sunt, auctoritatem sancti viri, vt fecisti semel in articulo quarto, ita deinde semper adiunxisti ad magis complendum & faciendum librum?

Id Pappæ in libris vestris reprehendimus: quod vestrum est: à vobis nuper excogitatum, & alienum à Christi religione quam nos sequimur. Cur igitur, Pappæ, intermiscuisti tot testimonia de rebus, quæ in disceptationem venerunt nunquam? An vt omnia verba probares confessionis? Atqui nemo postulabat: nec intercurrebat in pactione: nec vir sapiens, nec consideratus Lutheranus quisquam laudabit: nec tamen omnia, etiam nobis communia probasti. Sed scio quid spectaueris. Voluisti Pappæ, Pappo inani cõglutinare multa: vt ad molem aliquam cresceret liber: & lector, cum foris intueretur, ex magnitudine putaret, confectam esse rem, quam promiseras. Et certè triplò minor esset liber, & istam dignitatem in ciuium tuorũ oculis, & in externo aspectu non haberet, nisi tot testimonia non necessaria in vnum cumulum contrusisses. Verùm ista, Pappæ, non sunt virorum grauium artes: sunt inanium hominũ: qui oculos præstringunt, & fabricant dolos.

Tamen rursus cõdonemus: An igitur etiam controuersa probasti ex sancto Augustino? consideremus parum Pappæ, & ex infinitis adducamus pauca.

Thesis tertia confessionis in articulo primo definit personam non esse qualitatem vel accidens in re, sed quod propriè subsistit. Ad hanc duo ex sancto Viro testimonia ac-

nia ac-

ni: accumulasti: sed dic Pappo per conscientiam tuam: vel dicat puer aliquis, qui legere potest, quid in testimonijs sancti Viri est simile thesi? legite quæso Lutherani: cognoscite ineptias hominis.

Sic thesis istius eiusdem articuli sexta an locū vnum ascriptum habet, qui doceat, Spiritum non esse motum in rebus creatum? quod in thesi propositum erat?

Iterum articuli octavi thesis secunda, dic Pappo, quomodo ex testimonio Augustini, quod adiecisti, probatur? dic quomodo articulus decimus quartus, articuli decimi sexti thesis tertia? decimi octavi thesis quinta de substantia actuum? abusus secundi thesis tertia? Intra Pappo pappos & responde.

Sed visum tibi sit, Pappo, locupletare librum inscriptionibus & amplificare verbis: nobis satis est, patescisse quomodo cum nullo pacto deberes, tanquam rimas libri inferciens, contra rationem apte & inepte inculcaveris non necessarias sancti viri sententias: & rursus cum ne sic quidem tumesceret liber, spatia multa reliqueris in chartis: tantum ut magni speciem voluminis præ se ferret: cum interim ne quidem ea, quæ necessaria non erant, testimonijs aptis illigares.

Quod quo pudore feceris, tu iudica Pappo, & iudicent tui: Nos ad partem alteram secundi capituli procedimus ad breuiter ostendendum, ne quidem in illis quæ inter nos sub quæstionem subiecta sunt, potuisse te litteram vnam sancti viri apponere: quin vel ipse te vir sanctus voce sua confutaret, vel locus in rem nostram non conueniret.

Et id quidem quia Reuerendus Clarissimusque Vir Dominus Doctor Hanlinus pro eruditione Theologica & Philosophica maxima sua & pro accuratatione exquisiti iudicij iam pulcherrimè confecit, tractabitur à me breuissimè: Dicam tantum, nullum locū in vniuersum esse qui id probet quod tu speras & quod in thesi est: sed esse

te in isto toto labore versatum frustra, ridiculè, temerè & sine industria & consideratione: vt refutationem parallela tua, sordida parallela, minimè requirant: ipsa se prolixè refutent, quod & probauit iam per omnia capita Dominus Doctor Hænlinus: & si postulabis, probabo ego secundò: & profectus Argentinam, in oculis Senatus tui probabo: vel in libro publico in totius mundi conspectu.

Tamen etiam hoc loco attingam quædam, & conscientiam Pappæ cõpellabo tuam: & de quatuor vel quinque locis ostendam, cuiusmodi vir sis, quid feceris: quomodo cum sordes confessionis puritate sancti viri obtigere velles, deturpaueris te ipsum, & nudaueris dissectam in infinitas sectas sectam tuam.

Dic igitur Pappæ, si Deum times: profiteri Pappæ, cum testimonia sancti Augustini supponeres, an non intus in animo falsitatem tuam aspiciebas? & iam adhuc an credere potes, sic vnquã sensisse Augustinum vt confessionis tuæ sentiunt theses? An putas ad eam sententiam respexisse virum sanctum, ad quam tu inflectere cupis? Dic Pappæ, tanquam si ante Christi tribunal assisteres, an vnum testimoniũ oportunè adiunxisse? & omnino, An te aliquid probasse putas?

Sed non dices, si tertiam solùm thesin secundi articuli perpendes, cuius te turpitudinis toties pudere debet, quoties oculis foeditatem tuam lustras; nec ascripsisses, si vir prudens esses.

I. Quæritur an concupiscentia sub iugum rationis subiecta, cum in regeneratis per baptismum sublatus est reatus, sit verum & veri nominis peccatum, id est: an ita sit comparatum, vt tametsi rationi non dominetur, & tametsi in se conquiescat, tamen imputari ad culpam possit. Lutherus singularis ferus, aper depascens veterem possessionem Ecclesiæ, primus omnium pro fatuitate sua, vt bona sanctorum hominum opera tolleret, scribere per sum-

summam impudentiam, non dubitavit, esse verè peccatum & posse imputari: Sed contra Lutherum tota Ecclesia catholica constanti consensione semper vt debuit, negavit, eiusmodi peccatum concupiscentiam esse in baptizato.

Tu Pappè, vt Augustinum nobis eriperes, & ad delirationem vestram aggregares, non negasti: nec enim sine summo dedecore potuisti: esse in Augustino apertè sententiam nostram & sententiam omnium, qui ratione reguntur. Sed ex diuersis locis corrigere sanctum virum, & ostendere voluisti, quomodo secum & cum Luthero sanctus Augustinus cõgrueret. Quod consilium, Pappè, si in reliquis partibus iniuisses, si Augustinum ex Augustino explicauisses: credo te ex isto labore expediuisses multò meliùs: tamen quia vt in hoc loco facis, fortè fecisses in alijs: fuit multò præstabilius vt abstineres.

Tametsi verò in clarissima luce locorum, & in perspicuitate causæ opus non erat defendi vel explicari sanctum virum: tamen videamus quid dicas Pappè? Agnoscis sanctum virum publicè profiteri, quòd peccatū propriè non sit concupiscentia: sed impropriè: nimirum quia per peccatum infusa in genus humanū fuit, & peccatum si mens consentit, efficit, & aliquid in se pugnans cum dominatu mentis habet. Negat igitur, Pappè, sanctus Augustinus propriè cõcupiscentiam peccatum esse, quod ipse recitas: & profectò negare debet, si vir prudēs est. Deinde ponit sanctus Augustinus apertè in locis tuis essentiam peccati in reatu: nec peccatum esse finit, vnde reatus abest: vel quòd animi intus cõsensio non accesserit.

Quomodo igitur in baptizato, Pappè, concupiscentia repressa ab homine Christiano erit sancto Augustino peccatum? Quid cogitas Pappè? cùm ais non simpliciter à sancto Augustino, sed quodam tantum modo negari, quòd peccatum sit concupiscētia? Iniuriam facis sancto Patri, in eum sensum quem tu proponis. Apertè negat.

gat, nunquam concedit sanctus Vir, simpliciter peccatum esse concupiscentiam: nec concedit nisi per vocis abusionem; nec potest per peccati definitionem, quam ipse constituit. Vt lingua locutio est quam efficit lingua, & vt manus scriptura est, quam pingit manus: sic concupiscentia Augustino peccatum est, non quòd peccatum in se & simpliciter sit, sed quia cum mentem vincit, peccatum facit: quæ omnia à te ponuntur.

Ergo inquires tamen aliquo modo erit peccatū concupiscentia, & ipse sanctus Augustinus peccatum nominat? Quis verò Pappæ negat? peccatum certè nominat, & nominari posse concedit, sed tantum figuratè & improprie & sine imputatione: cuius testimonia te tua conuincunt. At Pappæ quid inde concludis? Ergo Augustinus cum Lutero consentit? Ergo, Pappæ, baculus stat in angulo?

Concupiscentiam Augustinus improprie dici peccatum existimat. Ergo habet pro peccato quod imputari ad culpam possit? O incredibilem consequentiæ absurditatem. O Dialecticum Pappam. Sanctus Augustinus peccatum esse dicit, quod secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fit: dicitur: cogitatur, & post se relinquit reatum: vt ipse confirmas & loca adscribis. Itaque negat concupiscentiam esse in baptizato peccatum: in quam nihil istorum conuenit quamdiu vel quiescit, vel assurgens statim in primo ortu consopitur & obruitur.

Sed repetis: permittere te quòd isto modo peccatum non sit sancto viro concupiscentia: tamen esse modo alio. Est certè Pappæ, sed improprie, cum vel effectui vel causæ nomen rei imponitur: sicut cum lingua locutio, cum manus scriptura esse dicitur. Non igitur est proprie, non est verè peccatū, de quo inter nos disputatur. Est *ὁμωνόμας* peccatū, sicut mortuus homo est homo Pappæ, quod inter nos non est controuersum. Expressè enim in loco quem

quem tuis iisdem verbis, locis diuersis ad inflandum librum apposuisti, contestatur sanctus vir, nihil esse peccatum quod & reatum non inferat, & quod eum qui peccatum habet, non faciat peccati reum. **Aperi oculos Pappae: & vide quomodo te ipsum refutes.**

Peccatum sanctus Augustinus esse non sinit, nisi quod in eum qui peccatum habet, importat reatum. Dicit enim non habere peccatum, esse idem, quod non reum esse peccati. Atqui concupiscentia in baptizato reatum reliquum nullum habet, nec reum facit peccati, in quo est. Itaque peccatum non est: tamen peccatum improprie dici per abusionem posset: translato rei nomine ad causam vel effectum, vel aliam propinquam significationem.

Quid verò Pappae? An ex Lutheri fatuitate sanctum virum estimas? An quia a sinu Lutherus fuit, putas etiam fuisse sanctum Augustinum? Considera Pappae. An fieri potest, ut cuius totus reatus sublatus est, id adhuc imputari possit ad culpam? id est, ut id quod reatum non habet, habeat reatum? An imputari ad culpam, & habere reatum, non idem est Pappae? An vicissim, posse imputari ad culpam, & non habere reatum, non sunt contradictoria? An quod vacuum & liberum factum est à reatu, idem imputari ad culpam potest? Sed Pappae, an non folio II. ipse confirmas concupiscentiam sancto Augustino non esse peccatum, si peccatum accipiatur pro reatu? An non omnem reatum omnium malorum auferri in baptismo scribit Augustinus, & à te ponitur Pappae? Quomodo ergo, si reatus in concupiscentia nullus est, si reum peccati non facit, si non rasum sed deletum est in concupiscentia peccatum, quomodo inquam peccatum est concupiscentia? & quomodo tale peccatum, quod imputari possit ad culpam? id est, quod cum sine reatu sit, tamen habeat reatum, & ad culpam imputari queat? Id verò quid est Pappae, quàm Pappum non esse Pappum?

Quid magis perspicue tradi posset, quàm quod san-

oil

D

ctus

Aut Augustinus de concupiscentia subiugata ab homine Christiano in libris reliquit? & in locis illis, que tu adducis? An non enim apertissime ipse dirimit litem: cum rories dicit esse malum, sed non peccatum, (lib. 6. contra Iulian. cap. 5.) non esse dicendum peccatum nisi assensione mentis peccatum pariat, (lib. 2. contra Iulianum) concupiscentiam esse tanquam matrem parientem, sed partum & foetum illius cum mentem deuicit concupiscentia, esse peccatum? (lib. 6. contra Iulianum cap. 5.) & concupiscentiam quiescentem vel repressam vocari quidem peccatum: non quia peccatum sit, sed quia peccato facta sit: & non esse peccatum, sed vocari tantum peccatum (lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 12.) Item vocari abusuè peccatum, tanquam poenam & causam peccati? lib. 5. cont. Iulian. cap. 3. in apertissimo tuo testimonio.

Ecquid adhuc igitur dubitas Pape, quomodo reuera & simpliciter peccatum sancto Augustino concupiscentia non sit: & rursus quomodo tamen peccati vocabulum figuratè & improprie concupiscentiæ accommodari sinat & seipsum explicet. Dicam plura Pape? dicere nisi miseriæ me tuæ & insanix puderet: & nisi sententia tua, nobis tacentibus, à teipso, ponendis sancti viri testimonijs refutata & euersa radicibus omnibus esset, & nisi communis omnibus hominibus ingeneratus sensus falsitatem vestram prima statim consideratione conuinceret. In eo igitur quàm infelicitè, & quàm ineptè sanctum virum ad partes tuas & ad sententiam Confessionis intorquere cogites, & quomodo cum Lutheranum facere velles, feceris Papistam, vide ipse Pape: & ab insania vestra discede.

- II. Pergamus. Tantum fide apprehendi remissionem peccatorum & pacem conscientia, est in articulo 20. Confessionis, in vndecima thesi. Eam sententiam dicis in thesi quarta, sexta & septima vicesimi articuli ab Augustino confirmari. At si bonus vir es, Pape, differere vbi? quo folio?

lio? qua linea? An fortassis in istius eiusdē articuli thesi secunda? At Pappē, si illa probatio pappus non est, quid erit pappus? An semel est in sancto viro, sola fide apprehendi remissionem peccatorum? Quid circumspicias Pappē?

Thesis quarta sexti articuli vnum testimoniū habet. In eo an thesis tua est? quibus verbis? Dic Pappē? Sic in thesi septima vicesimi articuli, vbi quæso est, sola Lutherana fide sine spe & charitate apprehendi remissionem peccatorum? cū magis sit in testimonio secundo, debere nos firmitati promissionis Dei non fidem tantum, sed & spem & dilectionem permittere? cū idem Augustinus in testimonio tertio thesis nonē & articuli vicesimi de qua fide loquatur, palam enūtiat, & eum in Christum credere, qui & sperat in Christum, & diligit Christum: illum verò non credere in Christum confirmet, qui sine spe & dilectione Christum esse credit.

Sic cū fidem suam iustificantem omnibus locis definiat vir sanctus, cū expressè in testimonio tuo secundo in articuli noni thesi 16. exclamet, Fidem sine operibus saluare neminem: Quid in mētem tibi Pappē venit, vt inepta testimonia, quibus magis sententiam nostram fulcires, & pro te nihil aliud quàm sempiternam ignominiam referres, apponere ante mundi totius oculos, vir audacissimus auderes? Sed ista Dn. Doctor Hænlinus vberimè tractabit: Ego progrediar.

Purgatorium vbi vnquam sanctus vir prorsus pernegavit Pappē? In quoto testimonio? Adscripsisti enim octo. An illa Pappē aduersantur purgatorio? An quia post extremum iudicium, duo tantum sunt loca, nec tum locus vllus est inter æternam pœnam & æternam beatitudinem intermedius, interim purgatorium non erit? an quia mores ibi non corriguntur? an quia hīc non redemptus, illic non admittitur? An Pappē propterea non est purgatorium? Fac syllogismum Pappē: & ostende

ambust

D 2

nega-

negari Purgatorium à sancto viro, si vir honestus es. ¹¹¹
 Perlege, Pappè, librum quem ipse tanquam testem
 sententiæ tuæ citas: sed percurre Pappè totum: ne tan-
 quam simia inhære in particula vnius capitis, & in huius
 externo sono. Sic enim inuenies, quomodo contraria
 non sint, esse Purgatorium, & tamen quod hîc non redi-
 mitur, illic etiam non redimi. Lege caput istius eiusdem
 Enchiridij ad Laurētium Pappè, centésimum & nonum:
 nec dic Pappè dissidere à seipso, sanctum virum: confite-
 re magis te vel sic oppressum ignauia, vel tam obtusum,
 vel tam malitiosum veteratorem esse, vt cum ipse san-
 ctus Pater lumen ad meliùs aspiciendam eius de religio-
 ne Christiana sententiam præferret, & scrîpulos qui ob-
 iectari animis vestris possent, prudentia sua statim de via
 tolleret, tamen ne quidem legere vel consideratè per-
 pendere cogites. Similia quare in alijs sancti Augustini
 libris & sermonibus: in libro de octo Dulcitij quæstioni-
 bus, quæst. 2. in libro de cura pro mortuis cap. 18. In sermone.
 32. de verbis Apostoli: in libro de Ciuitate Dei cap. 24. in
 illis ipsis libris, quos tu apponis. Detrahe igitur pappum
 Pappè de oculis: vt aperto lumine contuearis sanctum
 virum: nec putes cōtraria esse quæ tu cæcutiens pro con-
 trarijs habes.

Rursus vbi dubitat sanctus vir de Purgatorio? Lege
 Pappè tria testimonia, quibus vt ad te confutandum vo-
 luisti: & responde quod iam sæpe vobis Lutheranis in
 aures inelamatum fuit: An de modo Purgatorij, an de
 ipso Purgatorio dubitet sanctus Pater? Nam quomodo
 vir constans & tantus pater dubitaret? & quid tu Pappè,
 cum ista ascriberes, censuisti? An tantus hostis pudoris es
 tui, vt quid poneres non attēderes? Confirmauit (inquis)
 sanctus Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, & in
 libro de octo quæstionibus Dulcitij, & in libro 21. de Ci-
 uitate Dei. At dubitauit idem. Sed dic Pappè vbi? Re-
 spondes, in illis iisdem libris. Ergo Pappè in iisdem libris
 sanctus

sanctus vir & posuit, & dubitatione rursus infirmauit Purgatorium? & in illis libris, quos omnes in retractatione percensuit, sed nec contradictionem animaduertit, nec vel affirmationem vel dubitationem correxit? Quid dicemus de te Pappo? Adhuc dubitauit vir sanctus, cum tanquam articulum fidei argumētis confirmauit Purgatorium? Et an simul in eodem libro & affirmauit & simul dubitauit? an istam iniuriam audeat Pappus exspuare in virum sanctum? O Parallela: & o parallelorū turpitudō. An easdem res Augustinus in vno libro in vno capite & certas & dubias fecit? De te & Luthero id suspicari Pappo, noli de sancto viro, qui arundo non fuit: laudem inconstantiæ & perpetuæ mutabilitatis, reliquit Luthero, homini per omnium hominū memoriam vanissimo: & reliquit tibi. Ipse vir grauissimus Purgatorium fatetur: nunquam in dubiū vocat: nunquam tollit.

Iterum Missam non esse institutam, vt in ea fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus, proponis in articulo 3. de abusibus thesi tertia. At Pappo vbi ex sancto viro confirmas? Viceris totam sponsonem, si locum vnum ostenderis. Disputas quidem Pappo, extra rem, de sacrificio, & quid sub eo complectatur Pater sanctus, pro libidine tua explicas: vbi verò Missam sacrificium esse neget sanctus Augustinus, nullo indicio, nullo verbo, nulla litera testaris: fateris magis clam in testimoniorum inuolucro, quæ adiunxisti ex epistola 23. ad Bonifacium: ex libro 9. Confessionū cap. 13. ex libro 20. cōtra Faustum cap. 18. & 21: sed id Dominus Doctor Hanlinus vrgebit. Ego primū quæram Pappo, an quæstio negatiua possit affirmatiuè, & non debeat negatiuè probari? Quæram secundò, vbi ex sancto viro probaueris, Missam pro Oblatione non esse institutam ad cōsequendam remissionem peccatorum? Id enim probandum receperas. Contende igitur adhuc neruos omnes Pappo, euigila curis omnibus vt respōdeas. Sed non potes Pap-

III.

pe. Nihil probasti, nisi te magno hiatu factum promissorem nihil soluere. Tamen dic vbi & quomodo ex sancto Augustino ostenderis, quod in thesi significas? An fortassis quia omnia sacrificia ex sancto Augustino percensuisti: & quia Missæ sanctus Pater inter sacrificia nullum locum reliquit, ideo occulta ratiocinatione nõ concludere sed innuere voluisti, Missam, non esse oblationem? eoque ad sacrificandum non institutam esse? At mi Pappæ, bone Pappæ, vbi sanctus Pater Missam à sacrificiorum complexu remouit? Falsum illud est, testantibus infinitis locis, & non negatibus tuis. An enim non ipse septem sancti Patris indicijs Cœnam esse sacrificium, & offerri in ea corpus & sanguinem Christi & immolari ostendisti, Pappæ? An non in sexto testimonio doces, duo fieri in Cœna, oblationem & participationem? & illa esse inter se discriminata? Quomodo igitur declaras Missam apud sanctum Augustinum non esse oblationem? An fortassis oblationem tu pro spirituali & Eucharistico sacrificio intelligis? At non quid tu intelligas, sed quid sanctus Pater significet, disquirimus Pappæ: Quo igitur testimonio probas sanctum Patrem non habuisse Missam pro sacrificio, vel cum Missam sacrificium vocat, loqui de sacrificio Eucharistico? vbi Pappæ? clama vt audiamus. Quid igitur probasti Pappæ? nisi te probasse nihil? & ne quidem probare voluisse? tantum eò respexisse, vt verbis sancti viri paginas tuas ineptè compleres.

V. Illud verò Pappæ quàm est ridiculum, quòd ad istius tertij abusus articulum quintum & sextum, qui in confessione de vestris factis loquuntur, dicere sanctum virum, testimonium iubes. Vnde enim Pater sanctus scire potuit, priuatas Missas sub initium Lutherani furoris tantum quæstus causa factas: & cum de eo admonerentur sacerdotes, intermissas esse? Dic Pappæ? Cur rem posterioris ætatis, quæ in facto consistit, tametsi vera esset, (est autem falsissima) ex primorum Patrum libris, qui multis

secu-

seculis antecesserunt, confirmare & perspicuam facere constitui? Deinde dic Pappo, quid illa octo testimonia, quæ pappo tuo agglutinasti, de thesi tua probant? Estne in illis aliquid de priuatis Missis, & an est omnino de Missis? an in genere est de quæstu, qui quæritur ex Missis, & officijs omnibus Ecclesiasticis? Et rursus an vult sanctus Augustinus rem sacram, cum ad lucrum confertur, antiquandam & reiiciendam esse? Quid illorum est in testimonijs, & quid in secundo, in quinto, & sexto locis à thesi alienissimis?

Risum teneatis amici. Sanctus vir tribus testimonijs deberi sacerdotibus à populo mercedē docet: reliquos obiurgat clericos, qui curam suam ad opulentiam in rebus sacris conuertūt. Id Pappus noster ad tollendas priuatas Missas accommodat, & tanquam si eò sanctus vir retulisset, & quasi ad rem attineret, sic adscribit magno cumulo: & concludere vult ex angulo baculum, & angulum ex baculo.

Sed tædet me, Pappo, calamitatis tuæ: nec plura examinabo: nec opus est: cum Dominus Doctor Hænlinus, quàm absurdè non applicaueris, sed appinxis sancti Patris testimonia, magno libro patefecerit: & res ipsa, & conscientia ipsa te tua intus redarguat: & pueri videant, extra causam esse omnia, quæ adscripsisti.

Frustra igitur Pappo isto pappo illita parallela tua in publico apparere voluisti: frustra ad talem occupationem laborem impendisti: non enim laborasti quid de promisso tuo præstares: sed quomodo farētū multis verbis proponeres magnum librum: tamen vt nihil aptum, nihil ad rem diceres: & ne quidem res controuersas rectè probares: ad reliqua tanquam alphabetarius puer, quicquid in calamum influeret, ascriberes: nec animo vnquam circumspiceres, aptè an ineptè, cōmodè an absurdè faceres. Quod ipse non negabis Pappo, si sub nouam considerationem subiicies omnia, & si animū spon-

sionis

tionis desperatione perculsum reuocabis ad quietem.

Nec negasti Pappo, cum librum publicares: & credo quod vir alioquin apertus, cō PARALLELA inscripseris, vt in quinto verbo tituli, Græcis exarato literis, quid intus ipse de te libroque sentiret, nobis foris obnuntiaret: vt certè significantiùs nominare librum non potuisses Pappo: nec si per Lexicon cētum annis animum circumtulisses oculosque tuos.

Parallela Geometra vocant, quæ æquabiliter à se abiuncta, tametsi per spatium infinitum procurrant, tamen eodem semper distant modo: & in vnum confluunt nunquam. Itaque Pappo, quia testimonijs tuis & nuper Augusta nata cōfessionis idem accidere prouidebas: vt iuxta se posita, æquè semper distarent, nec vnquam ne quidem per cælum & terram longissimè protracta ad rem vnam testandam concurrerent: idcirco parallela nuncupasti honestissimè, vt simul & conscientia haberet rationem, & doctis viris sensum ipse tuum patefaceres.

Eo animo si abs te, Pappo, factum non est: mirabimur casu tam concinnam & tam aptam vocem adeò appositè influxisse in titulum, & in primam omnium oculis subiectam paginam: & tum arbitramur voluisse Deum, vt inuitus in vestibulo libri quasi digitis præmonstrares, & quid in istius editione libri tui spectasses, & quid sperandum nobis esset. Verum, vtum erit, Parallela certè sunt testimonia sancti viri, & ineptia confessionis tuæ: & sic parallelorum naturam imitantur, vt infinitè quomodo-cunque propagata & aspersa coloribus omnibus, tamen coeant & conspirent nunquam: abiuncta semper & diuersa sint & æquabiliter remota.

Quod nos hîc aliquot locis perspicuè declarauimus: & in Domini Doctoris Hænlini laborem reiecimus reliqua: vt confidamus, futurum omnino neminem, & ne quidem ipsum parallelographum paralogum Pappum, qui non iam perspiciat, parallela esse quæ scripsit, & eum
tum

tum frustra laborasse communiendis articulis minimè dubijs, tum in illis & cæteris nihil appositè fecisse, nihil aptè, nihil commodè: dissecta omnia & inepta, & extra causam esse: & esse vno verbo parallela.

Quamobrem, vt diximus, tametsi de Augustana sola confessione & solo Augustino sponsonem fecisset Pappus: non tamen non liberasset fidem: Parallelographus esset: nec vllum vnquam Pappus pappum inueniret, quo sponsonem sic oblineret, vt præstitisse quod promisit videri posset: quod secundo loco in Pappi parallelis oburgauimus, & meritò reprehensum esse, liquidò sumus planissimeque contestati.

Eodem deinde modo verum esse docebimus, quod CAP. III. obiectum tertio loco fuit, desperationem suam sine dissimulatione in præfatione libri confiteri Pappum, quòd id, nimirum quod de sancto viro in se receperat, præstare nec possit, nec cogitet. Id igitur sub omnium intelligentiam nullo negotio subijciemus, & postea quid inde consequatur, & quomodo secum Pappus pugnet, & iniuriam faciat sancto viro: tum etiam quomodo promissum nullo prorsus modo soluerit, & quia Papista factus nondum est, iusiurandum reliquerit, explicabimus ordine.

Primum verò vt demòstremus, nihil exaggerabimus, Pappæ: erimus tantùm occupati in verbis apponendis tuis. Scribis in præfatione, tibi non esse ignotum, quòd suas opiniones ex eodem Augustino soleant Pontificij defendere, ipsumque Torrensem ante annos illud viginti tres satis crasse collecto volumine fuisse conatum: & omnino futurum vt ex D. Augustino contraria interdum testimonia proferantur: eòque iudice Scriptura opus esse, vt sciamus quibus Augustini testimonijs credere, quibus salua ipsius auctoritate fidem abrogare debeamus: nec negare te, Pappæ, quòd talia quædam in Augustino reperiantur quæ Pontificij pro se allegent: nec profuturum Catholicis si alia & contraria proferant eiusdem sancti viri testimonia. Id igitur consideremus Pappæ, & quid Emetinga contra receperis, animis reputemus. Promissi

-nollo

E

sti Eme-

sti Emetingæ, Pappæ, perspicuum te relicturum, in omnibus fuisse Lutheranum sanctum Augustinum: id quæ nisi factu præstares, voluisti, discedens à secta tua, nomen dare Ecclesiæ Catholicæ nostræ. Quæstio igitur tota in eo versatur, an probaueris in omnibus Lutheranum esse sanctum virum: & ne te nimiùm premamus: non an in omnibus dissimilimis Lutheri varietatibus, sed an in Augustiniana confessione probaueris, & omnino an probare volueris. Nec iam parallela tua, funesta parallela, considerabimus: cum præfatione tua conferemus sponsonem: & concludemus pappos esse, quos efflās de temeritate tua, obiecisti mundo, ludicator pessimus. Id igitur Pappæ, cum iureiurando deuinxisses: cum probaturum iurasses, in omnibus Lutheranum esse sanctum Patrem: quomodo iam tot verbis in præfatione toties repetis? esse consentanea multa in sancto viro sectæ Lutheranæ, multa Religioni catholicæ: & eundem sanctum Patrem esse & Lutheranum & Catholicum? Quomodo igitur, Pappæ, seruasti promissum? & quomodo in omnibus Lutheranum fuisse sanctum Augustinum commonstrasti Pappæ? Aut quia id ad probandum suscipere nec potuisti, nec voluisti, quare, vt ipse te per iusiurandum obligaueras, nondum factus es, Pappæ, Papista?

An enim is, Pappæ, Lutheranus est, qui interdum cum Luthero, interdum contra eum sentit? qui de re eadem, & consentaneè cum Luthero, & contrariè scribit? qui simul & Orthodoxus & Catholicus est? Dic Pappæ, an qui talis est, in omnibus est Lutheranus? Meo iudicio certè Lutheranus est, qui omnium opinionum tempestatibus iactatus, idem nunquam sentit. Sic enim Lutherus quotidie fecit, falsitatum omnium affectator: & ipsa mutabilitate mutabilior pestis & turbo religionis.

Sed dic Pappæ, an is etiam tibi Lutheranus est, qui in duas dissimiles de articulis fidei sententiâ vacillat, & tum confirmat, tum euertit Lutheranismum? An vt talem
osten-

ostenderes, Princeps sanctissimus, & Doctor Henlinus, & Magister Zehenderus requirebant? Et an id à te expectari credebas, Pappè?

Aut igitur simpliciter is Lutheranus est, qui in religione in omnibus fluctuat: & vicisti Pappè, non in adiungendo tibi sancto Augustino, sed in definienda secta colluicque tua: Aut certè, tu non modò promissi fidem non seruasti, sed ne quidem vt faceres, animum vnquam attendisti tuum. Promittis enim iam nouum promissum contra promissum vetus, & contra iusiurandum vetus Pappè: hoc te demonstraturum quod nemo voluit: & ne quidẽ tu ipse promissisti Emetingæ, fluctuare sanctum Augustinũ in religione, & tum Lutheranum, tum Pontificium esse: imò verò interdũ neutrum esse, cùm dubitat.

Sed contrà Pappè, receperas Emetingæ, in fidem, in animum, in conscientiam tuam, facturũ te vt videremus quemadmodum Augustinus in omnibus & per omnia fuisset Lutheranus. Id dum isto tempore probaturum te clamitasti, iam ipse in ingressu probationis, non hoc te moliri profiteris, quod te tum facturum iuraueras, sed quasi tum nihil iurasses, ita nunc de nouo, illud tantũ significare vis, quomodo sanctus vir, quem in alijs locis Catholicum & Papistam esse non negas, secum dissideat, & de re eadem, de articulo eodem fidei, simul Luthero & simul Catholicis assentiatur Papista simul, & simul Lutheranus Augustinus.

Existimate, ciues, audaciam hominis. Aut vacillauit in fide Christi sanctus Augustinus, & hoc Pappus præuidebat: Aut semper magna stabilitate docuit idẽ. Si vacillauit, cur Pappus, qui sciebat, clamabat se ex mille quingentis annis ex longissimo illo temporis interuallo, virum vnum propositurum ante cõspectum nostrum, qui in omnibus cum Luthero consentiret? An tanto negotio cõquirendus erat ex infinitis annis, & ex tam immenso temporis curriculo vir vnus, nõ qui Lutheranus esset:

sed qui cum esse videretur, tamen non esset? Et cur Pappus non antedixit, non futurum Lutheranum, quem nominaturus esset: futurum magis inconstantem opinatorem? nisi fortassis is Pappo Lutheranus est, qui quotidie mutat religionem, ut fecit Lutherus.

Si verò constans in religione vir sanctus fuit, cur mentitur Pappus? cur contrarium? cur profeminatorem diuersarum opinionum fingit, fabulator turpissimus? Et si constans fuit sanctus Augustinus, cur istam constantiam sancti viri in profitenda religione Pappus non ostendit, ut debuit? cur intermisit Pappus? cur fidem Pappicam violauit? cur conscientiam Pappicam, quam imprudentia sua vulnerauit, non sanauit iterum? Papista factus ex Pappista, Pappus?

Rursus Pappo, illa: quæ mutuari Pöfificios ad tutandam religionem catholicã ex sancto viro præcognoscebas: aut verè cum testimonijs tuis pugnabant, & elidebãt sectam tuam: aut non pugnabant: pugnare tantùm videbantur. Sed, Pappo, si reuera dissidere sanctum virum à seipso, & tum quibusdam locis Lutheranum, tum alijs Papistam esse præsentiebas, quare in omnibus probare volebas, Lutheranum esse sanctum Patrem? quare iurabas? cur non magis, fauere & religioni nostræ & infinite dissidatæ sectæ tuæ sanctum virum, & non in omnibus esse Lutheranum tum præmonebas?

Si verò in omnibus Lutheranæ sectæ constantem approbatorem sciebas esse sanctum virum, quare Pappo, Scripturam ad illius libros iudicem postulas? quare testimonia quædam credere in sancto viro, quædam reijcere vis & non credere Pappo? quare scribis non profuturum nobis, tametsi probemus contrarium? Quare non astrictus esse vis Pappo, ut contraria nostra testimonia confutes, & sanctum virum ex seipso explanes? Quare id solum incumbere tibi putas, ne vsus mala fide sis in apponendis verbis sancti Patris? Dic Pappo, an tantùm verba te sine
vicio

vitio adscripturum esse ex sancto Augustino, an contra iurasti probaturū quod in omnibus fuerit Lutheranus? Quid cogitas Pappe?

Deinde, si nostra testimonia, contraria tuis eiusdem sancti viri testimonijs non sunt, quare Pappe iniuriam, qua sanctum Patrem affecimus, non vindicas? cur non reprehendis? cur bonum Patrem, affectatorem sectæ vestræ tecū non concilias? cur istum sectæ tuæ honorē non habes, vt ex tota antiquitate vnus sit, qui constanter vobiscum senserit? & qui interdum discedere à vobis videatur, tamen reuera discedat nunquam? Id igitur Pappe, cur non ostendisti? cur falsitatem nostram non redarguisti? cur opprimi sin. s. Patrem sanctissimū? cuius auctoritate crescere secta plurimum posset? Et cur Pappe non fecisti, vt existimationem tuam bonique viri nomen retineres? ne falsum iurasse, ne iusiurandum neglexisse dici posses, Pappe?

Magnam in te esse, Pappe, inconsiderantiam & fidei contemptionem oportet: si de nobis iniuriam ostendere in accommodandis sancti viri libris, & si fucum quem lectori obijcimus, detrahere de sancto Patre, & reuera totum omnibus locis Lutheranus fuisse, significare potuisti, quod non palam fecisti Pappe: & quod periclitari fidem, & cum fide proiectus maluisti iacere in sordibus periurij? Non enim iurasti Pappe, bona fide te verba quedam sancti Patris citaturum: iurasti te demonstraturum quod in mille quingentis annis vir vnus, sanctus Augustinus Pater in omnibus Lutheranus fuerit: non quod fuerit, non fuerit, rursus fuerit: id enim Lutheranus fortassis est: tamen non fuit ab aduersarijs quesitum, nec à te iuratum. Itaque si eripere nobis Augustinum, si totum ad te transferre potuisti & ad Lutheranam sectam tuam: debuisti certè Pappe vt vir honestus esses: & vt in retinenda fide constantiam ostenderes tuam.

Illud quia intermissum à te fuit Pappe: senties intus

in conscientia tua, rectè à nostris contra vos produci testimonia sancti Patris, & id reuera credidisse sanctum virum quod nos eum credere de libris probamus. Fateris igitur publicè simul & Lutheranum fuisse & Papistam, sanctum Augustinum : nec distinguis primùm Lutheranus, postea Papista, an vicissim fuerit. Itaque simul fateris publicè, non te hoc seruaturum ad quod te iureiurando obstrinxeras, in omnibus Lutheranū fuisse sanctum Patrem : sed probaturum quòd interdū Lutheranus fuerit : cū non inficeris fuisse locis alijs Papistam. Falsum igitur Emetingæ iurasti Pape : & id iam publicè in totius mundi cōspectu ipse testaris : & quia fidem promissi non seruas, nec etiam cum nostra te catholica fide coniungis : fateris rursus publicè Pape, nullam te promissi tui partem expleturum : sed contrà, quàm iuraueras, nec probaturum de sancto viro quod apud Deum contestatus promiseras, nec tamen nostram secuturum esse catholicam religionem.

Nihil igitur adhuc, de eo confecisti Pape, quod facere promiseras, & vt magis te obstringeres, Deum in animam tuam inuocaueras testem.

Lutheranum proferre vnum, qui totus Lutheranus esset, debuisti ex longinqua antiquitate, ex lōgissimè profusa totius Ecclesiæ atate, ex eo tempore quo ab Apostolis Ecclesia propagata & vsque ad patrum nostrorum memoriā ducta fuit. Non potuisti Pape. Nominasti vnum, non Lutheranum, sed magis Papistam : vel profectò incertum & titubantem Lutheranum : de quo Lutheranus an Papista magis esset, ne quidem exquisito acerrimoque iudicio perspici cognosci que posset. A veteri igitur promisso discessisti Pape : fidem non seruasti, sed corrupisti & peruertisti : id que te facere per impudentissimam audaciam, nihil dissimulans in publico mundi aspectu scribis, & de iureiurādo libenter te facere discessionem gloriose contestaris. At Pape an hoc est honestè agere?

Iudi-

Iudicent omnes Lutherani: ipse, tu Pape, in conscientiam intuens prudentiamque tuam, iudica, considera quid feceris: da Deo gloriam: temeritatē deplora tuam, & nomen tuum da Christo: da fidei catholicæ nostræ: nec permitte, vt nos, cuiusmodi vir sis, & quid feceris, in totum mundum inclamemus.

Ista te Pape si non mouent: considera deinde quid ex ista inconсульта ratione, quam in edendis parallelis in consilium adhibuisti, consequatur: cogita si verum esset quod de sancto Patre scribis, quàm id causam sectamque vestrā non iuaret, perderet magis & euerteret funditus.

Primum eo ipso probas, prorsus nouam esse Lutheri fatuitatem, nec antecessisse in decursu omnium seculorum, quamdiu Ecclesia Christi post Apostolos fuit, hominem vnum qui constanter & perfectè Lutheranus esset. Iustus enim edere nomen vnum, vnus vel Ecclesiæ, vel personæ Lutheranae, quæ ante Lutherum vsque ad Apostolorum ætatem retro vixisset, nominasti timidè & Ecclesiam & personam Augustini: tamen de sola persona probare voluisti. Et dum annum integrum in perspicendo sancto viro posuisses, tandem clamosè fateris, & fateris in mūdi & omnium hominum oculis, ne illum quidem constanter esse Lutheranum. Nullus igitur, Pape, ab annis mille quingentis constans fuit, & Lutheri similis Lutheranus, qui omnes Lutheri inconstantias esset constanter exemplo complexus doctrinaque sua. Noua igitur & prorsus noua, & perfidiosè noua Lutheri doctrina est, Pape.

Atque id vnicum Parallelis, infortunatis parallelis, Pape, tuis debemus: quod deinde tanquam à te concessum, conijciemus in sectam tuam, & in sectæ tuæ seruos, & de sententia tua inclamabimus, post Apostolos nullum esse Scriptorem sanctum, qui in omnibus & semper cum Luthero consentiat: oppressam Ecclesiam quindecim seculorum tenebris, in decimo sexto primùm seculo sus-

lo sustulisse oculos & aspexisse in ceruisia Saxonica, ut Lutherus de se gloriatur, veritate in Christi: tumque primum Spiritum, cum iucundissimum quindecim seculorum somnum edormiuisset, de veterno suscitatum, cum exterritus, quo loco esset, nesciret, influxisse in libidinosum, & monasticæ disciplinæ hostem & virtutū omnium inimicum & lasciuiarum affectatorem Lutherum.

Hæc igitur Pappæ tuae sunt & erunt deinde *χρήσιμα* nostra: neque tu negabis: nec negabunt alij si non Papistæ, sed Pappistæ esse volunt. Accipimus tanquam Lutheranum oraculum ex Pappico tripode enuntiatum.

Secundò scis Pappæ, quid Emetingæ ante discessionem tuam promitteres: cum monerem per Deum, ne quid in librum referres, quod non constanter tradi à D. Augustino intus in conscientia sentiret. Id quia per dexteram tuam tanquam nouo iuramento firmasti Pappæ, cur in parallelis, mōstrosiis parallelis, illa perfidiosè proposuisti, quæ à sancto Patre non constanter per totum vitæ decursum & in omnibus libris tradita, ut tu publicè scribere non erubescis, sed ab ipso rursus sancto viro damnata & refutata sunt? & quorū contraria in sancto Patre testimonia reperiri minimè dubitas? An illa est constans sancti viri sententia, quæ sic relicta in libris ipsius fuit, ut Scripturà iudice, sicut tu loqueris, opus sit, quæ nos doceat, quando credere, quando non credere debeamus sancto viro? An fidem seruasti Pappæ? An constantem ex libris sancti viri eruisti sententiam? An ex omnibus libris? An conferens librū cum libro? Hæc enim sponderas: & utar ipse testimonio tuo: permittam etiam ut pappum obducas, si potes.

Tertiò, si vir sanctus est sanctus Augustinus, ut in uere ascriptione literæ D. ad nomen illius videris: sanctus igitur is est, qui certam religionem & certam comprehensionem de religione Christiana non habet: qui simul & sola fide, & non sola fide iustificari hominem: qui si-
mul &

mul & Purgatorium esse & non esse: qui simul Missam oblationem pro viuis & mortuis esse & non esse: qui simul inuocandos Sanctos & non inuocandos: qui simul operibus nos iustificari & non iustificari: qui simul Lutheranam sententiam Diaboli commentum esse & non esse credit.

Sanctus igitur is est qui ipse Missam idololatricam Papisticam omnibus partibus confirmat, & ipse sacrum Papisticum vsque ad extremam ætatem facit, & sanctos inuocat, & inuocandos in auxilium docet, & pro mortuis non tanquam optionem, sed ad subleuandas eorum animas, & ad imminuendum cruciatum orari & sacrificari iubet, & ipse orat & sacrificat.

Sanctus igitur is est qui simul & Idololatra est, & Lutheranus simul, & qui vt olim infusi in Samariam noui ex Assyria coloni assolebant, simul Deos sibi fabricat, & nihilominus colit verum Deum, & simul Deo & Dijs seruit, & timeret quidem Dominum, sed tamen seruit Idolis, vt est 4. Reg. 17.

Sancti igitur Samaritani fuerunt in quorum ciuitates Apostoli à Christo ingredi primùm non sinebantur: & quos ipse Christus ab ouibus domus Israël abiungit & alienigenas vocat, & quorum Iudæi consuetudinem & conuictum abominabantur.

Sanctitas illa Pappi fortassis est: Christi certè non est: qui in vtranque partem claudicantes à semitis suis, obiurgat, & alienos & adulterinos filios & mēdaces nominat, & à Spiritu sancto euomendos esse dicit: & Idololatras ab aditu cælestis regni secludit.

An fortassis Pappi, Idololatria in sancto Augustino Idololatria non fuit? vel Idololatria sanctis viris non nocet? & cum veritate puroque Dei cultu consistit? An putas Pappi ab vno homine posse simul & Deum purè coli & haberi alienos Deos? Sed fortassis Pappi, illa Idololatria inter moriēdum sancto viro defluxerunt? Die

Primū

F

verò

verò quando Pappæ fluxionem istam contigisse iudices? An cum in lecto cum extremo morbo haberet negotiũ, & quotidie psalmos Dauidicos pœnitẽtiales, auersus ab hominum conspectu, legeret, & lectum lacrymis compleret? At Pappæ si tum factum est, si vsque ad extremum spiritum se correxit, cur Possidonius, qui ægotati & morienti affuit semper, nullo verbo meminit? cum Possidonius testetur proximo ante obitum die recensuisse libros suos omnes virum sanctum, & integro auditu atque adspectu in oculis amicorum placidissimè mortuum: Tum verò cur neminem de errore commonuit? aut si fecit, cur Possidonius non notauit? cur nec à Possidonio nec à reliquis Episcopis, in quorũ oculis & auribus vixit & mortuus est, in Ecclesia post obitum sancti viri fuit emendatum, quod corrigi vir sanctus moriens voluit?

An fortassis non citius in viam à Spiritu sancto reuocatus fuit, quàm cum sensuum & loquendi vsu non habens, efflaret animam? At Pappæ quantum hoc & quàm absurdum est figmentum? quàm inanis Pappus? Et an non pudet te & socios tuos, tam deformis inanissimeque conficti mendacij? Quis enim vobis morientium hominum extremam sententiam quam nullo indicio patefecerunt, inspirauit Pappæ? dic quis spiritus? quis Dæmon? quæ mors? quod somnium? Et cur de morientibus sine testimonio creditis, quod non vultis de viuibus? de loquentibus? in ista multitudine & perspicuitate librorũ? Possum & hinc & in toto libro tuo meritò exclamare:

Mente cares, si res agitur tibi seria, Pappæ:

Fronte cares, si nos ludere, Pappæ, cupis.

Tamen repetes Pappæ, non id tibi videri quod adscripsi: simul & Idololatram fuisse & Catholicum Augustinũ: sed vno tempore purè de religione sensisse, alio corruptum ab Antichristi potentia interiecisse istius ætatis stipulas. Sed mentitur Pappæ, quisquis dicit: nec ad te excusandum pertinet.

Primum

Primùm enim quando libros omnes scripserit, quando correxerit, scimus: & ipse vir sanctus de se patefecit, quando libros istos, quorum tu plerùmque testimonia apponis, retulerit in publicum. In illis nunquam nec Purgatorium, nec fidem cum charitate & spe iustificantem, nec sacrificium Missæ, nec Sanctorum inuocationem, nec cælibatum sacerdotum, nec rem inter nos controuersam vllam in alium sensum, quàm prius à se factum esset, explicauit: nec fecit, cum pridie antequàm è vita discederet, libros omnes de nouo recenseret: nec omnino significationem vllam istius instituti vsque ad extremum vitæ spiritum dedit. Nunquam igitur sanctus vir, ea de quibus nos controuersamur, aliter vel credidit, vel intellexit, quàm in primis libris proposuit: nūquam vno tempore sensit, quod alio nō sensit. Nugæ sunt & deformitates Lutheranorum, natae in vertigine Lutheri, & fatuitate discipulorum nutritæ. Edicant, si possunt, in quo libro, quæ inter nos posita in disquisitione sunt, mutauerit sanctus vir? An in primis? medijs? vltimis? An in morbo extremo? An in auribus amicorum? An in ipsa mortis occupatione, cum anima laxata de corpore in via ad cælum esset? O Lutheranam fabulam.

Deinde tametsi quādo se vir sanctus correxisset, monstrari posset: tamen Pape in rem tuam non conueniret. Tu enim non ex diuersis, sed iisdem libris contraria de sancto viro nominas, quæ & pro Purgatorio & cōtra Purgatoriū scripserit: & in cæteris cōtrouersijs vteris illis ipsis libris, in quibus meministi inscripta nostra cōtra vos esse testimonia. Quia verò in vno & eodē libro sine dubio se non correxit, simul igitur in vnus libri scriptione, secundum te, & Idololatra fuit sanctus vir & Christianus: & quia nunquam sententiā retractauit, mortuus est in Idololatria: & in Idololatria in cælū profectus est, Pater ille quem Lutherus purissimum, & tu sanctū rectè nominas.

Nec enim arbitrorte existimare, quòd errorem ipse

suum non animaduernerit, & quid idololatrium esset, non perspexerit. In pappum diffluet Pappus, quicquid dicet. Non erat tam hebes sanctus vir, ut quid Idololatria esset non teneret. Istam asininam hebetudinem relinque Luthero tuo, nec affinge viris sanctis, Pappus: nec si facies, consequeris quod speras. Idololatria enim siue studiosè siue imprudenter commissa, cultorem semper suum in ardens igne & sulfure stagnum & in morrem secundam proijciat: nec saluari potest sanctus vir, nec sanctus vir fuit Augustinus, si idololatra fuit.

Tertiò si in diuersis libris diuersa scripsit sanctus Pater Augustinus: quia quando singulos libros mandauerit literis, ex ipso sancto Augustino constat, edisserat Pappus an adolescens, an vir, an senex contra Ecclesiam nostram senserit. Sed quicquid Pappus responderis, conuincam & iuuenem & virum & senem in primis, medijs & extremis libris, credidisse sanctum virum omnia, quæ contra vos credimus. Nisi fortassis, Pappus, dicere audaciæ tuæ collibeat, primùm quædam arrisisse sancto viro: deinde cum iudiciũ corroborasset, rursus displicuisse: tandem iterum placuisse seni: vel ut Lutherus veterator fecit, sic fecisse sanctum virum, ut sententiæ hodie poneret: cras tolleret: iterum laudaret: rursus damnaret. De eo igitur te, Pappus, liberè sinemus eloqui quid iudices: nec sollicitus eris de responso. Tamen iam aliquid præstitisses Pappus, si quo tempore sanctus Pater fidem nostram sustulisset, & an in ea sententia deinde vsque ad discessum è vita perstitisset, significasses, & an primùm contra nos, deinde pro nobis stetit Pater sanctus: Item an vestra contraria priora & præstabiliora sint nostris contrarijs: & quæ omnino sententia fuisset morientis sancti viri. Sed quid faceres, miser Pappus, qui non ex diuersis, sed iisdem libris sanctum Patrem tanquam inconstantem, & eorum quæ ipse scriberet, nec memorem, nec intelligentem virum, audes, degener filius patrem, vir vanus hominem

nem

nem grauissimum, hæreticus principem Ecclesiæ, cuius laus constantiæ, per mille ducentos annos in Ecclesia, & in omnium bonorum animis floruit, consputare maledicentia tua & insimulare, quòd rem vnã in vnus libri, & vnus penè capitis contextu, & tanquam in vna spiratione asseueranter confirmauerit, & rursus vel dubiam fecerit, vel irritam.

Sed pappi tui sunt, Pappe, inanes pappi, & impudentissima falsitas est Pappe, quam in sanctum Patrem inflectis: contraria nunquam scripsit: nunquam se correxit: nihil vnquam mutauit in illis de quibus nos dimicamus: nullam contrariam vocem emisit: dissimilimus est mutabilissimi Lutheri constantissimus Augustinus. Dic vnũ Pappe, in quo secum pugnet vir sanctus: contende neruos omnes tuos: ede specimen nobis industriæ tuæ: eloquere: quid cunctaris Pappe? Scripsit multa sanctus Pater: quæ in speciem externam illis, qui vel imbecillitate ingenij, vel corruptione iudicij, vel malitia totũ textum legere, & librum cum libro conferre non possunt, discrepare primo conspectu videntur: vt illud tuum fuit, concupiscentiam peccatum esse & non esse: Tamen cùm introspexisti sancti Patris libros, negasti ipse subesse contrarietatem: affirmasti in sancto viro, & in eius textu solui statim dubitationem, & fieri, vt quæ dissidere existimabantur, reuera non pugnent.

Sic in vniuersum nihil est in sancto viro, in Patre sancto, quod non cū omnibus Patris sancti libris consentiat. Cadam tota causa, si ostenderis de nostris controuersijs sic traditam sententiam vnã in sancto Patre, vt reuera cum alijs testimonijs pugnet. Viceris Pappe, si vno exemplo planum feceris; sed Pappe, non illa disiuncta vel contraria sunt, quæ tu, & quæ cæteri plebeij & inconsiderati sancti Patris lectores ex medio orationis curriculo decerpta, & tãquam auulsa de complexu sermonis, non rationis momētis, sed libidine vestra & externo verborum

sono perpenditis. Vestra illa sunt, non sancti viri pugne, profecta ex hebetudine malitiaque vestra. Consentaneè de sacrificio Missæ, de Purgatorio, de non sola fide iustificante, de Sanctorum inuocatione, de vita monastica, de cælibatu, de virginitate, & de alijs nostris docuit vir sanctus omnia: contrariè nihil: & sic semper sententiæ fuit nostræ, vt aliquid vnquam ne quidem in mētem contravenire sibi pateretur. Nec suam, sed totius Ecclesiæ sententiam de qua dubitare nō potuit, retulit in libros: nec vel discedere, vel dubitare de eo voluit, quod Ecclesia catholica consentienter tradidit, acceptum à maioribus & ad se ætatemque suam propagatum. Iniuriam igitur facis sanctissimo Patri, & tantam iniuriam, vt sola satis ad ostendendum esset, & ad iugulandam falsitatem tenebricosi erroris vestri. Iniuriam Ecclesiæ facis, in qua sanctus Pater, se, pascus eius lacte, quam diu vixit, sustinuit. Sed hæret in te & in mōstroso patre tuo Luthero inconstantia macula: non conuenit in virum sanctum. Sanctus, constans & consentiens secum Papista fuit Augustinus: Lutheranus nunquam fuit: nec priorem nec posteriorem sententiam contra nos mutauit. Pergamus Pappæ.

Quarto, Pappæ, clamas apertè in præfatione, & Emingæ propositum esse fingis: nouum esse totum nostræ doctrinæ genus: sic vt ex Pontificijs scriptoribus, quando in Ecclesiam importari cœperit, liquidò constet, & ignota fuisse purioribus Ecclesiæ noui Testamenti seculis, quæ contra vos disceptamus, merita operum, confessionem auricularem, satisfactionem impositam à Sacerdote, sacrificium propitiatorium Missæ, Purgatorium, ordines Monasticos, Sacramentorum numerum, primatum Romani Papæ, & sexcenta alia.

Id igitur quanquam propemodum alienum ab hoc loco & coniunctum cum mendacijs tuis, tamen Pappæ, ad inconstantiam tuam magis perspiciendam & ad coarguendum ex sancto viro mendacium statim prosequemur.

Et pri-

Et primùm Pappe percontari ex te libet, verũ esse putas an falsum quod scribis. Si enim falsum esse cognoscis, cur Pappe tãto clamore? cur tot verbis inculcas mendacium? & mēdaciũ, cuius vanitatem ipse perspexisti?

Sin autem pro vero intus in animo, & in credulitate tua habes, Pappe, cur contra conscientiam, contra fidem, contra sensum tuum, Pappe, decem vix interpositis lineis fateris apertè, esse in sancto Viro multa Confessione & Lutheranismò contraria: & consentanea Papistis?

Aut hìc, aut illic falsum publicè dicis Pappe. Si noua Doctrina nostra est, quomodo defensa fuit à sancto Augustino? qui vixit ante annos mille ducentos? Si enim contraria Augustanę confessioni docuit, & patrocinator causę Doctrinęque nostrę S. Pater fuit, cur fingis Pappe noua esse quę docemus? An nouum est quod ante annos mille ducentos publicè traditum à sanctis Patribus & susceptum fide Ecclesię fuit?

Rursus cur nostra fingis ignota esse purioribus Ecclesię seculis? An purius S. Augustini seculum, & an purus Doctor sanctus Augustinus non fuit? Atqui si negabis, retundet impudentiam tuam liber Concordiæ, qui purum Doctorem nominat: refutabit te sancti nomen, quod ex calamo tuo ad istius viri appellationem in præfatione temere fortassis & incōsideratè, tamen septies affluxit.

Sed iterum Pappe, si purus sanctus Augustinus non fuit, significa, quęso, Pappe quis fuerit purior? & an possit vllus per mille quingētorum annorum intercapedinem esse purus, si purus ille non fuit? Et deinde responde si sunt alij Patres puriores, & secula puriora, cur tu toties vellicatus, cùm purum Doctorem & purum seculum nominare deberes, nullum alium Doctorem quàm sanctum Augustinum, & nullum quàm illius seculum, proposuisti, post tot tamque studiosè quęstas tergiuersiones? Cur Pappe quāquam quarto die Iunij ante meridiem, & ad nominandũ Virum vnum qui cum Lutheri sententia

per

per omnia consentiret, deliberandi spatium peteres, & postmodum ad conuentum paratiorem venturum sponderes, tamen quinto toto Iunij die, ante & post prandium sic os claufisti, vt nullum responsum ad id præstandum, quod pridie receperas, extorqueri tibi patereris? Et tandem sexto die post bene longam considerationem ex omnibus delegisti, tum personam, tum vniuersum seculum sancti Augustini? Si purus, Pape, Augustinus non est, cur cum purus nominandus erat, nominasti sanctum Augustinum Patrem? cur non alium puriorem Pape? Si purus non erat sanctus Pater, cur pro puro & pro Lutherano, post bidui meditationem, postquam ex fratribus tuis consilium ceperas, postquam omnes latebras excusseras prudentiæ tuæ, nūcupasti sanctum Augustinum, & sancti Augustini totam ætatem? cur non aliam ætatem? cur non alium Patrem? Dic Pape: & nomina adhuc alium. Sed tum quid Luthero antesignano respōdebis erroris vestri, qui ad sanctum virum primas semper puritatis præ reliquis detulit? Si verò purus Pater sanctus Augustinus, & purissimus omnium fuit, cur nostram doctrinam, inscriptam in sancto Augustino mentiris ignotam esse purioribus Ecclesiæ Christianæ seculis?

An fortassis nullum purum post Apostolos seculum fuit? eo que tu secula non simpliciter pura, sed tantum puriora nominas? quasi non omnino ab errore libera: tamen magis pura quam reliqua extrema. Adhuc igitur, Pape, verum est, cum Apostolis è mundo sublatam puritatem, non prius in conspectum hominum reuertisse, quam cum Lutherus Spiritum sanctum obbiberet in ceruisia Saxonica? Nulla igitur omnino Ecclesia publica pura fuit ab annis mille quingentis mortuo sancto Ioanne Euangelista, qui post omnes Apostolos postremus discessit è mundo? Et eousque mundare Ecclesiam Spiritus sanctus non potuit, donec tandem Lutherus post decem vel duodecim annorum vertigines, circumuolutus per
omnes

omnes opinionum dissimilitudines, semel vno aspectu absterfam ab omnibus tenebris religionem in clarissima luce reponeret? O Pappicam religionem: nullam fuisse per secula longissima quindecim, puram Ecclesiam: non sanctorum Martyrum, qui vitam omnes in pura Christi fide profuderunt: nō sanctorum Patrum: nullam prorsus. Increpet te Deus, Pappo, si ista serio dices.

Tamen impura omnia secula fuerint: In idem igitur restota recidit, & rursus inter illa impura, vel erat aliquod purius sancti Augustini seculo: vel nullū erat purius. Aut igitur omnia rursus æquabiliter impura: aut vnum purius altero. Si purius vllum erat Pappo, cur, vt diximus, ex impuriore arripuisti Scriptorem impuriorem? si illud erat purissimum, in quo sanctus Pater vixit, quomodo ignotum fuit purioribus seculis, & quomodo nouum est doctrinæ nostræ corpus, quod non negas creditum esse in isto puriori seculo, & ab isto puriori Patre?

Iterum, Pappo, si purior sanctus Pater fuit, & purior illius ætas & Ecclesia: quomodo concedis fuisse Pappicam sanctum virum, & Ecclesiam illius Pappicam? quomodo ille purior est, nos impuriore sumus? qui æquè Sanctorum inuocationem, sacrificium Missæ, Purgatorium, operum iustificationem, ieiunium, cælibatum sacerdotum, virginittatis præ coniugio præstantiam, & sexcenta alia simul credimus? qui eandem & prorsus eandem de articulis omnibus fidei intelligētiā animo comprehendimus & confessionem ore testamur? Verte te, Pappo, & inflecte in rot gyros, in quot mutabilitates Lutherus primo doctrinæ suæ decennio Euangelium quintum suum intorsit, tamen non euades. Ipse tibi iugulum incidet, & tuo testimonio probabis, nouam religionem nostram non esse: nec ignotam purioribus seculis.

Præterea Pappo, quia paucis interiectis lineis testaris ipse, in conformi & publico omnium temporum consensu tanquam in pulchra Helena exultare gloriose im-

G

mode-

moderateque iactare nostros: cur homo inuerecundus, & immemor rerum omnium, nouitatem nobis doctrinae paulò antè tam leuiter exprobras? SI OMNIUM TEMPORVM requirimus cõformem & publicum consensum: dic omnis ruboris oblite Pape, quomodo nouum est genus doctrinae nostrae? Et si nouum est, cur contra vestram nouitatem nos tantopere pro Ecclesiae antiquitate pugnare scribis Pape? Cur teipsum refutas? An omnium temporum publicus & conformis consensus noua & nuper nata, & Lutheranismi similis est doctrina, Pape?

Adhac Pape cur fingis origines eorum, pro quibus contra vos pugnamus, posse ex ipsis Pontificijs Scriptoribus ostendi? cur fingis Pape contra teipsum? Isti enim Pontificij Scriptores vel antecesserunt, vel secuti aetatem sancti viri sunt, vel cum eo vixerunt: aut fortassis ipse sanctus Pater scriptor Pontificius fuit. Si ante Augustinum demonstrari initium doctrinae nostrae potest, cur nouam esse calumniaris Pape? & quomodo nõ erit antiquissima? Si post sanctum virum in lucem Ecclesiae illa eruperunt, quae vos auersamini, & à nobis traduntur, quo pudore Pape, in ipso S. Patre exstare contraria vestrae & similia nostrae fidei testimonia scribis? Si post Augustinum nata religio nostra fuit, quomodo Pape, quod post Augustinum excogitatum fuit, in S. viri libris est? posterius in priore? & quomodo fuit antequam nasceretur?

Sed si sub memoriam S. Patris Augustini credebatur in Ecclesia, quod nos credimus, quomodo rursus nouum erit doctrinae nostrae totum genus? Et si Pontificius scriptor Augustinus fuit, cur haberi pro Lutherano, Pape, Emetinge in auribus sanctissimi Principis sub solenni iurando, contestatus Deum voluisti? An parum tibi erat despiciatui habere Deum & Mundum?

Fortassis Pape negabis, esse in sancti viri relictis libris inscriptam Doctrinam Fidemque nostram. Atqui Pape in simula teipsum mēdacij, si negabis. Scribis enim
sine

sine dissimulatione, futurum ut ex D. Augustino contraria interdum testimonia proferantur. Sciebas igitur proferri posse: & Pontificios consueuisse pro se talia quædam allegare, & Doctorem Henlinum alia contraria producturū eiusdem D. Augustini testimonia. De eo iam antea differuimus. Tamen addamus aliquid. Aut igitur primū Pappæ, de omnibus, quæ inter nos controuersa plenissimaque diffensionis sunt: aut tātūm de quibusdam concedis sentire nobiscum sanctum Patrem. Atqui Pappæ quī potes de quibusdam, & non de omnibus? cū nos de meritis Operum, de Cōfessione auriculari, Satisfactione, septem Sacramentis, Purgatorio, Missa, ordine Monastico, primatu Papæ, & sexcentis alijs semper testimonia apponamus, ex sancto viro, & de re nulla primaria vobiscū controuersetur, quam non stabilire S. Patris testimonijs, & sic docere cogitemus, ut si à nobis S. Pater dissentiret, si id quod docemus vna voce sua damnabit, continuò in iure simus futuri vestro. Ego Pappæ solus tecū si iubes coram Senatu totaque ciuium tuorum multitudine vel etiam scriptis sic agam: ut si in articulis fidei, si in illis quæ tu adscripsisti, si in partibus essentialibus fidei, de sancti Augustini libris sine sancti Patris iniuria, & sine vitio verbum vnum recitabis, quod me sententiamque meam confodiat, statim corde & ore sim sententiam sectamque tuam secuturus: quod ne dubites iurabo: & quod iuro, præstabo factò: non deficiam à iureiurando ut tu iam fecisti.

Non igitur in quibusdam permittere Pappæ sanctum virum nobis debes: debes in omnibus fidei partibus, quæ temeritate vestra inter Catholicos & hæreticos controuersa facta sunt: & cōfiteri debes Pappæ, in religione nostra nouum nihil esse: essentialia omnia & controuersa omnia & sub Augustino, & ante Augustinum planè isto modo sicut nos credimus, floruisse semper in fide catholica totius Ecclesiæ, & te turpissimè falsum dixisse contra perspicuitatem veritatis, contra centuriatores tuos, con-

trate ipsum: cum nouū doctrinæ nostræ corpus esse scriberes: & tamen simul in Augustino velles consignatum in libris, & ad nostram memoriā relictum esse quod credimus. Nisi fortasse nouum vos Lutherani nominatis, quod vobis ignotum & à sensu vestro remotum est: sic verò & Christus saluator, & tota veritas, & Scripturæ intelligentia, & perpetuitas Ecclesiæ & regnum cælorum noua vobis erunt: Eorum enim nihil intelligitis, imposito super cor vestrum, texto ex malitia & temeritate, tegumento crassissimo.

Verum satis fusè & factum tuum, & facti consecraria, & turpitudinem tuam accusauimus: & innocentiam defendimus sancti viri, & repulimus deformem iniuriam, quam tu in illius sanctimoniam infigere, & per eius latus totam Ecclesiam Christi ipsumque S. Spiritum confodere cupiebas.

Reuocemus igitur nos ad pactum tuum, & delibermus quid edendis parallelis effeceris. Probare Emetingē constitueras, Lutheranum in omnibus fuisse S. Patrem, & eò ad magis stringendam fidem iusiurandum iuraueras sanctissimum. Cum omnes in promisso, quod Deo teste religiosè feceras, constantiam expectarent, ipse Pape de conseruatione iusiurandi desperans, tanquam si apertè violaturum te fidem, ad quam deuinctus eras, diceres, in primo libri ingressu, & in præfatione vociferaris, declaraturum te non quòd in omnibus: sed tantum quòd interdum, & quibusdam in locis Lutheranus & in ceteris Papista sanctus Vir fuisset, id est, vt interpretari debemus, non seruaturum te quod seruaturum dixeras. Id quàm tibi nominiq̃ tuo honorificum sit, perpende Pape.

Nec tamen probare de toto Lutheranismò conaris: vis tantum de Augustana confessione: & tertio vt te adhuc magis commacules, mentiris Pape: Nec enim propter acerbitatē causæ possum dicere modestius, & ignoscere

scere debes Pappè: tamen falsum dicis, & dicis cum atrocissima iniuria sanctissimi viri, contra sensum & contra conscientiam tuam, scire te, quòd in S. Viro, ijs quæ proposuisti, etiam in vno atque eodem libro multa sint contraria: nec tamen discriminaſti de quibus contrarijs intelligeres: an quæ verè essent: an quæ esse tibi viderètur.

Id igitur & tu Pappè considera, & reputent alij secum Lutheranæ Reip. ciues, quid feceris: quomodo cum Lutheranum in omnibus fuisse S. Patrem monstrandum esset: ipse te facere posse neges: & neges publicè: probes magis, non semper, nec constanter, nec omnibus libris fuisse Lutheranum S. Augustinum: nec tamen adscribis quod debuisses, quæ ætate Lutheranus: extrema an prima, an mediâ fuerit, & in qua sententia oppetiuerit sanctissimus Pater mortem. Itaque Pappè, triumphū istum consecutus es, vt nemo sit, qui non intelligat te fidem tuam iuramento constrictam non modò non seruasse, sed ne cogitasse quidem vnquam vt seruares, & eousque processisse, vt magno cum dedecore & admodū inuerecundè, tanquam si ad gloriam tuam attineret, publicè sis inconstantiam illam confessus: tamen vt interim, quod alterum iurisiurandi tui membrum erat, ad nos Papistas Catholicamque fidem non transires, id est, vt prorsus nihil eorum, quæ iurasses, seruares, & non seruaturum diceres: quod malui tuo & tuorum iudicio ad considerandum relinquere, quàm exaggerare verbis: cum & vicem tuam vehementer doleam, & si ex Lutherana te incuria & hebetudine ad sanandas aliquando labeſ conscientia suscitabis, sperem futurū, vt Catholicus factus miseriam ipse tuam lugeas & obiurges. Quod nisi considerem, quid me facturum putas Pappè? postquam spem omnem de seruandis quoquo modo pactis abijciēs, idque publicè professus, tamen ad fidem nostrā non accedis: & religionem iurisiurandi non respectas: laboras magis, vt peccatum accumules: & sanctissimum Patrem inconstantem opi-

natores & idololatram S. virum fuisse: tum simul Lutheranam esse nouam prorsus Ecclesiam, dissimilem omnibus antecessis Ecclesijs: & continuo te refutans, doctrinam nostram & antiquam & nouam esse confirmas.

Id igitur de parallelis tuis, infinite abiunctis parallelis, tertio loco demonstraui clarissime.

CAP. III.

In quarto capite quod in parallelis reprehendimus, quoties Pape verberandus flagellis esses? quod historiam Emetingani colloquij contra protocolli fidem, contra eorum testationem qui interfuerunt, contra conscientiam tuam a pertis falsitatibus aspersisti, & res quæ vel nunquam oculis vel auribus susceptæ sunt, tanquam si reuera accidissent, sic commemorasti.

Sed Pape non omnes hinc excutiemus falsitates tuas: Agemus solum de historicis quæ ad rem gestam in colloquio pertinent. Theologicas & dialecticas reijciemus in vltimum caput & in calcem libri.

I. Falsitas historica Pape.

Principio, Pape, falsum est, à viris Catholicis aduersarijs tuis requisitum fuisse vt Doctorem vnum consentientem cum Augustanæ Confessionis articulis proferres. Id Pape si de protocollo probabis, magnum te virum esse sinemus. Congruentem cum Luthero & cum Lutheranismò vniuerso & omnibus huius varietatibus Princeps sanctiss. iussit, & petierunt ceteri vt retro ex tota vetustate, & ex longissima omnium post Apostolos seculorum memoria nominares virum vnum vel Ecclesiam vnam. Tu verò vt fucum lectori obijcias: tanquam si in inuolucro Augustanæ confessionis totus inclusus Lutheranismus esset, sic inter res diuersas, & inter totum & partem non distinguis, & affirmas accidisse, quod reuera non accidit.

De Christi & S. Pauli testimonijs & loco Egesippi, & fundamēto perpetuo relicto in literis sacris obijciemus hinc nihil: differemus in caput quintum. tantum quod monere voluimus, in protocollo sic non esse, nec tam copiose inscripta, vt tu narras. Nam scripturæ quidem breuis-

breuiffimam protocollum mentionem facit. De loco verò Egesippi obiter innuit, fuisse nominatum à te Eusebium, qui Apostolorum ætate tradat puram fuisse Ecclesiam, repressis adhuc hæreticis: deinde hæreses magis atque magis vsque ad Antichristi partum sustulisse caput. Sed vberiore istam amplificationem iactationi tuæ populari vel obliuioni assignabimus: & in extremo capite, quanti momenti sit, persequemur.

Secundò falsissimū est Pappæ, & falso falsius, & egregium contra veritatem ductum parallelum: præmonuisse te vnquam, si dirigenda Catholica fides ad acerrimam esset antiquitatis normam, actum iri pessimè nobiscum. Esse enim nostra omnia & quidem ea, quæ Lutherani auersantur, ita noua, vt initia ostendi ex ipsis Pontificijs scriptoribus, quando nasci cæperint, & simul confutari ex sacris literis possint. Nouum esse totum doctrinæ Catholice nostræ genus, scripturæ & veterum seculorum Patribus purioribus ignotum: vt merita Operum sunt, & Confessio auricularis, & Satisfactio imposta à Sacerdote, & propitiatorium Missæ sacrificium, & Sacramenta quinque præter Baptismum & Cœnam, item Purgatorium, & Monasticus ordo, & primatus Pape, & sexcenta alia.

II. Falsitas historica & Theologica Pappi, mater sexcentarum falsitatum.

Hic Pappæ, quot verba posuisti, tot scripsisti falsitates: nec semel tantum sed bis & duobus modis sunt falsa omnia: primùm Theologicè & per se: deinde quia in colloquio publicè obiecta fuisse fingis, cum de ijs in protocollo, in quo notati sermones tui sunt, verbum exstet prorsus nullum.

Dic igitur Pappæ quando dixeris? quo die? qua horâ clàm an publicè: senseris an dixeris? secundum quietem an vigilans? Et tametsi, Pappæ, vel intus vel foris vel animo comprehendisses vel esses verbis elocutus, quod non factum est: tamen Pappæ, essent impudentissima sexcenta Lutherana mendacia. Nostra omnia, de quibus vobiscum litigamus, antiquissima sunt: & tantò veriora quò antiquiora vestris, & ab Apostolis vno perpetuo itinere per ætates omnes progressa ad memoriam nostram, & confi-

consignata in literis sacris, in scriptis SS. Patrum, in sanguine Martyrū, in perpetua possessione Ecclesiæ, in pulcherrima omnium temporum consensione: ut tu ipse contra te Pape concedis, & antiquitatis studium in nobis reprehendis. Sed illud vberimè refutatum in capite iam tertio fuit: nec plus hîc adscribam, quàm primum apertè falsum esse mendacium, tametsi Emetingæ dixisses: secundò falsum esse, quòd memoriam istius mendacij Emetingæ attigeris verbo vno. Duplex est falsitas Pape: & quia nouas sexcentas doctrinas apud nos esse scribis, amplificas ipse falsitates in bis sexcētas falsitates alias.

III. Falsitas
historica
Pappi.

Tertiò falsum est, nō habuisse aduersarios quod contra te proponerent. Miramur Pape, an reliquum vllum sensum & pudorem vllum habeas. An nihil habuit Princeps sanctissimus, cū vel os tuum sic constringeret, ut sæpe obmutesceres, vel in tam absurdo te ex ipso Luthe- ro, ex concessis tuis contruderet angiportus: ut ipse quid commodè diceret, & quomodo disputationem sustineret, non reperires, & de vno absurdo in aliud prolapsus, tandem te ipsum miserrimè circumplicares, primumque deliberandi spatium in alterum diem: deinde in tertium mensem peteres. De Domino Zehendero nihil dicam, qui vix mensis vnus Neophytus, & adhuc Catechumenus Catholicus, senilem tuam triginta annorum Lutheranam absurdam literaturam in fumum disecit, & quid Deus pro populo suo possit, quasi nouus David contra immanem Goliath Philistæum, exēplo suo comprobauit: cū tu alioquin circūfluens verbis, in omnes te partes circumuolueres, & iam Ecclesiam permitteres regi à Spiritu sancto: iam non regi: postea eundem hominem simul à Spiritu sancto in quibusdam regi: in alijs non regi: & regi quidem in illis, in quibus rectè sentit: non regi in alijs in quibus errat. Deinde Ecclesiam errare in partibus, & quia partes errant, errare totam. Præterea Ecclesiam errare & non errare, sed tantum obscuriùs intel-

intelligere: item fuisse multos contra Papam confesso-
res, Lutheri similes: tamen ne vnum quidem sine delibera-
tione posse nominari: similiter Ecclesiam oppressam
tyrannide non confiteri liberè fidem. Sed quid ista com-
memoro? consciētiam interroga tuam: quare ex omni-
bus Lutheranis qui interfuerunt, quare ex fœderatis tuis
Ecclesiarum non missis ministris, quid dixeris, quid fece-
ris, quàm absurdè, quàm indignè autoritate tua. Lege pro-
tocollum, Pappe: reuoca te in memoriam, recollige pu-
dorem: cogita quàm bene delusus, quàm ignominiosè
discesseris: vt sine dubio nūquam te Emetingam & nun-
quam Schmidlinum fabrum multarum vanitatum Bade-
nam venisse adhuc velles: & tum respōde Pappe, vel nos
fortassis edendo protocollo te anteuertemus: vt falsita-
tes tuæ, nobis tacentibus, de scripto tantum legantur.

Et Pappe si aduersarios tuos sic fregisti, si tantum de
illis egisti Emetingæ triumphum, quantum verbis iam
fuisse simulas, cur ita subito defluxit tibi fiducia victoriæ:
vt mecum coram sanctissimo Principe congregari, statim
post extremam sessionem ab intercessore Varenbulero,
Principis consiliario & legato vehementer rogatus, non
velles, cum tamen in cursu medio colloquij, Principi, si
prior disceptatio commodè succederet, de eo spem fecis-
ses? Itaque si victor ex primo colloquio abscessisti: cur
contra promissum, nō venisti mecum ad vnius horæ col-
locationem? quid adeò statim alacritatem interuertere
potuit tuam, vt vesperi in cœna, in qua nobiscum præter
sanctissimum Principem multi Lutherani testes accubu-
erunt, exprimi verbum vnum de astrictis faucibus non si-
neres, cum Dn. Doctor Hænlinus & ego, ille confidens
ad latus tuum, ego penè oppositus in mēsa, & Lutherum
& Lutheri fatuitates vnus defenderet, alter euerteret?
cum totam istam disceptationem ad te euocādum com-
paratam esse sentires? cum Principis minister non ita sa-
piens circūgressus tabulam, te à mœrore ad hilaritatem

H

auo-

auocaret? cū omnium oculi in te hærerent, & pro Lutheri patrocinio exspectarent vocem vnā? syllabam vnā? Tum igitur cur nouus victor, contra percussos & mutos deuictos Papistas, oblitus laudis victoriæque tuæ, non os semel aperuisti? cū & Lutherum vexari & te ludi, & tu scires & sentirent atque riderent omnes.

Meministi ipse Pape: si negabis, testimonium contra te personæ viginti dicent. Quid igitur in mentem venit Pape, vt tam perspicuā falsitatem in publicum aspectum referres?

III. Falsitas
historica
Pappi.

Quartò Pape, falsum est, cū aduersarij tui consensum omnium temporum ingeminarent, voluisse te exemplo S. Augustini rem clariorem facere. Non cū de omnium ætatum consensu ferueret disputatio: sed cū sæpissimè iustus & tanquam incussis flagellis coactus esses, vnum nominare per mille quingentos annos Lutheranum in Ecclesiæ per omnes orbis prouincias decursu: non statim nominasti, sed sessione tertia, quarto die Iunij promisti tantum, circumspexitur te interim de responso & postridie ad proximum conuentum venturum paratiorem. Tamen toto quinto die Iunij in vtroque congressu tacuisti, tanquam piscis: & sexto primū die lacesitus iterum de nouo, S. Augustinum protulisti, & totā illius ætatem. Non igitur voluisti quasi respondens, ad omnium temporum consensum: asseclam religionis tuæ producere S. Augustinum, sed inuitus & coactus postquam insidiosè de die in diem distulisses, tandem non S. Augustinum solum: sed & illum & omnes istius seculi Doctores proposuisti vt subscriptores Augustinæ confessionis.

V. Historica
falsitas Pappi.

Illā enim quinta falsitas tua est, quòd Augustini exemplo restari sententiā volueris tuam. Vti voluisti Pape, omnium Doctorum qui cū Augustino vixerunt, & simul Augustini testimonio: vt de protocollo sub initium libri recitauisti: nec negabis Pape, contra protocolli literam.

Sextò,

Sextò, Pappe, verum non est, quòd statim admonueris, non esse tibi ignotum quòd suas opiniones Pontificij ex eodem Augustino defendant, & fecerit magno volumine R. P. Hieronymus Torrensis. De isto P. Torrensi, Pappe, verbum tum nullum edidisti, nec exstat in protocollo: sed post vtranque sponsonem, cùm de confessu surrexissent omnes, cùm D. Doctor Hænlinus sollicitaret, vt statim quod dixisti ostenderetur: tum demum aiunt obiectum fuisse istum Doctorem Torrensem, non quòd crassum volumen in lucē emisisset: sed quòd D. Doctor Hænlinus adiutus libro Torrensis meritò paratior esset quàm tu, qui tali subsidio careres. Quòd verò monueris, quomodo scires defendi à nobis ex S. viro fidē nostram: & quòd perspicuè adieceris, futurum, vt contraria testimonia proferantur: dissentit protocollum, & negāt qui interfuerunt. Verba protocollum istiusmodi sunt. *Tametsi verò post probationē meam ex illis iisdem Patribus fortassis (schon) probaretur, docuisse simul contrarium, tum primum noua nasceretur quæstio, vtram sententiam ipsorum sequendam iudicarem.* Non igitur monuisti te scire: nec perspicuè adiecisti futurum: sed timidè & de scientia diffidens tua, subdubitasti & proposuisti conditionem: *(si contraria proferrentur)* nihil dixisti affirmatè: nihil perspicuè: nihil sine dubitatione.

Septimò, quo rubore dices, Pappe, visam tibi statim fuisse iniquam D. Doctoris stipulationem? an quia præstari non posse præcognoscebas? Tum verò cur fuisti stipulatus rem iniquam, vir & imprudēs & hostis æquitatis? An quia contraria sciebas esse in Augustino? at quomodo Pappe, intelligebas esse contraria? an verè, an in speciem? an in prima, an in extrema S. viri ætate? De illis verò Pappe, cur verbum nullum adiunxisti? cur monuisti prorsus nihil? cur ne dubitasti quidem vt feceras priùs? dictamen quomodo iniqua fuit idcirco stipulatio, quòd scires reperiri quædam in Augustino, quæ Pontificij pro se allegant? At quomodo allegabant Pontificij, Pappe?

VI. Historica
falsitas Pappi.VII. Historica
falsitas Pappi.

an ineptè? & tum quomodo iniusta fuit stipulatio? an aptè? igitur Pape cur non apertè tum enūtiasti? cur adhuc dissimulas? Sed Pape vel posse seruari pactum antè sentiebas: & stipulatio iniusta esse non potuit: vel non posse, præcipiebas animo: & tum cur iurasti ἀδύνατον? cur in pactiōnem iniquam consensisti? cur quid intus sentires, non patefecisti? cur illusisti Principi sanctissimo, in ista tuorum & nostrorum omnium tanta tamque grauitè concitata exspectatione? Quid iudicas Pape? Vel falsum dicis, quòd iniquam esse stipulationem præiudicaueris, vel imprudēs & ineptus vir es, & alienus ab æquitate, quòd pactiōnem sub iureiurando subires, quam expediri vel omnino non posse, vel ita non posse sicut iuraueras, intelligebas antequam iurares. Delige vtrum placet, Pape.

IX. Apertissima falsitas Pappi.

Octauò falsissimum est Pape, quòd post D. Doctoris Hænlini stipulationem te spondidisse scribis: *nisi id quod in te receperas, de confessionis Augustanae articulis ex ipso D. Augustino comprobandis re ipsa præstares, futurum te Pontificium.* Sic Pape in extrema sponsione, quæ stipulationi adiuncta fuit, nunquam dixisti: promissisti sub fide dexteræ coram Deo & Mundo, vt verba tua sunt, *nisi commonstrares S. Augustinum per omnia fuisse LUTHERANVM, futurum te & mansurum Papistam.* Ibi de Augustana confessione intercurrit vox nulla, neque D. Doctor Hænlinus eam nec Princeps sanctissimus vel post vel ante sponsionem vtramque nominauit: nec tu quarto die Iunij dissimulabas quid ab aduersarijs quæreretur: cùm id versari in quæstione repetēs de aduersarij sermone diceres, *An durare Papatu possit vnus vel plures proferri, qui in capitibus fidei ad salutem necessarijs per omnia cum Lutheri opinione consenserint: idq; te postridie cùm melius ad rem instructus esses, declaraturum promitteres.* Sciuisi igitur non de Augustana confessione, sed de toto Lutheranismò quæri: & quanquam tu in prima promissione confessionem istam vestram, contra tuam ipsius de statu cau-

sa sen-

ſe ſententiam intruſiſti, tamen in ſtipulatione de qua hîc loqueris, & in extrema ſponſione falſiſſimum eſt Pappæ, tum voluiſſe te eſſe Pontificium, ſi Auguſtanam cõfeſſionem ex S. viro non probares. Iuraſti Pappæ, Papiſtam te futurum, ſi non doceres, fuiſſe Lutheranum per omnia S. Patrem. Diximus verò iam antea quantum inter Lutheranismum & cõfeſſionem intercederet diſcrimen: quanquam in eo conueniunt, quòd vtrumque ſemel cõctum, poſtea quotidie recoctum fuit. Nec eò cogitatione ſpectamus, quòd de cõfeſſione faciliùs fortasſe probare iuſiurandum potuiſſes, quàm de Lutheranismo: ſyllabam nullam cõfeſſionis veſtræ, quæ inter vos controuerſiam habet, probaſti Pappæ, nec probabis quãdiu ſtabit Lutheranismus. Literam nullam fecit S. Pater, quæ in controuerſis articulis vobiſcum ſentit: & fatuitatem veſtram confirmat: & æquè non potes de cõfeſſione atque de Lutheranismo: & ne quidem de vnica potes cõfeſſionis theſi. Tamen vt quid iuraueris, & quid iam dicas, pateat omnibus: apertè cõmentitium eſt Pappæ, indignum literatura tua, quod iam publicè nihil verecundans fingis, tum te iuraſſe acceſſionem ad Papatum, ſi ex Auguſtana cõfeſſione conſenſionem S. Patris non oſtēderes. Non id dixiſti Pappæ: falſum eſt: promiſiſti, niſi S. virum confirmares fuiſſe per omnia Lutheranum, ſtatim te futurum & manſurum Papiſtam.

Nonò falſum eſt Pappæ, id ſolum nobis de te reſtare, vt demonſtremus mala te fide uſum eſſe in citãdis S. Auguſtini verbis. Non ſic Pappæ iuratum Emetingæ, neque ſic diſceſſum fuit, vt ad ſonum verborum attenderetur, vt qualiacunque verba citares, ſed vt congruenter & aptè citares, & doceres Lutheranum fuiſſe S. virum. Tametiſi igitur verbum nullū peruertiſſes, tamen fuit officij muneris que noſtri, teſtatum relinquere, quomodo prorsus nihil ex non appoſitè appoſitis teſtimonijs probaſſes, & quomodo in rem omnino non conuenirent, quæ ex ſan-

Et viro tanquam puer alphabetarius ad manum exercendam per otium in charta appinxisti.

X. Historica
falsitas Pappi.

Sed & decimò falsum est Pappe, nullam in citando interuenisse fidem malam. Non enim ea posita in corumpendo tantùm est malitiosè textu, & inepta allegatione: patet mala fides multò longiùs: cùm truncatur & studiosè contorquetur & contra conscientiam ridiculè apponitur textus: & cùm pro albo ostenditur nigrum, pro capis allia, quæ omnia de te probamus Pappe, & id potissimùm quòd operam nunquam dederis, vt conferens S. Augustinum cum S. Augustino, veram S. Patris & legitimam sententiam doceres, quod te fecisse turpiter vndecimò comminisceris. Illud verò libenter concedimus, ad scripta sepè numero clara fuisse & perspicua S. Patris testimonia, sed quæ vel ipsa imprudentiâ tuam aperitissimè redarguerent, vel toto cælo tanquam vera parallela à thesi tua æquabiliter distarent, vel ad rem facerent prorsus nihil.

XI. Historica
Pappi falsitas.

Hæc igitur hæcenus Pappe, de crassioribus inanitatibus tuis, quas in præfatione contra perspicuitatem & lucem protocolli turpiter in vna ferè pagina, cum alijs Theologicis falsitatibus contexuisti, & quas Emetingæ in colloquio accidisse contra veritatem historiæ, contra consciëntiam tuam, contra testimonium grauissimorum hominum malè narraisti Pappe: & tuam iam antea ex neglecto iureiurâdo grauissimè concisam & delumbatam fidem dedecorasti multò magis, vt rursus Pappe quid de te sentiamus, nisi ad seruandum promissum te reuoces, Catholicamque nostram solam veram fidem, ad sanandam prioris vitæ tuæ turpissimè vulneratam fidem adhibeas, non videamus.

CAP. V.

Tantoq; magis, quòd præter historicas falsitates (propero enim ad quintum Epistolæ caput) multis Lutheranis Theologicis & magnam partem in colloquio refutatis exilitatibus & mendacijs præfationem complere, &
vete-

veterem imbellem toties iam profligatum militem de nouo ad dimicandum in aciem intrudere pro inconsiderantia tua voluisti.

De eo igitur deinde breuiter ante conclusionē agam: & rursus deliramēta tua non omnibus momentis ad extremum prosequar: maiorem ego rationē quā tu ipse habuisti, inibo pudoris tui Pape, & tantū breuiter attingam, vt quia sensus stupore vulnera & angorem conscientia non sentis, cohortatione mea, quasi stimulos incutiam ad euigilandum, & ad animi agnoscendam durtiem, & ad coniungendum te cum Ecclesia nostra.

Primū mentiris Pape, nec enim in immoderatam petulantiam tuam verbum possum vllum apponere mitius: ignosce igitur Pape: mentiris impudēter cū prefationis initio, homines Catholicos nostros autoritibus scripturæ scribis hætenus ita constrictos conuictosque fuisse, vt in ipsarum scripturarum autoritatem sint conuersi, quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas, ab ijs qui traditiones Valentini ignorant: quod tu S. Patris Irenæi dictum, quod ille in hæreticos Lutheri similes iecerat, flagitiosè ad nos & ad Catholicam fidem accommodas. Dic enim Pape vbi? quo Imperatore? quo loco? quo libro? in quo angulo victi, & in angustias coniecti nostri sunt? dic Pape si verum est quod scribis, vbi factum est? dic si boni viri nomen tueri cupis: dic quando in ordinem autoritibus scripturæ sic redacti: quādo ab hæreticis vobis sic pressi fuimus, vt ad ineptum vllum diuerticulum confugeremus. Falsum igitur primū est, Pape, doctum Catholicum vllum vnquam ex scriptura conuictum esse. Vos ex scriptura victi semper fuistis: à vobis triumphū istum ex scriptura semper egimus. Et Pape, si placet, accipe conditionem: dispuremus corā Senatu tuo ex sola scriptura. Si me vinces, minimum omnium Catholicorum, si ex scriptura cōstringes, decer-

I. Theologi-
ca Pappifal-
fitas.

decernam tibi lauream Pape pulcherrimam, conuer-
sionem meam & multorum ad opinionem Lutheranam
tuam. De eo interim responde Pape.

II. Falsitas
Theologica
Pappi.

Secundò falsum est, reprehendi scripturam à nobis,
& accusari, quòd non rectè habeat, & ex autoritate non
sit, & quòd variè sit dicta: id totum de nobis falsissimè di-
cis. Ad vos si transferres, faceres optimè. Verum est Pap-
pe, illam nō pulchram sed turpiter deformem Helenam
vestram de omnium credendorum in scripto verbo pla-
nissima comprehensione, quam in omnibus libris tan-
quam numen aliquod obiectatis, refutari grauissimè à
nobis & iucundè rideri, non tantum quòd hæreticum sit
deliramentum, sed quòd à seipso statim cum ponitur, eli-
datur. Si enim, quòd sæpe dixi Pape, nihil est credendū,
nisi quòd credi sacra scriptura expressè iubet, quomodo
credemus Pape, inscripta omnia esse in literis sacris?
cum nullo iubeamur scripturæ loco? Recita Pape, lo-
cum vnum ex omnibus scripturæ libris, in quo mādetur,
vt ea tantum, quæ scripturæ complexione apertè conti-
nentur, credamus, & extra relictum nobis scriptum ver-
bum credamus nihil? recita Pape si potes, sed ne recita
illa Pape, quæ iam vobis omnibus in mea cum Grynæo
disceptatione de manibus expressi, & inanes sonos ve-
stros esse, non esse scripturæ sententiam ostendi: aut si
pro consuetudine Lutherana tandem toties tamque gra-
uiter damnatam cātilenam denuo canes, solue simul ar-
gumenta, quibus & tum à me & sæpe ab alijs exposita ve-
stra repressa que fuit in scriptura tumultuādi libido. Sed
non potes Pape, & ipse Lutherus te redarguet, qui mul-
ta quæ scriptura non iussit, tamen si non expressè prohi-
beat, credenda & vtenda sectæ tuæ reliquit, & contra Ca-
rolstadium consuetudinem negatiuè ex scriptura ratio-
cinandi magno clamore reiecit. *Ille omnia, inquit Luthe-
rus, que quanquam in sacris literis expresse non iubentur, tamen nec
damnantur, credi liberè sine offensione possunt.* Non igitur Pape
Luthe-

Luthero idolo tuo semper omnia erant in sacris literis inscripta, & falsissimum est vllam inde inferri in verbum à S. Spiritu sanctissimè dictatum & in sacram scripturam iniuriam, vt vos inepti hæretici ineptè & hereticè contra scripturam concluditis. Iniuriam nemo facit scripturæ, qui sic sentit. Honorem habet Pappè.

Deinde alteram & cramben vestram de clarissima & omnibus pueris testata perspicuitate scripturæ, quam & Lutherus architectus, & vos istius monstri pro creatio interdum, vt puppim & proram erroris vestri defenditis, & rursus, cùm commodum est, pedibus conculcatis, libenter profitemur sine vlla scripturæ ignominia, tanquam puerilem & arreptam extra scripturam fatuitatem à nobis isto crasso & infinito modo quò vos animales homines soletis, non admitti. Non leges in scriptura Pappè, in tam claro lumine collocatum esse scriptum verbum, vt ab omnibus septennibus pueris, & rusticis & sartoribus possit perspicui. Falsum igitur ex vestris mysterijs est Pappè, quod dicitur, & nos rectè sentimus, perspicuam esse scripturam non omnibus, non pueris, non a finis, nō hominibus animalibus: sed spiritualibus, quorū lucernam Spiritus S. illuminauit, sicut Propheta loquitur, & qui spirituales facti, literas Spiritus S. in obsequio Ecclesiæ & de Ecclesiæ institutione legere didicerunt: qui in lumine Spiritus S. non in turbulento caputum suorum arbitrio vident lumen à Deo accèsum in scriptura. In lumine Dei videre lumen Pappè, & in Ecclesia esse, & an sit constare debet, qui intelligit scripturam. Extra Ecclesiam nec inspiratio Spiritus S. nec intelligentia scripturæ, nec perspicuitas est. Deinde aperiendi à Deo oculi sunt ad consideranda mirabilia legis, & declarati, non simpliciter recitati sermones illumināt & intellectum dant paruulis. Sic igitur perspicua est scriptura, cùm intus in animis hominum collustratur nouo lumine Spiritus sancti, & cùm in Ecclesia legitur in domo Dei, columna & firmamento

veritatis, & in huius obsequio: & interpretatio ex Spiritu sancto, sed per Ecclesiam suscipitur, per vnicum Spiritus sancti canalē, per quem in animos influxit, & per vnicam eius vitulam, in qua arari vult, ad inueniendas propositiones, vt Samson inquit. Reliquæ interpretationes eorum, qui in Ecclesia Catholica non sunt: & quæ ab Ecclesia non sumuntur, sed magis contra perpētuum Ecclesiæ Catholicæ confessionem hauriuntur intus ex nouis nouarum opinionum influxionibus, tenebræ sunt, mendacia sunt, fatuitas sunt, claritas non sunt, veritas non sunt, sapientia non sunt Pape. Nec iniuria illa est scripturæ: Quod vos eructatis, omnia esse in sacra scriptura, & propositam illam esse ante omnium intelligentiam, ista summa est iniuria scripturæ, vt dedecorari magis & ludificari S. Spiritus & scripturā non possit. Non volunt scriptura & huius dictator Spiritus sanctus à vobis perfici, vt vos addatis quod Spiritus apponere nō voluit: quasi eousque subtilitatem vestram Deus expectasset, vt à vobis compleretur quod intermissum ab illo neglectumq; fuit. Contumelia est illa, Pape, Spiritus sancti & scripturæ maxima. Non igitur Papiſtę accusant scripturas, quod non rectè habeant, & ex autoritate non sint. Vos facitis, Lutheri stellæ, quas cauda sua de cælo in terram detraxit: ipse Lutherus fecit: qui scripturā omnia credenda complecti, qui planissimam esse scripturam septennibus pueris, & contra & extra scripturam, & contra seipsum docuit, nouator & corruptor scripturæ & Ecclesiæ.

Agam hîc propiùs tecum Pape: Autoritatem scripturæ quomodo vellicauerit Lutherus, quomodo corruerit, quomodo in contemtionem proiecerit, an cuiquam dubium adhuc est? qui multos libros scripturæ, Epistolam S. Jacobi, Apocalypsin &c. scripturā esse non finit: iterum probat: damnat, rursus laudat: qui integra capita de corpore scripturæ decerpit: qui voces integras contra omnes linguas de libidine sua in textum infercit: qui

qui non omnes libros noui Testamēti ad salutem necessarios esse tradit: qui de ipsis Euāgelistis & Apostolis, tanquam si futores essent, scurriliter iudicat: qui versionem Latinam, multarum Ecclesiarum per multas ætates vnicam versionem, conuellit: qui textum Græcum veteris Testamenti, ab ipso Christo & Apostolis vsurpatum & translatum in Testamentum nouum, ex Hebræo nostro textu peruertit: qui Hebræos textus in veteri Testamento pro originalibus habet: non habet textum Christi & Apostolorum: qui Græcum nouum Testamentum purius esse putat quàm Latinum: eoquē Latinum conuersum ex antiquis libris, qui priscais temporibus erant, cum ab illis dissidet, petulanter culpat: qui Spiritum sanctum & Spiritus sancti libros sub arbitrium suum subijcit: qui Ecclesiam vnde scriptura, quoad nos, auctoritatem externam vniuersam mutuatur, & sumit testimonium, Ecclesiam Christi esse non permittit. Ista cum de Luthero & ab alijs & à me probata in causis sint, quas pro sanctissimo Principe Badensi Marchione Iacobo scripsi, quid Pappē, dubitatis turbinem scripturæ & tempestatem Ecclesiæ & procellam in Spiritum sanctum agnoscere Lutherum? Nega aliquid Pappē si potes, procede in publicum: Iube vt quæ tum obiter proposui, planiùs & copiosiùs amplificem: ero certè paratissimus Pappē.

Vides igitur, omnia ista crimosè à te in nos Catholicos intorqueri: cum vestræ sint turpitudines, vestra flagitia, vestræ iniuriæ. Nos scripturam nunquam accusauimus: fatemur, quantum Spiritui sancto cōferre in libros & ad nos propagare placuit, tantum in illis inscriptum esse: nec negamus ita perspicuam esse scripturam, vt Spiritus sanctus autor illius perspicuam esse voluit. Id negamus Pappē, omnia voluisse Spiritum sanctum scribendis libris complecti: negamus voluisse res maximas, & sapientiam Dei sic illuminare verbis, vt puer vel sutor quisque in literarum picturam intuēs, res per totam scriptu-

ram sparsas, & rerum intelligentiam abstrusam sub literis & mysteriâ maxima in paucorum verborum inuolucris significata, statim perspiciat, etiam cùm hæreticus est, cùm in Ecclesia non est, cùm in Spiritus sancti lumine nō est. Id igitur negamus Pappæ, & non negamus vt Lutherus fecit opinator: qui aliquando pueris omnibus scripturam subiicit: rursus tam difficilem esse ponit, vt omnes S. Patres propter linguarum ignorationem, quid Spiritus sanctus vellet, non consecutos esse confirmet. Sic igitur bilinguis Lutherus negat. Nos simpliciter & constanter negamus, esse vlllo loco in scriptura, quod Spiritus sanctus omnia in librorum monumentis consignare & ad nos posteros transmittere, & tam apertè tradere cogitauerit, vt à pueris & sartoribus statim introspiceretur. Nec tamen accusamus scripturam quasi nō rectè habeat, & ex autoritate non sit. Calumnia illa Pappæ, tua est & mendacium tuum: planè vt asini calcearij Tubingensis & aliorum Lutheranorum patrum puerile & ineptum mendacium fuit, cùm quod Hosius Cardinalis sub persona Lutheranorū & Schuuenckfeldianorum in libro interposuit, asinus ille & illi infani patres, tanquam si pro se dixisset, adscripserunt, & sanctissimum Cardinalem finxerūt vituperatorem esse scripturæ: quod miror, quomodo tu Pappæ, sis hoc loco oblitus.

Verùm nos laudamus scripturam, & rectè in omnibus habere & splendere diuina, & maxima autoritate testamur: & ego hîc magna voce inclamo: vt audiant cælum & terra iniuriam, quam nobis per mendacium imponitis: Laudamus scripturam, & miramur Spiritus sanctus in ea diuinam prudentiâ & benignitatem Dei: quod tum scriptis, tum conseruatione traditionum perpetuari ad nos Euangelium filij sui: & quod lumen in Ecclesia præferri, ad lumen aspiciendum abiunctarum à sensu intelligentiæque nostra rerum: & quod domum in mundo ædificare voluit, quæ columna & firmamentum veritatis
 contra

contra omnes sectas, & contra omnes absurdas & arbitrarias interpretationes esset.

Tertiò falsum est, traditiones quas culpatur S. Irenæus, esse traditiones nostras, & pertinere locum ad infirmam Ecclesiæ traditiones, cum apertissimum testimonium pro traditionibus Ecclesiæ ad intelligendam scripturam & ad refutandos hæreticos in isto eodem loco statim subiunxerit, & cōtinuis quatuor capitibus explicauerit pulcherrimè S. Irenæus Pater. Hostis enim iuratus Lutheranae sectæ in traditionibus fuit.

Credo enim te Pappè, quia partibus Lutheri infectus intelligere S. Patrè non potes, legisse, quid fol. 70 & 71 in analysi thesèi Heerbrandi de Ecclesia notauerim, & quomodo S. Patrè, & illum ipsum S. Patris locum retulerim in iugulum Heerbrandi totiusque sectæ vestræ. Non enim de veris Ecclesiæ, sed de hæreticorum commentitijs traditionibus isto loco quem tu adducis, loquitur S. Pater: nec traditiones Ecclesiæ vituperat: sed contra hæreticorum traditiones statim adhuc in eodem capite ponit: & ad has, successionibus Presbyterorum in Ecclesia custoditas traditiones, deinde prouocat hæreticos: & sola traditione sine scriptura doceri posse, & multis locis doceri Euangelium: & ex traditionibus veterum Ecclesiarum explicandam esse scripturam, si obscura vel dubia facta sit, tradidit. Cur igitur Pappè, si ista legisti, si textum in S. Patre adspexisti, periclitari tuam magis audes iam antea satis conflictatam verecundiam? Quid Pappè? quid dicam? quid sentiam? An euertit S. Pater traditiones Ecclesiæ? cum laudet? cum ad perspiciendam scripturam, ad tollendas dubitationes, ad illuminandam religionis veritatè requirat? nec sub traditionis vocabulo scripturam intelligit, vt Lutherani contra S. Patris perspicuitatem contendunt, sed traditionem à scriptura discriminat, & cum primùm traditionem quatuor capitibus proposuisset, quinto capite procedit ad scripturam, idque se fa-

cere palam profitetur. Iniuriam igitur, Pappo, facis S. Patri: cum traditiones Ecclesie obiurgari ab eo & quasi non necessarias ad scripturam intelligendam haberi significas: cum ille hæreticorum reijceret: laudaret Ecclesie, & ad explicandam scripturam adhiberet traditiones.

III. Theologica falsitas Pappi.

Quartò falsum est, campum patere in S. Augustino latiore & vberiore ad euagandum, quam in sacris literis: multò enim est angustior. Primùm illa cõcisa scripturæ breuitas non est in S. Patre. Scripsit S. Pater omnia tanquam interpres multò verbosius: & locum unum scripturæ & repetiuit sæpissimè, & quantum potuit, illuminauit: vt quod vno libro in obscuritate relictum videri posset, explanauerit in alio. Quod enim multis verbis illustratum copiosè fuit, tam obscuros & difficiles explicatus non habet, quam quod paucis verbis proponitur. Deinde non suam, sed totius Ecclesie sententiã docuit: & quia exagitata à diuersis hæreticis erat: quò plus operæ ad confutandos hæreticos adiecit, & quò plenius hæreses euertit, tantò notior nobis & testatior est S. Patris sententiã: non tantùm ex perspicuitate & vbertate quam adhibuit in dicendo, sed etiam quòd ipsa hæresis iuxta veritatem collocata magis inuoluram rem totam aperiat. Sed pergamus Pappo ad falsitates alias, quæ interspersæ sunt in præfatione.

V & VI. Falsitates Theologicæ Pappi.

Quintò, Pappo falsum est, si simpliciter enuntietur, fundamentum esse sacras literas, id est, librum Biblicum, vel literas libri Biblici: & sextò falsum est, vbi istæ retinentur, retineri fidei fundamentum, quod non in externis notis sed in rerum per notas significatarum comprehensione consistit. Nec effugies Pappo, si te non ad literam, sed ad sensum intelligentiãque scripturæ respexisse dices: magis te inuolues. Vel literam scripturæ, vel intelligentiam ponis in præfatione pro fundamento ad confutandos errores: & illud ais retentum in Ecclesia fuisse semper. Si literam, id est, externas notas & syllabas vis esse

perpe-

perpetuum Ecclesiæ fundamentum: falsum dixisti quòd Emetingæ in colloquium res vnquam ista venerit: deinde vnum Catholicorum & hereticorum, Christianorum & Iudæorum fundamentum esset, & eiusmodi fundamentum, cum quo infinita millia hominũ in infernum profiscuntur. O fundamentum quod in se nisi intelligatur, vsum prorsus nullum habet: sin scripturæ sensum pro fundamento habes, loqui te necesse rursus est, vel de vera orthodoxa, vel de adulterina hæretica intelligentia. Hæreticam recipere pro fundamēto non possumus: Orthodoxam igitur sine dubio intelliges, & orthodoxus scripturæ sensus ex tua opinione retentus semper in Ecclesia fuit. Falsum igitur rursus est, quod contra te scribis, non semper puram fuisse Ecclesiæ doctrinam, & verum est Pappæ, ex tua thesi, semper in Ecclesia veram & orthodoxam eoque puram fuisse scripturæ interpretationem & comprehensionem.

Si rursus dices, permittere te de parte scripturæ, non de tota: repeto argumentationem vniuersam: Vel intellecta scriptura vel non intellecta, est perpetuũ fidei fundamentum & dominatrix errorum. Iterum vel tota intelligi debet, vel satis est partes aliquas intelligi, & adhuc vel partes omnes necessarias ad salutem, vel non omnes. Quid eorũ dices Pappæ? An non intellecta scriptura, vel non intellecta in partibus omnibus necessarijs est fundamentum perpetuum? sed tum quomodo ex non intellecta scriptura redarguẽtur errores? An fuit seculum post Christum, quo non intelligebatur scriptura, & non cognoscebatur in omnibus necessarijs ad salutem, & falsitas errorum non poterat ostendi? an pars vlla seculi fuit, in qua per orbem terrarum vir sanctus & intelligens salutis suæ, & animaduersor errorum & electus hæres cælestis regni nullus fuit? aut si electi fuerunt semper: illi verò de Christi asseueratione non erant: an potest tempus nominari quo ab omnibus per mundum erraretur?

an ve-

an verò si ab omnibus non erratur, non semper pura est Ecclesia? & sine vitio intellecta scriptura? Rursus an scriptura omnibus necessarijs partibus intellecta, est fundamentum? semper igitur Pape, necessaria ad salutem fuerunt intellecta, & confutati contrarij errores. Semper igitur Pape, pura in cognoscendis necessarijs fuit Ecclesia & ista semper permansit in Ecclesiæ intelligentia: & idololatria refutata semper fuit. In quibus enim partibus percepta scriptura semper fuit, in illis contrarij errores, vt ipse scribis, perspicuè redarguuntur. Nunquam igitur in necessarijs partibus error cum fide confluit: nunquam idololatria cum veritate.

Quoquo igitur te cōuertes, verum est & falsum quod dicis. Verum est, scripturam esse fundamentum perpetuum fidei: falsum est, esse in litera tantum: est enim simul & in litera & in Spiritu: in sensu: in intelligentia: in perspicuitate. Itaque pura semper fuit Ecclesia & perspicua semper scriptura: non omnibus mēbris, tamen Ecclesiæ.

VII. Theologica falsitas Pappi.

Septimò quid dicā de dialectica tua incredibili perspicuitate, cū ex Christi & S. Pauli locis, quibus illi de Antichristo loquuntur, vis per ratiocinationem concludere Ecclesiæ impuritatem, & obscuritatem scripturæ? Primū Pape, an quia pseudoprophetæ, quia pseudochristi, quia Antichristus, quia iuxta concupiscentias hominū accumulati prurientes Lutherani Doctores erunt, ideo præter illos nulla pura & intelligens scripturæ erit Ecclesia? id igitur Pape, vinculo aliquo dialectici medij constringe: conforma syllogismum: & ingenij celeritatem acumenque tui, nō in cælum efferemus, attollemus super cælos omnes. Conare, videamus quid possis. Tamen concedamus verum esse: ergo Pape, S. Pauli tempore Ecclesia pura nulla fuit? operabatur enim tum Antichristus iniquitatis mysterium. Sed dices cœpisse, nondum compleuisse iniquitatem Antichristum, cū viueret S. Paulus. Nihil efficis Pape. Vt enim cœpit tum Antichri-

tichri-

tichristus: sic ex tua concludendi libidine cœpit Ecclesie
 impuritas, & caligo scripturæ, & non cœpit extra Eccle-
 siam, cœpit in Ecclesia, vt ipsa Ecclesia Apostolorum in-
 ciperet in se esse immunda & ignara scripturæ. Eodem
 enim modo vos de progressu & incrementis Antichristi
 concluditis: quô longiùs dominatum suum profert An-
 tichristus, hoc Ecclesias omnes esse impuriore. Minùs
 igitur erunt impuræ, quô plus adhuc repressâ autoritas
 Antichristi, & quô tyrannis illius refrenata magis est: sed
 quanquam minùs impuræ, tamen impuræ erunt ex Lu-
 theranorum ad concludendum pruritu: eoque S. Pauli
 & Apostolorum Ecclesia propter primos spiritus Anti-
 christi quos tum statim ostēdebat, non pura prorsus erit,
 & nulla in vniuersum pura simpliciter Ecclesia vnquam
 fuit. Sed nec illud vrgeamus: repetemus nostrâ ætatem.
 An enim Antichristus hodie secundum vos nullus est?
 an pseudoprophetæ & pseudochristi nulli? an non infi-
 niti & innumerabiles sunt? an sectæ nullæ, an doctores
 nulli, quibus pruriunt aures? an non magis Pappo, nul-
 lum seculum vnquam fuit in plures pseudochristorum
 varietates conscissum, & in plures dissectum sectas? Quid
 igitur dicemus? an pura hodie Ecclesia nulla est? & an ne
 quidem Lutherana? Id enim ad licentiam in argumen-
 tando vestram consecrarium est, Si quando pseudochri-
 sti & pseudoprophetæ & Antichristus est, tum nulla est
 pura Ecclesia: & hodie inficiari nemo potest, esse pseu-
 dochristos & pseudoprophetas quàm plurimos: vos etiã
 Antichristum & adhuc dominãtem apponitis: quomo-
 do pura erit Lutherana & intelligens scripturæ Ecclesia?
 aut si isthæc pura in summa affluentia pseudochristorum
 erit, peripicue falsum est quod ponitis: quãdo Antichri-
 stus & pseudoprophetæ sunt, non relinqui purã & aptam
 ad intelligendam sine errore scripturam Ecclesiam. O ar-
 gumentatores: O dialectici, qui hostem gladio petunt
 quo seipso iugulant.

K

Verum

Verūm fortassis non semper incommodat Ecclesiæ Antichristus: nocet certo tempore, certis seculis, cū maximè floret. Nocet certè, Pape, Ecclesiæ in membris quæ abstrahit, & quæ Luthero, vel Zvinglio, vel pseudo-prophetis alijs adiungit, subtracta ex Christi ouili. Non nocet in vniuersum, non nocet in electis, non nocet in alijs qui consociati cum electis in externo publico ministerio perseverāt in fidei vnitare, non nocet toti Ecclesiæ. Id ipse Christus & ipse S. Paulus in locis tuis apertè testantur, & interpretationem conclusionemque tuam damnant. Christus tum, cū in signis & prodigijs triumphabunt pseudo-christi, præsignificat futuros electos, qui in errorem induci non possint. & alibi promittit, se vsq; ad seculi consummationem permansurū esse nobiscum. S. Paulus non ad omnes, sed ad eos qui pereunt, profecturam esse Antichristi seductionem, nec iri damnatum omnes, sed illos qui non crediderunt veritati: & vitandos esse pseudo-christos monet. Sentiūt igitur tum Christus, tum S. Paulus, non omnes erraturos, non omnes fidem habituros Antichristo: futuros semper electos, ad quos error, nullā Antichristi corruptelā, nullā pseudo-christorum deprauatione proficisci possit.

Id Pape secundò considera, & vide quomodo contra Christum, contra S. Paulum concludas: Quia Antichristus erit, quia pseudoprophetæ inualescent, & efficaces errores profeminabunt: ideo puram nullam futuram Ecclesiā, nullos electos sine errore cognituros scripturam: in ipsam totā Ecclesiā, in publicum omnium Ecclesiarum ministerium, & ad ipsos electos, tanquam omnibus Spiritus sancti fractis & conuulsis repagulis, inundaturum errorem: vt Schmidlinus ineptissimus faber contra Christum in Esslingensibus seditiosis clamoribus publicè vociferatur: & tu Pape, vel idem senties, vel nihil te concludere non negabis. Nam si cum pseudo-christis electi Christiani erunt, non infecti eorum erroribus:

si An-

si Antichristus non omnes in fraudē impellet: si quidam ab eius via doctrinaque discessionem facient, quomodo cum Antichristo non erit pura Ecclesia? quomodo perspicuitatem scripturæ in omnibus locis & membris obscurabit Antichristus? Id verò si non est, ostende Pappæ, vim consecutionis in imaginario enthymemate, quod Emetingē dissectum, iam in præfatione recolligere & expolire magis cupis: dic quare, quia Antichristus erit, & pseudochristi erunt, ideo pura & inhærens in intelligentia scripturæ Ecclesia non erit? Nomina locum vbi Christus, vbi S. Paulus innuat, quod tu temerè contra saluatorem tuum, contra religionis Christianæ principem, contra teipsum inani ratiuncula concludis.

Scio quid obiectare recentiores quidam vestri, facti quotidiana pugna circumspectiores, ad sustinendam imprudentiam vestram assoleant: non negari à vobis singularem electorum occultā puritatem & perfectionem, sed negari puritatem publici ministerij & confessionis publicæ. At rursus Pappæ: Primum, quod scripturæ testimonium nominabis, in quo credere illud, quod dicitis, iubemur? vbi Christus vnquam, vbi Apostoli vnquam sub Antichristo, & sub pseudoprophetis antedixerunt, nullam residuam futuram esse in publico ministerio & in publica confessione puram Ecclesiam? para te Pappæ, & cita locum.

Deinde an non contrà ipse Christus, electos mansuros pronunciat nullo illaqueatos Antichristi errore? an igitur illi Ecclesiam non constituent? an publicum ministerium purum non habebunt? an confessionem publicam puram non eloquētur? at Pappæ, quomodo electi erunt, si purè publicè in ministerio & in confessione non seruient Deo? si sub silentio participabunt publica ministeria Antichristi?

Rursus si Antichristus & pseudochristi omnium Ecclesiarum ministeria turpificabunt: si in omnium Eccle-

farum & hominum linguas vinculum iniicient, quomodo
 Lutheranæ Ecclesiæ ministerium & confessio, pura &
 publica esse sinuntur? si quia Antichristus, & quia pseu-
 dochristi regnāt: idcirco publicæ Ecclesiæ omnes infecte
 errore, & ad silentium repressæ sunt: quare Ecclesia Lu-
 therana tua sub innumerabili errorum multitudine &
 sub Antichristi dominatu: & libera ab errore & audacis-
 sima facta est ad loquendum? Si dices inde fieri quòd at-
 tenuata Antichristi superiorum annorum potentia, ma-
 gis se attollere Ecclesia Christi possit: at Pape, plus ad-
 huc hodie quàm primis quingentis post Christum secu-
 lis per Dei gratiam Papa Roman. Saluatoris Christi per
 terram Vicarius, quem vos Antichristū, ineptissimi Anti-
 christiani homines per incredibilem monstrosam deli-
 rationem fingitis, externa opulentia & Principum præsi-
 dio, & hominū obsequio in Ecclesia Christi ad summum
 splendorem floret. Itaque si quo Papa est impotentior,
 hoc purior est Ecclesia: quare primis illis quinque secu-
 lis non fuit purissima? dic Pape, & simul respōde, si ini-
 tium Antichristi post Apostolorū statim atatem sic for-
 didavit omnes publicas Ecclesias, vt pura nulla esset, cur
 si Antichristus Papa Romanus est, hodie in maxima ad-
 huc eius per totum orbem profusa amplitudine Ecclesiæ
 vestræ puræ sunt? cur non vestigium contagij in vobis
 hæret? & cur ad vos non serpit? an enim interdum Anti-
 christus corrumpet omnes Ecclesias, interdum non cor-
 rumperet? At quare per mille quingētos annos continuo
 corrumpit? an semper armatus externo gladio sic fuit, vt
 quod vnus Lutherus potuit, posset quindecim seculo-
 rum vberissimo amplissimoq; spatio Christianus nullus?
 & ne tum quidem cum is qui vobis Antichristus est pro-
 fusus imbellis, & ipse sub Cæsarum tyrannidem subiectus,
 vitā in Christi religione poneret. Tum igitur quare nul-
 la pura publica erat Ecclesia? quare non erat SS. Marty-
 rum? qui nullius Cæsaris, vel Antichristi sæuitiam perti-
 mesce-

mescebant? cū Antichristus inclusus in carcere, ad nul-
 lam adhuc vel dignitatē vel potentiam ascendisset? Quo-
 modo igitur tum sordidauit Ecclesias Antichristus? an
 eo solū quod in mundo esset? at rursus vbi scriptum est
 Pape? deinde quare ne iam quidem in Lutheranis Ec-
 clesijs infigit venenum, & aspergit sordes? in ista Roma-
 ni Pontificis quam oculis videtis, clientela Principum?
 regni amplitudine? vbertate opulentia? que ante annos
 mille non fuerunt? si Antichristus est Papa Romanus, vt
 criminose scelestaque confingitis Lutherani narratores,
 Antichristi veri satellites & nuntij: & reuera illi, in quos
 vaticinatio S. Pauli à te ex 2. Timoth. 4. apposita, colori-
 bus omnibus & effigie lineamentorum omnium conue-
 nit. Vos sanam mille quingentorum seculorum doctri-
 nam non sustinetis: ad vestra desideria, vt sutor quisque
 vel sartor in hanc vel illam opinionem propendet, accu-
 mulatis vobis magistros, Lutheranos, Calvinistas, Flacia-
 nos, Vbiquetistas, Suenckfeldios: pruritis in auribus ad
 nouitatem carnalium somniorum, & immoderatae li-
 centia, & à Catholica veritate auersas aures accommo-
 datis ad fabulas nouas, & ad novos ructus Saxonicae cer-
 uisię: homines tumidi & voluptatū amantes magis quā
 Dei: qui domos penetrant & captiuas ducunt peccatis
 oneratas mulierculas: discitis semper, vt quotidie nouus
 spiritus annis penē triginta in Lutherum influxit, & ad
 cognitionem veritatis peruenitis nūquam: neque quan-
 do in religione consistendum sit, intelligitis: nec annum
 præterfluere finitis quo non vel prorsus nouam religio-
 nem, ad noua imaginationis nouum simulachrum ædifi-
 catis, vel nouo commēto sarcitis hiantem vel fulcitis la-
 bantem sectam: vel plicas, in quibus distinebatur Spiri-
 tus sanctus, magis soluitis: vel rem non satis perceptam
 ad perfectiorem sensum reuocatis: saepe etiam vetera
 nonnulla tollitis: constituitis noua: sicque religione lu-
 ditis, vt pueri talis.

K 3;

Sed

Sed quid ista Pappè, ad difflandos temerarios pappos tuos, opus est tam copiosè, tamquè fusè pertrahari? dicam breuiter: falsissimas esse conclusunculas, quas de Christi Dei nostri, & de S. Pauli testimonijs ineptissimè contexis, & futurum te omnium Lutheranorum gigantum Principem, si ex Aristotelis vel Rami, vel Lullij vel etiam Philippi logica consequendi necessitatem explanabis, & disiunctos propositionis tuæ terminos qualicunque modo deuincies. Verùm, non potes Pappè, & falsum est, quia Antichristus & quia pseudoprophetae erunt: ideo nullam puram futuram, & nullam vacuum ab errore, & nullam in perspicuè cognoscenda scriptura versantem Ecclesiam. Falsa illa sunt Pappè, cōfessaria non sunt: simul Antichristus, & pseudochristi, & pseudoprophetae sunt, & simul cum illis est Ecclesia publica pura: neque isti Ecclesiam nec Ecclesia illos tollit: crescent pariter vsque ad diem iudicij: nec ipse Christus, cùm pseudochristos prænuntiat, Ecclesiae purae locum non relinquit: nec S. Paulus, cùm Antichristum venturum significat, Catholica totius Ecclesiae ministerium publicum & confessionem publicam ex orbe terrarum amandat: magis simul esse demonstrat: & magnam quidem in particularibus Ecclesijs & in singularibus membris calamitatem ab Antichristo & à pseudoprophetis accipit Christi Ecclesia: tamen nunquam tota in toto mundo nec euertitur, nec obscuratur, nec ab amore & cōfessione sponsi sui dimouetur: nec si quotidie mille Antichristi, & infinita millia pseudochristorum & ranarum nascerentur. Iuxta se Ecclesia Catholica Antichristum & pseudochristos, quousque Deus permittit, tolerat, vt hodie sine decessione puritatis Catholica sancta fides nostra adiunctam in mundo vno, in prouincia vna, in vrbe vna, saepe etiam in vno templo, pseudochristorum, Lutheranorum & Caluinistarum sectam habet: sed in se societatemque suam nunquam recipit, & altaria semper sua contra altaria Antichristi

christi & pseudochristorum edificat, & tantò maiori molitione, quò plus premitur.

Nec annis mille quingentis Ecclesiam turbabit Antichristus, singularis ille à S. Paulo descriptus perditionis filius: pseudochristi & pseudoprophete & Antichristi de quibus S. Ioannes in epistola loquitur, infiniti sunt: sed Antichristus S. Pauli & S. Ioannis in Apocalypsi & S. Danielis vnus est: nec esse potest Papa Romanus: ne quidẽ si omnia quæ Papa credit, falsa & damnata essent. Nugæ istæ sunt & insipientiæ delirantium Lutheranorum, qui ex insectatione Catholica Ecclesie & iaciendis in Papam conuictijs, & imponendo in Christi Ecclesiam Antichristi nomine, dilatare sectam cupiunt, & quasi Antichristus, cuius præcursores sunt, ad eos non attineret, sic rem Antichristi retinent: repudiant nomen: & vt crimen sectæ magis occultent, transferunt in alios.

Verùm ista huius considerationis non sunt, & satis ineptias iam Pappi, & inscientiam scripturæ, & vanitatem in argumentando demonstrauimus: tamen aliquando nouo spiritu animatus Pappus, ostendat necessariam rationem connexi. & quare sequatur, quia Antichristus & pseudochristi sunt: ideo nullam publicam esse puram & clarè mysteria scripturæ percipientem Ecclesiam: & quousque Antichristus est, etiã in prima eius statim procreatione, esse Ecclesias publicas omnes impuras, & proiectas in caliginem ad minùs perspiciendũ natium scripturæ & domesticum sensum.

Octauò Pappæ, falsitatem an ridiculam ineptam lepidissimam desipientiam dicam, quod de testimonio Egesippi ex Eusebio proponis, non perspicio. Verum est esse in verbis Egesippi, quod in ista sententia primo loco spectas, vsque ad discessionem Apostolorum è vita & ad eorum mortem, qui auribus Euāgelium ab Apostolis susceperunt, puram & incorruptam virginem permansisse Ecclesiam. Sed Pappæ, quomodo inde, quo argumentandi arti-

VIII. Vanitas
Theologica
Pappi.

artificio concludis, nullam sine nauo & doctrinæ inclinatione post Apostolos per orbem terrarū omnium relictam fuisse liberā ab errore Ecclesiam? Ediffere Pappo.

Primū Egesippus ipse se in testimonio explicat: cū eō virginem sub Apostolorum ætate nominari Ecclesiam tradit, quia hæretici vel nulli essent, vel splendore Apostolorum perculsi, vim nullam in Ecclesiam inferrent: vt postea Ecclesiam sic deinde corruptam fuisse ait: cū contra veritatis prædicationem hæretici audaciores obitu Apostolorum facti, errores publicè docere non dubitarent: vt castam virginem Ecclesiam esse, nihil aliud sit Egesippo, quàm sic contra hæreticos splendere totam omnium prouinciarum Ecclesiam, vt in omnibus membris & præsertim publicis Ecclesijs gloriosè castitatem doctrinæ Christi tutetur: quemadmodum vicissim non esse virginem Ecclesiam Egesippo id tantū significat, quòd ingrauescens hæreticorū perfidia, publicè contra religionis veritatem attollere caput, & spargendis erroribus ædificare delubrum audet, contra sacellum & contra ouiarum Christi. Sic enim apertissimè loquitur Egesippus. At quem inde pappum concludemus Pappo? an sequitur publicam idcirco nullam puram esse Ecclesiam? cū tota omnium gentium Ecclesia non in se, sed in quibusdam membris constupratur ab hæreticis? à Luthe-
ro? à Zvvinglio? à reliquis?

Verum est Pappo, sic Catholicam totam Ecclesiam Christi ne hodie quidem esse virginem vt Egesippus virginem intellexit: quia nec latent hæretici, nec inclusi in locis obscuris continentur: sed liberrimè, vlciscente impietatem nostram Deo, per orbem terrarum, per aulas, per vrbes, per templa peruagati, procellas sectarū in Ecclesiam iactant, & nobilissimas prouincias detractas ab obsequio Ecclesiæ, sub furorem suum subiiciunt, peneq; magis quàm vera Ecclesia triumphant. Sic igitur tota Ecclesia virgo hodie non est: fuit cū Apostoli viuerent:
fuit

fuit ante VVicleffum & Hussium: fuit antequam Lutherus & Zvvinglius primùm paucos homines, deinde terras integras stuprarent. Tamen adhuc virgo est Catholica Christi Ecclesia, vt lilium inter spinas, etiam in istis hæreticorum furiosis tumultibus, non quidem tota eorum societas qui Christi nomen quoquo modo profitentur, sed vera tantùm Christi Ecclesia, quæ post seditiosas & corruptas partes est reliqua.

Quid igitur Pappè? an Ecclesia post Apostolos virgo non fuit? an hodie non est? vt Egesippus virginis vocem vsurpat, certè aliquandiu post Apostolos, & hodie virgo tota non est: tamen est alio modo: est in puris partibus: est in ministerio publico: est in tota per omnes omnium prouinciarum tractus fusa Catholicorū hominum confectione. An verò Pappè, quia propter impressionem & audaciam hæreticorū virgo in omnibus membris esse non sinitur, ideo reliqua Ecclesia virgo non est? & an propterea nulla pura publica est Ecclesia? an cū hæretici aliquot particulares Ecclesias post Apostolos de tota Ecclesia decerperent, & vt prius fuerat, virginem esse totam omnium Ecclesiarum complexionem non sinerent, nulla erat, quousque terra longè lateque porrigitur, virgo & pura publica Ecclesia? Sed quare Pappè? considera rem ex Lutheranismò. Nam Lutheranam tuam sectam, tametsi vera esset religio, tamē Egesippus non permetteret esse virginem, dilaceratam à tot Zvvinglijs, & Caluinis, & Schvvenckfeldijs, & Libertinis, & Arianis, & alijs intus in ventre Lutheri natis procreationibus. An igitur Pappè, quia isto modo virginitatis cognomentum non retineret, etiā pura Ecclesia publica non esset, si vera esset Christi Ecclesia? Quid respondes Pappè? Ecclesia Christi in Saxonia priusquam Lutheri veneno conspuitur, pura virgo fuit, cū non modò hæreticū in se non ferret, sed armis contra vicinos hæreticos decerneret, vt caput obiectare per prouinciā hæreticus nullus auderet.

L

An

An iam adhuc virgo est, tot ditonibus, tot ciuitatibus præcipitatis in errorem? & in istis publicis hæreticorum furijs? sed rursus, an propterea multe per VVestfaliam & per agrum Hildesheimicum publicæ puræ Ecclesiæ non sunt? & an virgines non sunt? quæ oblatum à Luthero stuprum constanter repulerunt? quæ in sinceritate veteris doctrinæ persistunt? quæ fidē eandem & eundem cultum Deo adhibent vt fecit antecedens Ecclesia, cū tota adhuc illibata & omnibus partibus intacta virgo esset?

Nec igitur Pape, quomodo virginē appellet Apostolorum Ecclesiam Egesippus, in ista textus euidentia animaduertis: nec quid inde consequens sit, intelligis. Si Pape, illa Ecclesia virgo & pura non est, cōtra quam hæretici impietates suas cum magna hominum affectatione docent: cur iudiciū puræ Ecclesiæ ponitis puritatem doctrinæ? An enim puritas doctrinæ retineri non potest inter fremitus & dissimilitudines hæreticorum? sed tum rursus vt dixi quomodo pura Lutherana secta & quomodo virgo erit? & quid Egesippo respondebis, qui expressè dicit, Ecclesiam tum, cū virgo vt prius fuit non erat, tamen à puritate doctrinæ non discessisse? Tentarunt, inquit, hæretici contra veritatis prædicationem, cōtra prædicare (*ἀντικηρύτταν*) doctrinas falsas? Simul igitur Pape, & Ecclesia purè docebat, & simul hæretici in suis stabulis contra illam propagabant errorem. Alioquin quomodo & *κήρυγμα τῆς ἀληθείας* & *ἀντικήρυγμα τῆς ψευδονόμου γνώσεως*, simul consistent, vt simul coniunxit Egesippus? An verò Pape, si purè docebant, publicæ puræ Ecclesiæ nullæ erant? & an cū virgo tota prior Ecclesia in omnibus membris non maneret, propterea reliquum Ecclesiæ intactum ab hæreticis, virgo non fuit? etiam cū in fide sponsi Christi inhæreret? an sponsa Christi cū à simplicitate sponsi non excidit, casta virgo non est? Miser Pape, qui apertum textum corrumpis, & album ex nigro concludis: & vt sponsæ Christi pudicitiam eripias, ne quidem

dem sectæ tuæ nomen virginis relinquis, quæ virgo esse non potest, si omnis tempestatibus hæreticorum concussa Ecclesia virgo non est.

Sed adhuc Pappæ, an putas tam scelestum fuisse Egesippum, uti sunt Lutherani? ut sponsam Christi vno vnquam temporis momento castam esse virginem non concederet? An sacrilegium, an flagitium horribilius excogitari potest, quàm sponsam Christi & sponsam omnium terrarum agnosceret pro scorto publico, & Ecclesiã pro lustrorum & libidinum meretricia domo? Si enim Ecclesia post Apostolos virgo nõ fuit: meretrix igitur fuit, adultera fuit, & domus non Dei, sed stuprorum. An verò sic Pappæ sentiret Egesippus? an ferret Eusebius Egesippi amator? qui lib. 4. cap. 7. quatuor post primum locũ paginis, palàm confitetur, Ecclesiam diu non premi, semper iterum splendescere, extinctis hæreticis & deletis erroribus, & semper eundem CLARITATIS tenere modum: An igitur interpretationem tuam toleraret Eusebius, factus ipse Egesippi interpret? & eousque ut diceret tam turpem calumniam qualem tu Pappæ audes, nullum ante annos mille quingentos amplius ausum fuisse imponere in Ecclesiam? etiam cùm sancti mortem diu appetiissent Apostoli? Quomodo verò negaret virginẽ esse Ecclesiam post Apostolos? cùm non neget, progressum semper ad augmentum & magnitudinem esse post Apostolos, & circa eadem, & eodem modo consistere splendorem Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola vera sit Ecclesia? Quid cogitas Pappæ, cùm scelus vestrũ & imprudentiam consideras? an isti autores audaciam vestram iuuarent? euertunt funditus, nec illi tantũ, sed etiam considerati omnes viri, etiam hæretici non dicent virginem nõ semper esse sponsam Christi: non tantũ occultam electam, sed etiam publicam electam, quæ confitetur spõsum domi, foris in templo, extra templum: nec vlllo modo participat hæreticorum stuprum.

Oseæ verò exemplum & Esaia, quæ arripiunt Lutherani frustra ad se traducunt: partem illi semper Ecclesiæ, nunquam totam Ecclesiam stupri insimularunt: nec ad Ecclesiã Christi pertinet, maioribus præsijs defensam, & non clausam vnus prouinciæ angustijs, & excitatam semper à Spiritu sancto ad confitendum fidem, & ad non ferendam idololatriam.

Sed satis est Pappæ, nugæ sunt, pappi sunt, quæ conclusis miserimus conclusor, miserimus iugulator virginitatis, etiam in secta tua, & tantus hostis pudicitie in Ecclesia, vt nec sectam tuam virginem esse concedas, si argumentatio tua pondus habet, & si in eum sensum valeret autoritas Egesippi, in quem tu per vim deflectis. Tamen aliquando cuius Pappæ, & ostende consequentiam. Egesippus totam Ecclesiam sub Apostolis virginem puram fuisse testatur, quousque à nullis hæreticis publicè appetebatur. Ergo postea nulla in vniuersum Ecclesia publica Christi pura & virgo fuit, & ne iam quidem Lutherana est, vt certè nec virgo, nec pura, nec Ecclesia est Lutheri colluies, sed monstrorum vorago, & errorum cœtus & fanum blasphemiæ. Progrediamur.

IX. Falsitas
Theologica
Pappi.

Nonò rursus occurrit Pappæ, detestabilis falsitas prior tua, quam & caput & calcem falsitatum tuarum & calumniarum esse sinemus: quòd omnia, de quibus eousque vobiscum disceptamus, planè noua, & cum initijs suis inscripta in libris Pontificijs, & contra scripturam perspicuè absurda & vana: item quòd nouum totum doctrinæ nostræ genus, & tum scripturis sacris tum purioribus Ecclesiæ noui Testamenti seculis prorsus incognitum esse, perfidiosissimè mentiris. Et vt non dissimules quid sentias: apponis statim, Merita humanorum operum, Confessionem auricularem, Satisfactionem mandatam à Sacerdote, propitiatorium sacrificium Missæ, Sacramenta quinque supra Cœnam & Baptismum, Purgatorium, Ordines monachorum & monialium, primatum Pappæ, &

sexcen-

sexcenta alia: quæ omnia noua & sic comparata esse scribis, vt à vobis possint ex scriptura & Patribus perspicuè confutari: à nobis ex perpetuo Ecclesiæ cōsensu demonstrari possint nunquam.

Quid repetam Pappè? Iam enim quàm putidum sceleratumque mendacium sit aperui, & flagitiosam turpitudinem tuam ante omnium conspectum in clarissima luce collocaui. Addam igitur nihil aliud, quàm quod tum scripsi: tot esse mendacia quot isto loco verba & nomina & innuis, & mentiri te bis sexcenties: mentiris infinitè Pappè: tamen ignosce quòd paulò tecum agam in suauius, & culpam in te consistere impudentiaque tua puta. Si verò tantus bellator es Pappè, si ea quæ dicis tutari argumentis, si adumbrare & pingere fuco sapiētia, si non dico ad perfectam rationem, sed ad externam speciem & similitudinem veri probare potes: suscipe mecum pugnam Pappè, coram angelis, coram vniuerso mundo, coram toto Imperio, & quoquo loco tibi commodum & mihi tutum erit. Nisi patefaciā omnia nostra vetera esse, & vel magnis literis expressa in scriptura, vel significata per consequentiam, vel inuoluta in complexione generis, & testificata per æquabilē perpetuam consensionem seculorum omnium, & illustrata sanguine Martyrum: nisi Pappè, ista omnia necessarijs connexis sic ostendam, vt verbum nullum relictum ad obtegendam tuam inanitatē habeas: nisi simul omnia vestra noua & turpiter noua, & aliena ab omni sensu intelligētiaque scripturæ, & ignota omnibus omnium terrarum & omnium hominum Ecclesijs esse commōstrabo: nisi isthæc omnia Pappè, liquidò planissimeque sub oculos subijciam, dices liberè, bis millies me mētiri Pappè. Et vt parare te ad conflictum & armare meliùs possis, quàm iam fecisti, concludam iam, & tum deinde contra te & contra omnes infernales furias sustinebo, Nullum Apostolum, audi Pappè, nullum S. Martyrem, S. Patrem nullum, nullum per se-

decim penè secula Orthodoxū: arrige aures Pappæ, nullum hæreticum, nullam Ecclesiam, nullā urbem, pagum nullum, domum nullam, hominem nullum, virum nullum, mulierem nullam, senem nullum, puerum nullum, infantem nullum de religione Christiana quousque orbis gentium & terrarum omnium longè lateque profusus est, sic vnquā sensisse, vt sensit Lutherus, & ista omnia credidisse quæ credidit Lutherus, pestis & tempestas Lutherus Papæ, & religionis Christianæ, & mors pietatis, & exemplum incredibilis audaciæ, excitatus à Deo (vt ipse confitetur) tanquam generalis diabolus ad reliquos coercendos diabolos. (Tomo Germ. 6. fol. 360. b.)

Finem igitur hîc Epistolæ faciam Pappæ, & cum inconstantijs atque ineptijs in rumpendo abijciendoque promisso, & cum falsitatibus tuis in domum te tuam & in sordes, in quas ipse procidisti, retrudam, tamque diu iacere sinam quousque Deus collustrans tenebras tuas donet tibi spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione Christi, & illuminatos oculos ad intuendum in gloriam Dei & in beatitudinem sempiternam. Tum enim ipse ex luto, in quo iaces, attolles caput, & lacrymis damnabis infelicitatem tuam, & parallela tua, lachrymosa parallela, & Christo Deo impertiens gloriam, confiteberis vera omnia esse quæ scripsi, & inepta falsaque quæ tu non ad veritatem tuendam, sed ad quoquo modo sustinendam promissi leuitatem, & ad colligendam, vt sperabas, auram gloriamque popularem in publicum contra conscientiam, & contra fidem pacti prodidisti.

Interim alij qui hæc nostra legent, etiam cum infecti partibus erunt, tamen conuicti perspicuitate refutationis nostræ intelligent, solidè vereque demonstrata esse omnia, quæ in vestibulo Epistolæ in parallelis tuis reprehendimus, & esse verissimum: primò, tametsi testimonia S. Patris aptè cum confessione Augustana coniunxisses, quòd tamen promisso tuo non fecisses satis. Secundò, quan-

quanquam ad solam istam cōfessionem vestram attinisset sponfio, quòd tamen in vniuersum, nullam sententiam sancti Viri, & ne quidem penè in non controuersis articulis, aptè apposueris ad vllā thesin, & quòd de controuersis probaueris prorsus nihil, nec effeceris quicquā aliud, nisi quòd quædam minimè dubia ad dilatandum librum, visum fuit licētix tuæ, confirmare ex S. Patre cū nemo postularet. Tertio, quòd cū contra expectationem hominum & contra pacationem esses palàm confessus, nō te de S. Augustino declaraturum, quòd per omnia fuerit Lutheranus assensor sectæ tuæ, sed tātūm quòd aliquin Papista, quibusdam locis inclinare in Lutheranismum videatur: tamen rursus peccāris grauissimè, quòd immemor iurisiurandi, cūm Lutheranismum de sancto viro ostēdere, nec velles, nec posses, non factus sis Papista, & cūm si vir honestus esses, alterum præstare deberes, feceris neutrum: magis significaueris, studiosè totum te neglecturum esse iurisiurandū. Quarto, quòd multis apertis falsitatibus cōmaculaueris Emetingani colloquij historiam. Et quintò, quòd temerè in præfatione ad vindicandam illusionem, quam Emetingæ ex inepta colloquutione tua retulisti, veteres obtusos gladios rursus in Catholicam fidem acuere, & quasi tum non satis cōminuti disiectique fuissent, sic de nouo in teatro totius mundi ostētare, magno cum sectæ tuæ ludibrio, nō dubitaueris.

Illā igitur quinque de te verissima sunt Pappæ, nec negare potes, aut si tam petulans tamq̄; proiectus ad audendum eris, vt neges, assistam ad latus tuum, voces omnes quas emittes in fauces tibi repellam, & damnabo falsitatis, & te honestum virum esse non sinam, nisi confessus errorem, accedes in Ecclesiam Catholicam Christi, ad illam nobiscum sequendam fidem, quam S. Augustinus & SS. Patres & SS. Martyres omnes docuerunt ore & calamo, & obfignarunt sanguine, & illuminarunt miraculis. Præstaret quidem Pappæ, quod fui ab initio præfatus,

vt pa-

vt parallela tua, miserrima parallela, tamen reuera parallela, & sine concursu in æternum profluentia parallela, nunquam publicasses, & obsecutus literis prioribus meis, quia non posse probari quod susceperas, ipse præsensisti: vel in quiete delituissem precatus Deum, vt fulgore diuinæ lucis mentem tibi collustraret: vel certè quod officij munerisque tui fuit, recta via perrexisses in Ecclesiam Catholicam nostram, neque quid apud Lutheranos de populari existimatione tibi periret, sed quid honestatem deceret tuam, & quid attineret ad animæ salutem, atque ad consequendam cælestem sanctimoniam respectasses.

Tamen Pappæ, quia pro hominum ad externam gloriam propensione, fortassis etiam pro pugnaci obstinatione in secta defendenda, ad quam semel tanquam ad saxum adhæsisti, peccatum adeò grauitè fuit, nec reuocari potest: en tibi consiliū ab hoste erroris tui, alioquin animæ & personæ amico: cui si adhuc obtemperabis, si locum cohortationi meæ relinques, magno beneficio affectum te esse, cum ex vertigine intelligētiam tuam recolliges, confiteberis Pappæ: ne dubita. Vides, intelligis, concedis Pappæ, nullum vnquam in manus tuas venturum pappum, quo Augustinum sanctissimum virum agglutines ad hereticum Lutherum: id ipse iam desperasti, & permittis, nec in omnibus, nec semper Lutheranos esse S. Patrem. Quod quia verissimum est, exclude Pappæ ex animo cogitationē de S. Augustino, & exclude multò magis de reliqua sanctorum Patrum & Martyrum corona, de omnium Ecclesiæ Scriptorum multitudine: qui omnes deuinciri se cum isto turbine & vastatore religionum omnium, patientur multò minùs. Ad istam igitur occupationem, animum Pappæ ne applica tuum: ne ex superiori conatu debilitatos neruos iterum frustra contende: ne te cōfice. Quiesce magis, & agnosce, posse nullo fieri pacto, ne quidem si tota schola societasque tua,

ventrem

ventrem & cerebrum rumpat, vt vnquam vel S. Augustinum, vel alium S. Patrem & Martyrem, vel quenquam omnium hominum per omnes angulos & anfractus terræ, in longissimo mille quingentorum annorum tempore fuisse Lutheranum, assensorem fatuitatū omniū Lutheranarum, per vllam probabilitatem commōstretis. Sed tum Pappæ, duæ relictæ tibi viæ sunt, in quas ingredi potes: vna vt liberè & constanter edicas, iuratum esse imprudenter, nec qui sic iurant, astringi ad seruandum iusiurandum: altera vt sanctum promissum liberaliter prolixèque serues, & cum Christo te, cumque Christi Catholica nostra Ecclesia & Fide coniungas. Vtrum malis, positum erit in delectu tuo: tamen si leuitatem in iurando accusabis, profiteri simul statim publicè debes, nullum te in memoria maiorum omnium nostrorum, & in quindecim omnium gentium & terrarum retrò seculis, scire Lutheranum hominem, & tam nouam esse delirationem sectamque vestram, vt ista omnium errorum cōcretionem, ad quam à Luthero paulatim accumulata collectaque fuit, in lucem & in mundi aspectum venerit nunquam, donec Lutherus, tum ex veterum hereticorum omnium omnibus thecis quædam exceptans, tum de fœcunditate libidineque petulantia attextens reliqua, & rursus inter se miscens & mutans de die in diem, tandem istam versicolore, prodigiosam, & confusam ex omnibus erroribus religionis speciem, non quidem ante obitum absolueret, sed vt ille inchoauit, sic vobis relinqueret poliendam & refingendam quotidie. Sed quàm honorificum id tibi, & quàm gloriosum sectæ futurum sit Pappæ, perpende prius momēris omnibus, & crede, si in istam te dabis consilij rationem, paratum iam responsum esse ad gratulandum tibi & sectæ, nouum ad veterem dignitatem vestram appensum ornamentum.

Itaque Pappæ, si rursus mihi morē geres, dimitte priorem viam: ingredi in alteram: & quia de S. Augu-

M

stino

stino quod iurasti, præstare non potes, nec potest quisquam alius, confer te ad posteriorem seruandam iurisurandi partem: discede à turpitudine Lutheri, congregare nobiscum ad istam fidem & ad istam Ecclesiam, quam Apostoli seminarunt, SS. Patres & Martyres excoluerunt, maiores nostri quanquam interpellatam ab hæreticis & gētibus, tamen integram ad nos contra omnium diabolorum furias propagarunt, quæ ex ore Christi per Spiritum sanctum influxit in Apostolos, & in SS. Martyres, & in SS. Patres, & ab his per prædicationem, per libros, per miracula, per gloriosè appetitas mortes, per omnium Ecclesiarum consensum, per Episcoporum perpetuas successiones æquabili cursu, sine vlla vastitate doctrinæ ad nos per mille sexcentos annos fusa, per omnes promanauit totius mundi prouincias, & vsque ad finem orbis terrarum, quousque Christus saluator ad iudicium veniet, sine impedimento procurret, non occulta, non sub scamnum abstrusa, semper aperta, semper publica, in ministerio, in confessione, in sanguine, in propugnatione pro religione contra gentiles, contra hæreticos, contra Antichristum, contra ipsum omnium diabolorum cœtum: vt quid fecerit, quos triumphos egerit, quem cultum Deo in templis adhibuerit, quomodo pressa, rursus floruerit, quomodo splendescens iterum calamitatem in externa pace senserit, quid de sponso suo, quo pacto crediderit, per omnes ætates & omnium annorum cōuersiones cognosci, & tanquam oculis adspectari possit: nunquam in ministerio publico, vel professione doctrinæ locis omnibus & in publicis Ecclesijs omnibus impura.

Ad hanc, Pappæ, fidem & Ecclesiam si accedes, & nobiscum te consociabis, seruabis pactum, honestus vir eris, & bonus ciuis Reipublicæ, animamque tuam ereptam ex faucibus inferni, eo loco sistes, vbi perfrui sanguine Christi, quem pro nobis effudit, & inire viam in cælum ad participandam sempiternam beatitudinem potes. Nec dubita

bita Pappē, cū ad suaue iugum Christi assuesces, cū Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, detracta per Deum de oculis cordis tui caligine, pleno lumine aspicias: miraberis superiorum annorum tenebras: miraberis oppressam & cæcatam intelligentiam, vt oculos in Lutheranismō & aures habens, non videres nec audires: miraberis potentiam Spiritus sancti & vbertatem donorum, & perpetuitatem custodiæ, & defensionē doctrinæ, & concinnitatem ordinis in Ecclesia, mihiq̄e quod adduxerim incredibiles & hīc, & in mundo, & mortuus, in conspectu Dei gratias ages.

Sin Pappē, contra conscientiam, contra religionem, fidemq̄e iurisiurandi, contra obtestationem Dei quam Emertingæ fecisti, etiam cū S. virum Augustinū adiungere ad sectam vestram non potes, tamen infixus hærebis in squalore sordibusq̄e Lutheranismi, nec Catholicam, Papisticam, & solam veram in Christum fidem suscipies: primū intentā voce nos & magnis lateribus, per mundum clamabimus, periurum factum Argentinensem Pappum, honestum virum & bonū ciuem non esse, qui promissum non seruet, iuramentum negligat, & se negligere libenter testetur. Deinde tametsi iam in isto sensuum omnium & conscientie stupore non credis, tamen intelliges aliquando, nisi relapsus & abscedens à Lutheri fœditate, in gremium & complexum Ecclesiæ nostræ ad bibendum ex huius vberibus sanguinem Christi, cōfugies, clausum tibi non modò cælū, sed obstructas omnes vias esse ad aditum cæli: quod non intrat aliquid inquinatum aut abominationem faciens & mendacium.

Deuste, Pappē, in lumine Christi filij illuminet: vt sectæ deformitatem tuæ cognoscens, non solum propter sanctè iuratum iuramentum quo te coram Deo & mundo obstrinxisti, sed multò magis ad miseram tuam in cælum, & in Sanctorum concilium inferendam animam, fias & manēas, quod futurum te & mansurum iurasti, Pa-

stinus

M 2

pista,

pista, affectator Papisticae nostrae Catholicae religionis, quae sola in caelum & ad participationem meritorum Christi, sponsa ad sponsum, mater ad patrem ducit.

Plura scribere occupationes non sinunt: & haec ipsa quomodo inter peregrinandum absens à libris, hinc inde scripserim, testimonium illi dicent, qui interfuerunt: tamen intermittere non volui, quin te vinculis libenter suscepti iurisiurandi adstrictum, ad standum conuentis promissisque tuis, & quia primam partem pacti non potes, ad alteram complendam & ad prospiciendum animae monerem: an fortè Deo placeret, misericordiae Patri, intercessione cohortationeque mea, liberare te ab errore, & aggregare ad Christi filij, magni ouium pastoris, veterem & nulla vnquam tempestate cõuulsam ouiarum: quod ut fiat, orabo Deum, & orabunt mecum Catholici multi, de gentilitate tua praestantes viri, qui in gentem familiamque suam, infusum esse Lutheri venenum, vehementer dolent.

Vale Pappae, & quod propemodum oblitus eram, si fortassis pro animi te magnitudine ad responsum comparabis, lege prius gigantuli noui Tigurini Beumleri, de Romano Antichristo lepidissimè narratam fabulam, quam nuper pro mortui Calvinistae Sohniij defensione in apertum retulit. Is enim te multò liberalior, non solum Augustinum ad se sectamque suam traducit, sed omnes Papas ante Gregorium Magnum, & ipsum Gregorium ab errore & ab Antichristi malitia liberat: nec prius Antichristum Papam factum esse tradit, quam è vita Mauritius Imperator, & Papa Gregorius Magnus excessissent. Id si ille probare potest Pappae, cur tu diffidens de S. Augustino, ita subito demitteres animum? Sed Pappae dicam in aurem, ut totus mundus inaudiat. Ne auxilium ab isto quære ineptissimo gladiatore, multò ineptiore quam tu es: articulorum de quibus inter nos dimicamus, initium post Gregorium Magnum fingit: & Ecclesiae doctrinam

trinam post Gregorium, discriminat à doctrina quæ ab ipso Gregorio relata in libros, & ab antecessis omnibus Catholicis Patribus, enuntiata fuit. Is igitur nouam Antichristo religionem non relinquit: nec finit esse corruptorem religionis Christianæ, cum in fide Catholica nostra syllabam nullam ostendere possit, non eodem modo à Gregorio Magno, & ante Lutheri Antichristum traditam. Sed quid istius hominis librum nomino, quo nescio an insulsior vllus & inanior liber lucem huius mundi aspexerit vnquam? Itaque prorsus præter Grammaticam nihil habet dignum viro literato, totus imbellis, nugatorius, temerarius, sine specie Dialecticæ, & sine indicio Theologicæ doctrinæ, vt penè nulla sit pagina, in quam non aliquot antilogias illigauerit. Ne igitur, Pape, ab illo spera patrocinium, qui te causamque tuam, multò magis affligeret. Serua potiùs fidem: da gloriam Deo, contemne mundum: oculos in Christum infige, & attolle animum in cælum: & vale Pape, factus ex Papista, Papista. Ex Constantia Nonis Februarij anno 92.

Salutis tue, quàm tu amantior:

sed hostis sectæ tuæ.

IOANNES PISTORIUS
Nidanus SS. Theologia
Doct̃or &c.

M 3 EPI.

EPISTOLA TERTIA AD
DOCT. IOANNEM PAPPVM:

IN QVA clarissimè docetur, nullum omnium mortalium
per quindecim ætates in eum sensum intellexisse religionem
Christi, in quem nouus ex inferno in mundum infu-
sus hæreticus & Antichristi præcursor Lu-
therus malitiosè corrupit.

QUOD bellum, Pape, quod ventilatum &
incensum esse linguæ tuæ flabello in sedi-
tiosa prima concione putatur, responsio-
nem eousque tuam de Typographi testi-
monio distineret: & ego præuiderè, cum
factus aliquando ab implicationibus tu-
multuosis tuis liberior, ad extremã quæstionem meam,
quæ in calce est secundæ Epistolæ, & ad nominandum ex
decursis quindecim integris seculis vel infantem, vel pu-
erum, vel virum, vel cœtum Lutheranum vnum acce-
des, futurum tum, vt in communem toties iam detritam
& firmamentis maximis à nobis obseptam viam te de no-
uo per imprudentiam rursus infunderes, & vel sanctos
veteres homines propter quædam, quæ in eorum libris
interspersa primò aspectu blandiri Lutheranae fatuitati
videntur, vel alios Catholicos qui vitam & mores Pon-
tificum carpsere, vel damnatricem sectæ vestræ Græ-
cam Ecclesiam, vel apros Lutheri in demolienda Christi
Ecclesia similes nominares, VViclefum, Hussiū, & istius
voraginis seditiosos ciues alios, vel fortassis magis quàm
cæteri Lutherani solent, respiciens ad pudorem tuum,
negares vllam vnquam fuisse publicam puram adulto-
rum hominum societatem vel personam: potiùs diceres
præter infantes, homines omnes, de quibus constet, fuisse
asperfos erroribus, & ipsos electos tum errasse vsque ad
extre-

extremam spirationem, tum latuisse occultatos sub Tyrannide & repressos armis Antichristi: Ad istas enim exilitates refugere, & in istos se angiportus conijcere consueuerunt omnes, qui te sunt antegressi: visum fuit pro amore quo ex recordatione veteris familiaritatis & iam multò magis exspectatione iuratę conuersionis complector, antequam tu scriberes, ad isto te labore subleuandum, salebras omnes, in quibus hærere vos Lutherani ex inconsideratione soletis, tollere de medio: ne haberes, quod te in perficiendo iureiurando & in ineunda ad Catholicam Ecclesiam via retardaret. Quod feci tantò libentiùs, quia Epistolę priores duę tanquam negligentèr typistrascriptę, rursus referendę in publicum & magis correctè subijciendę sub hominum conspectum erant. Itaque vt & scriptionem anteoccuparem tuam, & ne solę priores Epistolę sine nouo comitatu in lucem prodirent, apposui tertiam Epistolam: & vt animi in te mei propensionem adhuc magis testatam facerem, addidi simul Parallela noua, Parallelorum tuorum ἀντιδιαφορῶν: in quibus & docerem te, quę notatio vocis Parallelorum esset, & meliùs, quàm tu de Augustino, sancto viro, & Augustana turpi confusione consensum & conuenientiam ostendere voluisti, ego in clarissima luce, ante omnium oculos, deformem sisterem inter Lutherum & Hussium in articulis controuersis omnibus abiunctionem & dissimilitudinem.

Vt verò diu te non distineam, Pappę: meministi ipse tuorum hominum consuetudinem, quid fecerint hactenus, cum ex infinita seculorum omnium memoria iussi sunt Ecclesiam vnā vel hominem vnum proferre consentientem cum cœtu sententięque Lutheri: & quomodo tum ad vnum eorū quinque, quę iam dixi, se tanquam ad receptum aliquem & portum applicent: & vel veteres sanctos homines grauissimos per summam iniuriam ad scētę suę similitudinem inflectere; vel (secundò) Catholi-

tholicos alios proferre, qui externa Pontificum & Cleri peccata liberius coarguerunt: vel (tertiò) nominare Ecclesiam Græcam tanquam testem erroris vestri: vel (quartò) VValdenses, VViclefum, Hussium, & similes seditiosorum hominum manus ascribere rāquam effigies & simulacra sectæ suæ moliantur: vel (quintò) tandem aperrè sine dissimulatione confiteantur, nullum fuisse publicè purum coetum vel hominem præter baptizatos infantes, & iacuisse adultos omnes in ignoratione & in sordibus, protritòs & conculcatos ab Antichristo.

Ne igitur Pappæ veteres nobis toties de puritate Ecclesiæ deterfas molestias tu de nouo aspergas, & ne ipse tibi frustra objicias laborè: agemus ordine de illis quinque capitibus & profugijs vestris: & faciemus vt nullum ista quidem in re tibi vel tuis supersit subsidium, quo sustinere quoquo modo erroris vestri possitis antiquitatē, & in superioribus Ecclesijs similitudinem, sed necessariò profiteri debeatis, nullam ex tota retrò vetustate repeti memoria vel Ecclesiā posse, vel domum, vel personam, quæ vobiscum & cum errore vestro cōsociari se coniungique patiatur, & esse totum errorem vestrum ex spiritu vertiginis, qui per ceruisiam Saxoniam in fastuosum & obtenebratum Lutheri caput insinuauit, VVirebergæ sine vllò antegresso vllius hominis vel Ecclesiæ simulacro ab inferis de nouo suscitatum, & ibi millies tam diu co-

ctum atque recoctum, quousque ad illam incon-

stantiam & Babylonicam confusionem,

in qua iam apparet, ad-

lesceret.

CAPVT

CAPVT PRIMVM, DE S. PATRIBVS
ET RECEPTIS DOCTORIBVS
SCHOLASTICIS.

ET quod ad primum quidem effugium attinet, quod positum vobis in sanctis Patribus esse timidè fingitis: quanquam in magna varietate versantur, qui sectam vestrã de spolijs eorum conuestire, & de pulchritudine vetustatis pigmentum aspergere turpitudini vestræ cupiunt: tamen in genere in eo conueniunt omnes, nullum vnquam in vniuersa antiquitate post Apostolos exstitisse Patrem vel Doctorem publicum, qui in tradendis religionis articulis cum Lutero prorsus consentiat: & qui non vt in quibusdam congruit, sic in reliquis ab illius sententia longissimam fecerit discessionem. Id si non fateris, Pappè, delige de toto cœtu concilioque Doctorum Patrem vnum, inter quem & Lutherum in capitibus omnibus fidei, tuo iudicio, conspirans sit æqualitate sententiarum consensus: & nomina nobis si potes: sed si potuisses, fecisses Emingæ: fecisses post bene longam deliberationem, in Parallelis tuis, ridiculis parallelis; cùm iussus de longissima quindecim seculorum intercapedine proferre Lutheri in religione sententiaque scripturæ similem vnum Doctorem, proponeres S. Augustinũ; tamen contra pactam fidem negares rursus, totum esse Lutheranum, sed tantum si portentum ex Lutheri varietatibus conflatum S. Vir fuisset: sic oblitus ruboris tui vociferas, & fuisse Lutheranum & non fuisse: fuisse interdum, non fuisse semper: imò fuisse & non fuisse, in re vna, in articulo vno, in consideratione vna. Itaque quia S. Virum Augustinum, fulgore conuictus clarissimi luminis, quo libri illius colucent, professus es, nec semper, nec in omnibus in fide mansisse sententiaque Lutheri, nullũ profectò, si omnes latebras prudentiæ & recessus memoriæ, & anfractus ce-

N

rebri

rebri tui percurres, appellabis Patrem alium Lutheri socium, quousque globosum atque rotundum cælum cursum suum tenebit: Tamen si adhuc potes, si aliquis interim Angelus, albus an niger (non interest) Patrem inspiravit: ediffere Pappæ: per animam te: per conscientiam tuam: per honorem adiuro: nomina aliquem: vel iube per tuos nominari, si tu per obliuionem vel hebetudinem non potes.

De Sancto Augustino ipse desperasti: & refutarent adhuc impudentiam tuam, si te rursus in publico sisteres, ipsius S. Patris voces in libris relictæ: De Missa, (in *questionibus Dulcitij questione secunda*, & in *libro tertio Enchiridij cap. 109.* & *lib. 10. de ciuitate Dei cap. 20.* & eiusdem voluminis 18. *libro cap. 35.* & *lib. 21. cap. 8.* & *nono Confess. cap. 12.* & *contra Faustum lib. 20. cap. 18.* & 21. & *de Sanctis sermone 11.* & in *lib. de anima cap. 9.* & in 84. *questionibus, quæst. 61.* & in *epistola 23.* & in *psalmo 33. conc. 1.*) De Purgatorio & inuocatione Sanctorum, (in *libro de cura pro mortuis cap. 1.* & 4. & 18. & in *libro 21. contra Faustum cap. 20.* & *de ciuitate Dei libro 21. cap. 24.* & 27. & in *tractatu 84. in Ioannem*, & in 32. *sermone de verbis Apostoli*, & *epistola 64.* & *libro 9. Confess. cap. 12.* & 13. & *Enchiridij cap. 109.* & 110.) De fide iustificante non sola sed animata & excitata per charitatem, & de meritis operum, (*sermone 16. de verbis Apostoli*, & *de tempore sermone 67.* & 68. & in *lib. de gratia & libero arbitrio cap. 7.* 8. & 9. & in *festo omnium Sanctorum*, & in *libro de fide & operibus cap. 14.* & 16. & in *tractatu 10. in Epist. Ioannis*, & *commentarijs in psal. 31.* & *epist. 105.* & *enchiridij cap. 107.*) De S. Petro Apostolorum principe & fundamento Ecclesie, eiusque Romæ administrato Episcopatu & obito Martyrio & relictis successoribus Romanis Papis, & de Romanæ Ecclesie supra cæteras principatu, (*lib. 1. contra Iulianum cap. 2.* & *de Baptismo contra Donat. lib. 2. cap. 1.* & *lib. 5. cap. 23.* & *enarrat. 1. in psalm. 108.* & *conc. 6. in psalmum 30.* & *tractatu 56. in Ioannem*, & *retractat. lib. 1. cap. 21.* & *contra literas Petilianum lib. 2. cap. 31.* & in *hæresib. ad Quod uult deum, hæresi 1.* & *epist. 165.* & in *psal.*

mo contra partem Donati, & contra Epistolam Manichæi cap. 4. & contra duas epistolas Pelag. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 3.) Sed quid opus est post præclaram confessionem Augustinianam à Reuerendo P. Torrensi in publicum relatam, & post meam contra Herbrandum adhuc triumphâtem Analysin, & post tua, Pappæ, Parallela, funesta Lutheranis parallela, & parallelorum istorum factam à D. Hânliino Reuerendo & Clariss. viro disiectionem, ascribere S. Papistæ Augustini tum de istis, tum de cæteris controuersijs testimonia ad iugulum incidendum sectæ Lutheranæ? Sunt enim omnia planissima & contestata libris publicis, & inculcata vobis ad tædium: & corroborata silentio perpetuo vestro: & si audes Pappæ, os aperiri: omnino hisce: pone exemplum impudentiæ: da te in lucem. Viceris, non si Augustinum per omnia (quam Emetingæ vocem prior tibi temeritas expressit: posterior cogitatio rursus reiecit) sed si vna in re in vno fidei articulo, in rebus de quibus controuersamur, sentire cum impuro Luthero purissimum Patrem Augustinum ostendes. Non igitur deinde nominabis tanquam affectatorem Lutheri, S. Augustinum, ne quidem si nullam verecundiæ tuæ tenebis rationem.

Nec S. Ambrosium produces, prædicatorem & laudatorem maximum sacrificij in Missa, (in lib. 4. de sacramentis cap. 5. & 6. & in precationibus suscitantibus mentem ad Missam, & in cap. 10. epist. ad Hebræos, & in psalm. 38. & lib. 10. epist. 85. & lib. 5. epist. 33. & lib. 1. officiorum cap. 48. & in exhortatione ad virgines) & papisticum inuocatorem Sanctorum, (in libro de viduis, & sermone 93. in natali S. Martyrum Nazarij & Celsi, & 77. de natali sanctorum Octauij, Aduentitij & Solutoris, & in oratione funebri de obitu fratris Satyri, & in exhortatione ad virgines, & in oratione 2. præmittenda ante Missam) & inflammatores Purgatorij, (in oratione funebri de obitu Valent. Imp. & in precatione præparante mentem ad Missam, & oratione funebri pro fratre Satyro, & de obitu Valentiniiani, & de exitu Theodosij, & cap. 12. Lucæ

in fine, & lib. 2. Epist. 8.) & meritorum nostrorum ad consequendam salutem & ad delendas iniquitates amplificatorem, (lib. 1. offic. cap. 29. & in 6. & 12. & 17. cap. Lucae, & ad Rom. cap. 4. & ad Ephes. 2. & ad Galat. 3. & in lib. de Helia & ieiunio cap. 20. & in psal. 38. & lib. 7. Epist. 44. & lib. 10. Epist. 84. & sermone 8. & 7. & 14. & 15. & 18. & in psal. 118. & de virginib. lib. 3. ante finem, & lib. 2. de vocatio. gentium in fine) VT SOLIVS SINE CHARITATE FIDEI ET ex hoc CONFICTAE IVSTIFICATIONIS OBIVRGATOREM, (9. libro Epist. 74. & in cap. 5. ad Galat. & ad Tit. cap. 2. & ad Philip. cap. 3. & libro 2. de pœnitentia cap. 5. & ad Hebræos cap. 4. & ad Corinth. prioris epistole cap. 7. & 12. & 13. & in psal. 118. in litera Ayn: & lib. secundo officiorum cap. 2. & lib. 9. Epist. 74. & lib. 7. in 11. caput Lucae, & lib. 2. de Caino & Abelo cap. 9.) & iudicem damnatorium eorum qui cœlibatum in sacerdotio vituperant & virginitatem adæquant cum matrimonio, & rumpunt vota, (lib. 10. epist. 80. & 81. & 82. & lib. de viduis, & exhortat. ad virgines, & lib. 1. & 3. de virginibus, & lib. 1. ad virginem lapsam cap. 5. & priori ad Corinth. cap. 7. & 9. & in cap. 3. epistole 1. ad Timotheum, & lib. 1. officiorum cap. 50.) & præconem monasteriorum, (lib. 1. ad virginem lapsam cap. 5. 6. 8. 9. & 10. & institut. virgin. cap. 17. & de virgin. lib. 1. 2. & 3. & in psal. 36. & 1. officior. cap. 11. & lib. 6. epist. 36. & lib. 10. epist. 82. & ad virginem deuotam cap. 1. & 2.) Confirmatorem primatus S. Petri inter Apostolos in dignitate & cura Ecclesiæ & vicariatu Christi, (in cap. 6. & 9. & vltimum Lucae, & in psalm. 43. & lib. 5. de fide cap. 1. & in prioris ad Corinthios cap. 9. & posterioris cap. 11. & 12. & in epist. ad Galatas cap. 1. & lib. 4. de fide cap. 3.) Papisticum approbatorem fundatæ in S. Petro Ecclesiæ, (lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. & lib. 4. de fide cap. 3. & in sermone 47. & 66. & 8. & 84. & in Euangel. Lucae cap. 9. & in cantico Aeterne rerum) assensorem historiæ de S. Petri Episcopatu Romano, & sub Nerone suscepto cum S. Paulo Romæ 29 Iunij Martyrio in cruce, (de sacram. lib. 4. cap. 1. & sermone 66. & in psalm. 118. octonario 21. & lib. 1. de interpellat. lobi cap. 1.) sectatorem

tozem in omnibus Ecclesiæ Romanæ tanquam capitis omnium Ecclesiarum quæ errare non possit, (de sacram. lib. 4. cap. 1. & de fide lib. 4. cap. 1. & de vocat. gentium lib. 2. cap. 6. & in Lucæ cap. 9. & in 1. ad Timoth. cap. 3. & de pœnitēt. lib. 1. cap. 6. & lib. 5. Epistol. in orat. in Auxentium, & lib. 10. epist. 80. & 81. & in orat. funebri de excessu fratris) & summam tantum in controuersijs omnibus Papistam, vt pauci hactenus Lutherani & quidem admodum verecundè de mutuando furo ex S. Ambrosij testimonijs ad nouitatis suæ pingendam obscuritatem cogitauerint.

Multò verò minùs, Pappè, confugies ad S. Hieronymum, cùm ad libros illius contra Iouinianum & Vigilantium oculos attolles, & tum in his, tum in libris alijs conspicias, sacrificari à S. Patre in cœna Deo corpus & sanguinem Christi, (lib. 1. comment. in cap. 1. ad Tit. & epist. 17. ad Marcellam cap. 2. & epist. 60. quæ est Epiphanijs, tamen versa à S. Hieronymo, & epist. 126. ad Euagrium, & epist. 128. ad Fabiolam, & epist. 150. ad Hedibiam quæst. 2. & lib. 1. & 3. contra Pelagianos, & in psal. 21. & 65. & in questionibus Hebraicis in cap. 14. Genes. & lib. 13. comment. in cap. 44. & lib. 14. cap. 46. Exzechielis, & dialogo 2. contra Luciferianos, & Apologia ad Pammachium cap. 3. & lib. 4. comment. in 26. cap. Matth.) inuocari Sanctos, & honorari maximo fructu reliquias, (contra Vigilantium, & in vita Hilarionis, & in epist. 17. ad Marcellam, & 25. ad Paulam, & 27. ad Eustochium, & homilia 3. in Cantica canticorum, & in proœmio lib. 9. commentariorum in Exzechielem, & præfatione in 2. comment. ad Ephesios) Purgatorium defendi, (lib. 1. contra Pelagianos, & lib. 2. contra Iouinianum, & lib. 4. in Esaiam cap. 10. & lib. 18. in eiusdem cap. 65. in fine, & in Exzechielis cap. 2. similiter sub finem, & in Danielis cap. 7. & in Amos cap. 7. & in Matthæum cap. 7.) Fidem solam non admitti ad iustificationem, (in epistola 27. sub finem ad Eustochium, & in cap. 26. & 55. & 66. Esaiæ, & in 29. & 31. caput Ieremiæ, & in cap. 4. Oseæ, & in psalm. 39. & in cap. 6. ad Galatas, & in cap. 2. ad Titum, & 3. ad Ephesios, & in epist. ad Philemonem) impetrari per merita nostra salutem æternam,

(in cap. 3. ad Titum, et in Zacharie cap. 8. et in 3. ad Galatas, et in 26. cap. Esaiæ ab initio, et in 35. paulo post initium, et in 33. et in 66. eiusdem, et in præfatione in 3. lib. in Ezechielem, et in eius 5. caput, et in 12. Danielis, et in 25. Matthæi, et in Aggæi cap. 1.) Virginitatem & cælibatum infinitè anteferri matrimonio, (contra Iovinianū, et in Apologia ad Pammachium, et in Epistola contra Heluidium, et passim) monasticam vitam esse perfectissimam vitam, (epist. 3. et 28. et 34. et 150. et in psal. 119. et 145.) etiam in scripturis non tradita, tamen propter Ecclesiæ consensum mereri fidem, (dialog. de Luciferianis, et in viris illustrib. de Polycrate, et epist. 28. ad Licinium) S. Petrum principem & caput fuisse Apostolorum, & super eum stabili mole fundatam Ecclesiam, (lib. 1. dialog. aduersus Pelag. et epistola 54. ad Marcellam, et lib. 3. comment. in 16. cap. Matthæi, et lib. 1. comment. in epist. ad Galat. cap. 1. et lib. 1. contra Iovinianum, et lib. 1. comment. in secundum Esaiæ, et in cap. 16. Hierem. et in cap. 4. 1. Ezechielis.) Romæ S. Petrum fuisse Episcopum & affectum martyrio, (de viris illust. in Petro, et in Marco, et in Clemente, et in Egesippo, et in 2. cap. ad Galat.) Pontifices Romanos esse S. Petri successores: & principem atque caput & purissimam Ecclesiarum esse Romanam, & non esse Catholicum qui cum illa nō sentit, (in locis proximis et epist. 8. ad Demetr. et 17. ad Marcellam, et 57. et 58. ad Damasum, et epist. 65. ad Pammachium cap. 3. et epist. 78. et in dialogo contra Luciferian. cap. 4. et 9. et in cap. 52. Esaiæ, et lib. 2. contra Rufinum cap. 4. et 8. et in præmio libri 2. ad Galat. et in epistola ad Ageruchiam) & tantum tamque rigidum monachum fuisse S. Hieronymum, ut ipse Lutherus (Tom. 5. Germ. fol. 153.) rugas & maciem & continētiam sancti viri luxuriosus stuprator rideat, & tanquam vastatorem totius Euangelij (Tom. 3. Lat. fol. 220.) & impium atque blasphemum hæreticum (ibidem fol. 175.) damnet. Id igitur cum considerabis Pape, missum facies S. Hieronymum: & antecessionē sectæ tuæ in illo non quæres: quem Lutherus ne quidē Sancti viri cognomento dignatur: magis per diabolicam detestabilem

stabilem impudētiam propter virginitatis laudationem actum esse præcipitem in infernum putat, scelestus scurra, virtutum omnium hostis & scelerum affectator.

Sed vt S. Hieronymum, sic certè, Pappè, S. Chryso-
stomum patronum sectæ non deposces: & contra nos reli-
gionemque nostram pones. Is enim Missas magnis firma-
mentis constabiliuit, & principium ab Apostolis duxit,
(homilia 3. in epist. ad Philippenses, et 18. et 24. et 27. et 41. in epist.
ad Corinth. priorem, et 26. et 83. in Matthæum, et 21. in Acta, et 3.
in Ephes. et 5. in 2. epist. ad Timoth. et 17. in epist. ad Hebræos, et 6.
et 61. et 66. ad populum Antiochenum, et lib. 3. et 6. de sacerdotio,
et in Liturgia sua) transsubstātionem credidit, (homil. 60.
ad pop. Antioch. et in Missa) mortuos Sanctos, vt mundi pro-
tectores, tum alibi tum ad eorum cineres inuocauit, (ho-
milia 66. ad populum Antioch. et in morali 26. homilia in cap. 12. epi-
stolæ 2. ad Corinth. et 5. in Matthæum, et in oratione Encomiastica
ad Principes Apostolorum, et in homilia ad duodecim Apostolos, et
libro contra Gentiles, et in laudat. S. Ignatij, et in demonstrat. quòd
Christus sit Deus, et oratione 2. de prouidentia, et serm. in Iuuenti-
num et Maximum, et in Missa, et homilia 15. in secundum cap. Ge-
nesis sub finem, et in psal. 115.) Purgatorium & orationē pro
mortuis tanquam Apostolicas constitutiones tradidit,
(in serm. 3. ad Philip. in morali, et homilia 59. et 69. ad pop. Antioch.
et lib. 6. de sacerdotio ab initio, et homilia 21. in Acta, et 26. in
Matthæum, et homil. 41. in 1. epist. ad Corinth.) fidem solam da-
mnauit, (homilia 11. et 44. et 48. et 70. in Matth. et orat. 7. in
caput 4. ad Hebr. et in serm. de fide, spe et charitate, et in psal. 110.
sub finem, et serm. 7. et 11. ad Philipp. et homilia 9. in 3. cap. prioris
ad Thessal. et 7. et præsertim homilia 8. in 2. ad Timoth.) fiduciam
in meritis suis collocauit post Deum, & omnino cælum
meritis conscendi, & eleemosynis condonari peccata
docuit, (homilia 5. et 16. in Matth. et in homil. 11. in Matth. de
lect. Euangelij vbi dictum est, Nolite esse sicut hypocritæ. et 48. in
Ioann. et 71. et 79. ad pop. Antioch. et 17. ad Hebr. et in orat. 4. de
prouidentia, et in psal. 111. et lib. 1. de prouidentia, et in Genesim ho-
mil. 4. 2.

n. 42. & in epist. ad Philem. homil. 1.) virginitatem & monachatum tanquam merita magna laudibus sustulit in cælum, (lib. de virginitate, & in psal. 1. & 22. & 45. & 116. & homilia 3. de verbis Esaie Vidi Dominum, & homilia 71. in Matth. & sermone de laud. Monach. & in lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ, & in libello de comparat. Regis & monachi, & in omnibus penè libris.) Scripturam non omnia complecti rã nisi, sed multa sine scripto relicta ab Apostolis in Ecclesia, iudicauit nihilominus religiosè credenda: nec dubitandum amplius si traditio mōstretur, (in homil. 4. in 2. Thess. 2. & in morali serm. 3. ad Philippenf. & in orat. 26. in 1. ad Corinth. & in psal. 118. & in lib. de virginit.) Petrum Principem Apostolorum & totius Ecclesiæ pastorem constituit, cui etiam S. Paulus dederit primas, & in eo tāquam in fidei firma Petra fundari Ecclesiam. (homil. 9. & 33. & 55. in 16. & homil. 83. in 26. caput Matthæi, & in orat. Encomiastica, & in homilia in princip. Apostol. & in homil. 4. de verbis Esaie Vidi Dominum. & homilia 9. de pœnitent. & in homil. 60. & 79. ad popul. Antioch. & in psalm. 50. et in sermone contra Iudæos, gentiles et hæret. et homilia 31. in epist. ad Rom. et homilia 3. et 4. et 21. et 35. in 1. ad Corinth. et homil. 87. in 21. cap. Ioannis, & homil. 27. in Matthæi cap. 25. et epist. 7. ad Olympiam, et homil. 9. in 1. ad Thessal.) Fuisse S. Petrum primum Papam Romæ, & ibi cruci affixum capite in terram verso, 29 Iunij, sub Nerone, reliquisse successores Papas, & ista omnia per totum mundum celebrari, (in orat. Encom. et in homilia in principes Apostol. et homil. 2. et morali homilia 32. in epist. ad Rom. et homil. 10. in epist. ad Titum, et in homil. 8. in psalm. 48. et in homil. 8. in epist. ad Ephesos, et homil. 66. in 46. cap. Genes. et homil. 8. in 1. ad Corinth.) Petrum fuisse præsidem & pastorem Ecclesiarum per totum orbem terrarum à Christo constitutum, & Romanam Ecclesiam caput esse Ecclesiarum omnium, (homilia 55. in cap. 16. Matthæi, et homil. 80. ad popul. Antioch. et in epist. 1. et 2. ad Innocentium.)

An tu ergo Pappæ S. Chrysoſtomum tantum Papiſtam, quem scurrile & ex mendacijs cōflatum monstrum
tuum

tuum Lutherus rabulam, & obstinatum, & appetentem
externæ gloriæ, & superbum scriptorem, (*Tom. 7. fol. 247.*
& *in epularibus nugationibus*) & libros eius ad religionem in-
fructuosos & plenissimos inanum tantum sonorum, vo-
care & vituperare sanctissimum virum maledicus vete-
rator non dubitavit.

An istum tu contra procreatorem tuum ascisces ap-
probatores erroris & patronum sectæ & socium incre-
dulitatis? & abstrahas à sententia & Ecclesia & fide, in qua
quamdiu vitæ cursum tenuit, vixit, & quam mortuus in-
tulit secum in sanctimoniam cælestem & in regionem at-
que sedem Sanctorum? Sed non facies, Pape: nondum
enim de moderatione & integritate tua desperavi.

Num igitur alium, Pape, veterum seculorum Pa-
trem cum societate cœtuque vestro consociare pappo-
que tuo ad vertiginem agglutinare vestram audes? An
S. Cyprianum, qui lutofo Luthero imbecillis & puerilis
nugator & desertor diuinæ scripturæ fuit? qui pro Missæ
sacrificio propugnauit acerrimè, (*epist. 11. & 16. & 18. & 32. &*
37. & 54. & 58. & 63. & 68. & 73. & 76. & 77. & de test. aduers. Iudæos
lib. 1. cap. 16. & 17. & in orat. domin.) qui Purgatoriū & precati-
ones sacrificiaq; pro mortuis defendit, (*epist. 52. & 66.*) qui
preces adhibitas ad Sanctos exemplo factoque suo con-
firmavit, (*epist. 5. & 57. & de stella & Magis, & de mortalitate, &*
de discipl. & habitu virginum.) qui solam fidem non recepit:
adiunxit opera & merita in nobis Spiritus sancti, (*epist. 14.*
& 18. & 20. & 25. & 37. & 52. & 55. & 56. & 57. & 60. & 77. & lib. de
vnit. Eccles. & de orat. domin. & de zelo & liuore, & de opere & elee-
mos. & de bono patiētia &c.) qui virgines & monachos ἱσαγγε-
λως vocauit, (*de discipl. & habitu virginū, & epist. 60. & 62. & 77.*
& locis plurimis alijs.) qui satisfactiones & indulgētias dila-
tauit, (*epist. 8. & 10. & 11. & 12. & 16. & 25. & 26. & 27. & 30. & 31.*
& 40. & 52. & 55. & 59. & 64. & 69. & de vnit. Eccles. & de opere
& eleemos.) qui Petrum caput Ecclesiæ, & primū Aposto-
lorum, sedisse Romæ, & super eo ædificatam Ecclesiam,

O

& qui

& qui à cathedra Petri discessionem faciunt, non esse in Ecclesia; & Romanam Ecclesiam esse Ecclesiarū omnium matricem, nec posse adulterari fidem illius demonstravit, (*epist. 40. et 45. et 52. et 55. et 57. et 69. et 70. et 71. et 75. et 76. et de unit. Eccles. non longè à principio, et de exhortat. martyr. cap. 11.*)

An igitur Pappè rursus S. Cyprianum nominabis testem Lutheranae feditiois, quam ille detestabilem putat & totam in infernum damnat? An fortassis S. Gregorius Magnus tibi Lutheranus est? quem Lutherus os durum illud & flabellum Sathanae scriptorem superstitiosum, & à Diabolo pueriliter deceptum, & planè nullius pensi concionatorem, & inscium Euangelij Christi, & os Diaboli, & damnatum ad infernum, & errantem in satisfactione vocat: ex quo solo coniectura capi possit, à Deo Romanam Sedem subiectam execrationi, nec extitisse post S. Petrum Papam qui Euangelium Christi prædicauerit? (*Tom. 2. Germ. fol. 301. et 350. et 434. et Tom. 5. Germ. fol. 231. et 368.*) An igitur Lutheranus est, qui fidem solam reiecit? (*lib. 4. in Iobum cap. 14. et lib. 33. cap. 6. et homil. 9. et 22. super Ezechiel. et in 3. lib. in 1. Reg. cap. 4. et homil. 27. super Euangelia*) qui sacra Papistica fecit & fieri iussit, (*lib. 1. epist. 27. et lib. 4. epist. 34. et lib. 6. epist. 30. et 31. et lib. 7. Indict. 2. epist. 63. quam nota. et lib. 11. epist. 57. et in decretis suis, et in privileg. Eccles. S. Medardi, et lib. 4. dialog. cap. 58.*) qui Purgatorium maxima contentione & ex scriptura, & ex exemplis quæ acciderunt, defendit, & ipse celebrandis Missis innumeras animas ex Purgatorio liberavit, (*in primo et tertio psalmo pœnitent. et in lib. 2. in 1. Reg. cap. 3. et lib. 4. dialog. cap. 25. et 39. et passim.*) qui Sanctos inuocavit, (*lib. 2. dialog. cap. 38. et lib. 3. cap. 24. et 25. et lib. 4. epist. 34. et lib. 5. epist. 19. et in privileg. Eccles. S. Medardi.*) qui S. Petrum Apostolorū principem fuisse & caput Ecclesiae, (*homil. 18. in Ezech. et in 4. et 5. psalmo pœnitent. et in 2. parte pastoralis curæ cap. 6. et lib. 2. epist. 33. et lib. 4. epist. 30. et 32. et 38. et lib. 6. epist. 23. et 37. et lib. 9. epist. 39. et 40. et lib. 10. epist. 31.*) & habuisse à Deo mandatā totius Ecclesiae curam, (*lib. 4. epist.*

epist. 32. et lib. 7. *Indict. 2. epistola 95.*) & in S. Petro ædificatam Ecclesiam, (*lib. 4. epist. 32. et lib. 6. epist. 37. et lib. 11. epist. 44.*) & sedisse Romæ in Episcopatu, & ibi martyrio affectum & humatum, edere miracula infinita per corpus & claves, apertissimè scripsit, (*lib. 1. epist. 29. et 30. et lib. 3. epist. 30. et 41. et lib. 6. epist. 37. et 60. et lib. 11. epist. 8.*) qui Romanam Ecclesiam nominat Ecclesiam Apostolicâ & B. Petri, & caput Ecclesiarum omnium, & supra omnes in toto mûdo principem: quæ claves aperiendi & claudendi cælum habeat: & in cuius solius cõmunitate sit spes veniendi in cælum: sic vt qui ab ea diuiditur, dānetur: nec qui ab illa repulsus est, suscipi debeat à quoquam: (*lib. 1. epist. 70. et lib. 2. epist. 33. et 69. et lib. 3. epist. 41. et lib. 4. epist. 38. et lib. 5. epist. 26. et lib. 6. epist. 23. et 37. et lib. 7. Indict. 2. epist. 53. et 95. et lib. 10. epist. 31. et lib. 11. epist. 44. et 54. et lib. 12. epist. 6. et 31. et in lib. 1. Reg. cap. 14. et in psalm. 5. pœnitent. in versu; Tota die &c. et in decretis et in privilegio Ecclesiæ S. Medardi.*) qui se & Papas omnes Romanos vicarios & successores Petri vocat: (*lib. 6. epist. 60. et lib. 10. epist. 31. et lib. 12. epist. 31. et in privilegio Ecclesiæ S. Medardi.*) qui res arduas omnes Ecclesiarum omnium voluit iudicari Romæ: (*lib. 2. epist. 46. et lib. 11. epist. 54.*) qui primatum Ecclesiæ & præsidem se S. Petri ipse nominat: (*in 1. Reg. cap. 9. et lib. 4. epist. 51. et libro 5. epist. 60.*) qui in genere Episcopos & Patriarchas omnes Sedi Romanæ subijcit, (*lib. 2. epist. 37. et 69. et lib. 4. epist. 34. et 51. et libro 7. Indict. 2. epist. 64. et lib. 12. epist. 31.*) & in specie Patriarcham Constātinopolitanum, (*lib. 2. epist. 63. et lib. 4. epist. 38. et lib. 7. Indict. 2. epistola 63. et 64.*) Alexandrinum, (*lib. 5. epist. 60. et lib. 6. epist. 37. et lib. 10. epist. 54. et lib. 11. epist. 46.*) Antiochenum. (*lib. 1. epist. 27. et lib. 7. Indict. 2. epist. 47.*) Hierosolymitanum, (*lib. 9. epist. 40.*) Qui Concilia indicit & sine Romanæ Apostolicæ Sedis auctoritate & consensu valere non finit: dānat magis cū sine Papæ iussu coguntur: (*lib. 2. epist. 33. et lib. 4. epist. 34. et 39. et lib. 6. epist. 31. et lib. 7. Indict. 2. epist. 69. et 114. et 115. et lib. 11. epist. 8. et 10.*) qui omnes excommunicat, (*lib. 7. Indict. 2.*

epist. 69. & in privilegio Ecclesie S. Medardi.) qui Imperatores Romanos, & Reges atque reginas Gallie & Anglie, filios & filias vocat: & omnes Ecclesiastica sua cura regit: & cui omnes paruerunt: (*lib. 5. epist. 3. & lib. 7. Indict. 2. epist. 64. & 114. & 115. & lib. 11. epist. 8. & 10. & in privilegio Ecclesie S. Medardi.*) qui sententiam suam etiam iniustam tamen metuendam esse sensit Lutherus, (*Tom. 5. Germ. fol. 222. & 231.*) qui cum ista omnia faceret & crederet, tamen vniuersalis Episcopus esse non voluit: non vt pugnans secum rudissimus stipes Lutherus horribiliter mentitur, (*Tom. 8. fol. 2. 8.*) quod Papa non esset, & nomen Papæ non ferret: magis damnaret Papatum: Nec vt interpretantur discipuli Lutheri, paulò sapientiores magistro, quod pastor & rector supremus omnium Ecclesiarum & summus Pontifex esse vel dominus Apostolicus, (vt ipse S. Gregorius Romanos Papas *lib. 1. cap. 4. dialog. nominat*) & in cura sua includere totius orbis res Ecclesiasticas non vellet, vel quod simpliciter esse titulum prophanum sentiret, quem (*in lib. 4. epist. 32. & 38. & lib. 7. Indict. 1. epist. 30.*) sciebat fuisse Romano Pontifici à concilio sancto Chalcedonensi oblatum: sed vt ipse sensum suum explicat, quod metueret, ne sub ista voce totus honor officij Episcopalis, in Pontificem solum conferri & ceteris Episcopis omnibus detrahi: eoque cum Papa cadit, ruere tota Ecclesia: & ne qui vniuersalis dicitur, solus Episcopus esse (*lib. 4. epist. 32. & 34. & 36. & 38.*) videretur. Eam igitur vocis intelligentiam solam refugiebat S. Gregorius: rem à nobis per vocabulum significatam non negabat, vt miser Hunnius delirat: qui ista eadem loca vt cæcus sine aspectione librorum apponit: sed epistolarum & librorum numerum non recte notat, & quod *lib. 6. epist. 39. vel 80. traditur, refert ad 83. epistolam libri quarti: & similiter epistolam libri 6. reijcit ad librum septimum: insanus questionarius.* Sed sic non sensit S. Gregorius: ipse quid vellet, omnibus locis explanauit: tantum singularitatem Episcopatus horruit:

ruit: vt Ecclesia vniuersalis & vna & sola est, sic Episcopus vniuersalis & vnus & solus esse nō voluit: ramen gubernationem omnium Ecclesiarū retinuit & primatum exercuit, & Petri omnium Ecclesiarum totius orbis pastoris (*lib. 4. epist. 32.*) vicarius & successor fuit: fecit in regendis Ecclesijs omnia, quæ facit hodie Pontifex.

An igitur adhuc, Pape, Lutheranus est S. Gregorius? aut si is non est, an erit S. Dionysius? S. Ignatius? S. Iustinus? S. Irenæus? Clemens Alexandrinus? Cyrillus? Nazianzenus? Basilius? Hilarius? Nyssenus? Epiphanius? Athanasius? Theodoretus? Eusebius? Damascenus? Theophylactus? Optatus? Fulgentius? Lyrinēsis? an erit vllus istorum vel omnium Patrum Pape? An erit Tertullianus? Origenes?

Sed delige Pape, si potes, vnum: & nomina nobis si audes; si hilarare cœtum tuum, si indumento vetustatis cohonestare sectam cupis: si non videri vis affectator nouæ & recentis & per quindecim ætates, quàm longè lateque gentium omnium & terrarum orbis patet, & quousque aures & oculi & calami hominum proficisci potuerunt, inauditæ & nulla mortalium memoria consecratæ sententiæ. Delige igitur, quos commodum est: & ex illis per extremam arrogātiā recita contra nos testimonia, quæ Centuriatores, & Exabbas & VVirtenbergensium prædicatorum sodalitas, detracta de S. Patrum pulchritudine polluerunt falsitatibus, & inquinarunt mendacijs, & fœdarunt corruptelis. Tamen recita de sola fide quadraginta sex Patres, vt fecerunt Tubingenses: dissimulans interim, sanctos viros cū solam fidem nominant, non ad vnicam illam solitariam virtutem quæ cōtra charitatem ac spem distinguitur, sed vel ad totam respicere religionis cōplexionem, quam per fidei nomenclaturam significant, vel ad fidem cum charitate & spe coniunctam & testatā operibus. Sed tenta Pape: obijce nobis aliquid de sola fide: de vbiquitate: de omnibus. Delige vnum

O 3 vel

vel sexcentos Patres. Quemcunque tamen de toto isto sanctissimo veterum Patrum & Martyrum concilio produces: quisquis erit, si tamen erit aliquis: ego statim non tantum comonstrabo, non semper nec in omnibus sentire vobiscum: sed siam audacior: progrediar longius: duo alia ostendam: & nisi faciam, pariar, vt me vicissim vestris maledictis, & conuitijs & contumelijs tanquam conucleratum hominem configatis publicè. Duo igitur de Sanctis Patribus omnibus ostendam: audi Pape. Primum, in capite nullo, in quo bellum nobis Lutherus perduellis & Apostata Christi fecit, in periodo nulla, in litera nulla, iustificationis, inuocationis Sanctorum, Missæ, oblationis pro viujs & mortuis, calibatus, vitæ Monasticæ, primatus Papæ, Purgatorij, meritorum, salutis per opera & similia, & ne quidem in specie vna Cœnæ congruere vobiscum & cum seditionibus vestris, in eum sensum, in quem vos spectatis, Patrem vllum, cuius libri & in libris consignatæ sententiæ ad nos profluxerunt: vel cuius etiam solum nomen perlatum ad nos fuit. Secundò, nullum esse positum inter nos in controuersia religionis fideique Christianæ nostræ caput, nullam periodum, nullam lineam, vocem nullam, quam S. Patrum aliquis vel contra nos damnauerit, vel non expressè pro nobis testimonio comprobauerit iudicioque suo. Illa duo, Pape, contra te & contra tuos turbulentos omnes ciues sub estimationis honestatisque meæ periculo defendam publicè in colloquijs vel scriptionibus publicis: coram tuo, coram omnium Electorum & Principum senatu, ante conspectum Imperatoris, coram Angelis & Deo: & sic defendam, vt vniuersus mundus nouitatem sit vestram & insaniam & exilitatem apertis oculis aspectaturus.

Fecissem iam statim, nisi Epistolæ modus prohiberet: vel si scirem an adhuc aliquem pudor te tuus sineret nominare Patrem, assensorem sectæ vestræ, & tum quem deligere de infinita multitudine sanctorum hominum cogitares.

gitares. Tamen quod hoc loco de S. Augustino, S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Chryostomo, S. Cypriano, & S. Gregorio ascripsi: idem multò fusiùs de omnibus antiquis Patribus & singulariter de illo quem tu post adhibitum delectum propones, clarissimè commōstrabo: non de paucis capitibus sed de omnibus, & secundum duos istos modos quos ipse mihi libens circumieci. Age igitur Pappè, intende acumen studiumque tuum: si seriò existimas nouam esse religionem nostram & restare vobis aliquid etiam minimi & extremi subsidij in S. Patrum Ecclesia: appare in publico: siste aliquem quem aptissimum esse putas: vel si non potes, desine mundum: desine Germaniam: desine recuperatas pretioso Christi sanguine miseris ciuium tuorum animas ludificare diutius: desine perdere conscientiam tuam: confitere magis nullum fuisse per omnia retrò secula veterem Patrem, qui patrocinium vobis contra nos accommodet: qui in minimo vobiscum congruat: restare magis & clama, Pappè, vos non magis Papæ Romani quàm vetustatis totius & Patrum atque Martyrum omnium in fide & ceremonijs esse capitales hostes, & iniuriam fecisse tamdiu Catholicis, & illusisse mundo, quòd sub sanctorum hominum integumentis occultaretis malitiam vestram, & obnuberetis turpitudinem. Id fac, & laudabimus etiam in hæretico virtutis scintillas & reliquias pudoris.

Quod verò de antiquissimis Patribus dixi: id æquè sentio de Patribus posterioribus, qui infecuri vitam Gregorij Magni sunt, cum iam infixæ radicibus maximis & nacta pacem à Tyrannis & hæreticis Ecclesia liberius floretet, & Christi se fides, quam vos Antichristo perdituri homines ascribitis, longissimè proferret. Sed vt puto, si in Magistri Lutheri disciplina persistes, & si diuortium ab illo non facies, nullum appellabis post Gregorium: post quem mentitur mendaciorū mancipium Lutherus tuus inundasse fractis foribus & impedimētis omnibus in Ecclesiam

clesiam Antichristum, cum prius quoquo modo repagulis sanctorum hominum teneretur magis inclusus in labris. Nullum enim impudens vir post S. Gregoriū nobis relinquit Romanū Episcopum, nullum purum scriptorem: ceteros Ecclesie Romanæ rectores nominat, Papas (*Tom. 4. Latino fol. 721. & 8. Germ. fol. 218.*) & scriptores, ministros Antichristi imperitissimus rerum & verborum truncus: quasi Papa non esset Episcopus, & non omnes Episcopi veteres, præsertim per Græciam, diu ante S. Gregorij ætatem istud cognomentum vsurpassent.

Verum si fortassis, Pappæ, malitiam sociorum imitari mallet, quàm perfidiam Præceptoris, & colliberet de recentioribus Patribus apponere testem: vt fecit Herbrandus, hostis Herbrandus fidei ruborisque sui, & vt fecit restator falsitatis deformis Illyricus, & nuper Exabbas Blavvbeurensis lamētabilis non scriptor sed alienorum mendaciorum sine iudicio tam incircumspectus compilator: vt in ponendis authoribus & locis tantum in Centuriatorum fide malè credulus Lutheranus conquiescat: nullum ipse in authorū libris locum perlustrat: id idem, inquam, si tibi placeret, Pappæ: dolerem primū impudentiam tuam: deinde si tu iacturam facere verecundie tuæ constituisses, gauderem plurimū, tandem appelli miseriam tuam, ad illos in ecclesiam vestram cooptandos, quos maximos fuisse Papistas & sententiæ nostræ profeminatores, & vos eousque magnis clamoribus contendistis, & si iam negaretis, conscientie vos vestræ & mortalium omnium conuincerent.

Tamen si vis, nomina aliquem: nomina Bernhardum sanctum illud caput, fulmen in Lutheranam delirationem, & singulare fidei nostræ monumentum. Nomina igitur, oblitus conscientie & rationis humanæ: nomina per summam inuerecundiam. An is verò Lutheranus esse potuit, qui Missam vsque ad spiritum extremum fecit, & in ea sacrificium & transubstantiationem & vnā speciem

ciem constanter collaudauit? (*epist. 69. & 190. & in vita Malachie, & in vita ipsius S. Bernhardi, & in sermo. de S. Nicolao, & passim.*) qui S. Mariam matrem misericordiae & Reginam cæli, & viuificatricem hominum nominauit, & eam cum omnibus Sanctis inuocandam censuit & inuocauit, (*homilia 2. & 4. super Missus est, & ibidem in conclusione: & in serm. 5. in festo omnium Sanctorum, & serm. in festo S. Nicolai, & in obitu Flumberti monachi.*) qui per S. Mariam contritum caput serpentis esse sensit, (*homilia 2. super Missus est. & de modo bene uiuendi serm. 29.*) qui Purgatorium & orationis pro mortuis efficacitatem credidit, (*serm. 65. super Cantica, & in vita Malachie, & serm. 3. de S. Andrea, & serm. de S. Nicolao.*) qui solam fidem à iustificatione & salute remouit, (*serm. 1. de modo bene uiuendi, & 24. & 25. super Cantica, & 3. in vigilia Natiuitatis Domini, & epist. 77. quam nota. & serm. 3. de S. Andrea, & 10. de cœna Domini.*) qui in meritis nostris tãquam nostris non glorandum; tamen confidendum esse voluit, & merita nostra ad salutem æternam adhibuit, (*serm. ad milites templi cap. 11. & serm. 6. & 11. de cœna Domini, & de conuersione ad clericos cap. 15. & 17. & 66. super Cantica, & lib. de gratia & lib. arbitrio, & serm. de modo bene uiuendi 20.*) qui Papam Romanum omnibus Apostolis præter Petrũ anteponebat, & principem domum domus Dei, & vicarium Christi, & vniuersæ Ecclesiæ rectorem & pastorem, & potestatem Petrum, & vñctionem Christum & hæredem Apostolorum vocat, (*epist. 131. & 183. & 237. & 239. & 242. & lib. 3. de confide. cap. 7. & 8. & serm. 3. de fragmentis, & serm. de S. Petro & Paulo.*) qui monachus fuit, & vitam monasticam supra cælos in Angelorum societatem & sanctimoniam intulit & pro secundo baptismo habuit, (*de dispens. cap. 22. & epist. ad fratres de monte Dei, & homilia de duobus discipulis, & serm. 20. & 21. de modo bene uiuendi.*) qui denique imaginẽ & simulacrum Lutheri Henricum hæreticũ & Apostatam monachum, cum eadem quæ Lutherus (sed non omnia) in fide nostra vilis scurra reprehenderet, & orationes atque oblationes

P nes

nes pro mortuis, Sanctorum inuocationes, fidelium peregrinationes, Chrismatis & olei consecrationes, & alias Ecclesiasticas constitutiones rideret, fregit auctoritate, & repressit miraculis, & confutauit argumentis: nec vlllo loco consistere passus, tam diu perquisiuit, donec in carcerem detrusus, libidinosus stuprator errores in vacuum aërem & animam in infernum immitteret, (*lib. 3. in vita S. Bernhardi cap. 5. & epist. 240. & serm. 66. in Cantica.*)

Et quid Pape? an tu virum Sanctum facies Lutheranium? cōtra præceptores & magistros tuos? qui in libro, in quo causas recusati Tridētini Concilij comminiscuntur, abusi maximorum & optimorum Principum dignitatibus & nominibus, tum totū Papatum criminandum sub libidinem & calumniam vnus Iuristæ subiecerunt, tum sanctum virū Bernhardum; ignari quidem in quem conuitium iacerent, tamen (*fol. Germa. editionis 257.*) architectum verborum, quæ scripta à S. Bernhardo in capite 8. secundi libri de consideratione sunt, nominarunt impudentem scriptorem Pontificium, os quod loquitur grandia & mirabilia contra Deum deorum: aduersarium qui extollitur supra id quod Deus dicitur: abutentem Dei nomine & cōmutantem Papam in Idolum: pugnantem cum scriptura, & simpliciter corruptorem honoris diuini & prædicatorem Antichristi. Cum horum igitur libidine, quomodo audacia tua consistet? & quem illi clamant fuisse mancipium & laudatorem Antichristi, an tu seruum Christi & ciuem cæli constitues? & damnabis iudiciū & patefacies mendacia sectæ tuæ? Et vt honori tuo parcam, tantum Papiſtam, & tantum fidei nostræ Sydus, qui in re nulla cū Luthero consensit, & dissensit in omnibus, & hostis Lutheri in persona Henrici Monachi iuratus fuit: an quispiam sic honorem suum in contemptionem proiecit, vt ad Lutheranos contra conscientiam, contra perspicuitatem veritatis, contra veterum Luthe-
ranorum

ranorum publicam & auctoritate Principum vestitam sententiam, ascribat? quem mentitur Lutherus damnasse in mortis aditu monasticam vitam & resipuisse ab erroribus. Aegrotus aliquando sed diu antemortem vocem pulcherrimam emisit S. Bernhardus: confidere se ad cælum capeffendum in Christi meritis: tamen sua profluentia ex Christi dono non infirmauit: non negauit: magis dilatauit: & deinde cum valetudinem recepisset & vitæ cursum longiùs produceret, nihil vnquam in priori fide correxit: à monastica vita & à Catholica publica religione & à parandis multis ad regnum cælorum meritis transuersum vnguem non discessit: nihil intermisit quod ad Papæ religionem exemplo suo illustrandam & argumentis deuinciendâ & defendendam sanguine pertineret: cuius nos ductu & disciplina credimus omnia, quæ contra Lutheranos credimus: & si Bernhardus Papista non fuit, ne nos quidem sumus, qui complexionem fidei ab ipso traditam sequimur omnes.

Sed excudi iam & proferri in publicum confessionem S. Bernhaldi iubeo: in qua quid S. Bernhardus de fide sentiat, & quanta Lutheranos & quàm incredibilis sit in mentiendo petulantia & effrænatio: isto vno exemplo in clarissimo lumine ponetur.

Quod verò de sancto sum Bernhardo contestatus, idem de reliquis omnibus posteriorum annorum Patribus est verissimum, de S. Vdalrico, Giselberto, Ansberto, Radulfo, Smaragdo, Bernone, Algero, Brunone, Damiano, Lanfranco, Anselmo, Honorio, Hugone, Ruperto Cluniacensi & alijs. Papistæ fuerunt omnes: Missarum, inuocationis Sanctorum, purgatorij, orationis pro mortuis, operum, meritorum, formatæ fidei, transubstantiationis, primatus Petri, & Hierarchiæ ecclesiasticæ pontificiæ defensores grauissimi: hostes totius Lutheranismi & Vbiquitatis & consideratæ sine charitate solius fidei: qui omnes nostram secuti religionem, in controuersijs à

Luthero suscitatis proximi nobis accedunt: & si quando, quod præsertim Ruperto contigit, dissentiunt à nobis, tamen Lutheranam causam subleuant nunquam: semper dissident à Luthero: & illius nouitates & supra religionis condemnant. Totum bellum, Pape, nostrum deleueris, si quod Catalogus testium vanitatis, & insani Centuriatores, & horum ridiculus simius Exabbas Blavvbeurenensis per extremam desperationem de Patribus illis mentiuntur, tu testimonio vno perspicuum facies: & fuisse contra nos fidemque nostram testes veritatis & ciues Academiae Lutheranae, & socios fornicationis vestrae comonestes. Attenta Pape: periclitare quid possis: Ne specta pudorem tuum: nomina Lutheranorum ex illis aliquem: non qui in omnibus sed qui in vna re, de qua quidem vobiscum belligeramus, stet à vobis contra nos.

Tamen, inquit, S. Vlricus Augustanus Episcopus calibatum sacerdotum damnauit, & Nicolaum Papam tanquam virum inconsideratum & lupum ouiarum Christi & Hæreticum flagello liberrimæ linguæ in Epistola grauissimè verberauit. Falsum est, Pape: centuplicatum falsum: Mendacium est Lutheranorum pinguisimum Epistola S. Huldrici, confictum ad fulciendam ruinam sectæ & ad tuendam sacerdotum procacitatem. Sed examinemus parum Epistolam, turpitudinem Lutheranorum: non ad aperiendam falsitatem fabulæ, quæ in omnium oculis & in clarissima luce meridiana versatur: sed ad ridendam tantum immoderatam vestram mentiendi & fingendi licentiam. Primum Anno 21 (*Tom. 1. German. fol. 389.*) placebat Luthero S. Vlrici Epistola: tamen subdubitabat, nec subsidium in ea constituebat: Deinde aliquandiu intermissa & relicta in tenebris, rursus sistitur ante hominum oculos Anno 1550: tum cum nugatoriam Antilogiam VVeissenburgius aliquis in publicum referret, erat sine dubio Sancti Vlrici & inuenta in bibliotheca oppidi Veteris a quæ in Holandia: nimirum quod præuideret

uideret author, firmiora esse mendacia, nec ita subito refutari, quæ ex longissimis & vltimis regionibus petuntur. Deinde Anno 1552 Funcius ex Roberto Barns Anglo calumniatore hæretico, fabulam repetit: & duabus vanitatibus amplificat: addit enim sub huius Papæ gubernatione COEPISSE COGI ad cælibatū sacerdotes: & Vlricum Episcopum resistuisse aliquandiu Papam ne mandatum exequeretur: falsissimè omnia. Rursus Anno 56 recudit Epistolam Flacius in Catalogo stultitiæ suæ, & extare confirmat in vetustis membranaceis libris: oblitus quid mendacij socius ante se nuper admodum enunciasset publicè. Tamen & VVeissenburgius & Flacius & Funcius Sancti Vlrici vel Huldrici, qui ante annos tum 700 vitam tenuisset, Augustani Episcopi epistolam esse, contendebant pugnaciter: & priores duo simili exemplo in capite Epistolæ, quasi de veteri libro præponebāt, esse illam rescriptionem Sancti Huldrici Episcopi Augustensis, in qua Nicolao Papæ de continentia Clericorum non iuste sed impiè: non canonicè sed indiscretè tractanti, responderit: & vt melius placeret fabula, falsum ex Pio II. Aenea Syluiò testimonium, vtrinque sed inconstanter appingūt: VVeisseburgius enim de S. Vlrico Augustæ Patrono, qui Papam de concubinis arguerit: prorsus vt in postrema Basiliensi editione Syluij librorum legitur: Flacius verò de eodem S. Vlrico Augustano Episcopo, qui Papæ cælibatum promouenti resistit, loqui Aeneam Syluium tradit. Sed non est idem, arguere Papam de concubinis, & resistere Papæ promouenti cælibatum: nec qui concubinas damnat, tollit cælibatum: nisi Flacius concubinas & vxores eodem loco habuit. Tamen postea cum animū per historiam circumferret Flacius, impudentiā & deformitatem mendacij aspexit ipse: cum nullus occurreret Nicolaus Papa, qui cum S. Vlrico vel iuvene vel sene cōmoratus in vita fuisset: sed primus Nicolaus viginti tribus annis, priusquam S. Vlricus vita-

lem primum spiritum hauriret, mortem oppetiisset: secundus verò Nicolaus ad dignitatem Pontificiam elatus Anno 1058 fuisset, cum S. Vlricus ante annos octoginta quinque vitam deposuisset. Sanctus enim Vlricus Augustanus Episcopus testimonio antiquissimi libri (qui non in Holandia sed in Augia maiore prope Constantiam in omnium oculis asseruatur, scriptus ab ipso authore Bernone Augiensi Abbate, qui viuens puer S. Vlrici memoriam recordari potuit, & Anno 1020 in magna nominis celebritate vixit) mortuus est Anno 973, 4. Non. Iulij, ætatis suæ 83. ordinationis verò, 50: de quo qui dubitat, refutabitur inspectione vetustissimi libri cum ad me veniet, & autoritate Bernonis, quem Exabbas in Academia Christi & in cælo collocat & cum Lutheranis coniungit. Sed tamen si turpitudinem figmenti videret Flacius: tamen errorem confiteri, vir factus ad mentiendū, non voluit: potiùs primùm Anno 1562 in Centuria sexta (fol. 388.) Vdalricum sine ascriptione Sancti, authorem Epistolæ nominavit: deinde cum in mendacio turpiter inuolutus & constrictus esset, perruptis omnibus pudoris claustris, accumulandū mendacio veteri mendacium nouū esse iudicauit, & Anno 1565 in Centuria nona (fol. 540.) non iam S. Vdalricum vel quemcūque Vdalricum sed alium Huldricum antecessorem S. Vlrici, Episcopum eiusdem loci scriptorem Epistolæ facit: & Vdalricum ab Hulderico discriminat: dissimulans interim quid & hactenus à se & VVeissenburgio & Hedione & Syluio tum creditum, tum in multis libris consignatum & veteri Epistolæ tanquam πρόγραμμα præmissum de membranaceis libris & Holandico volumine fuisset: quæ omnia veterarum silentio contextit, nec Epistolam ampliùs totam vlllo loco Centuriarum apparere sinivit (cuius suppudere oblitum omnis pudoris hominem propter clarissimum historiarum lumen cœpit) sed breuem summam Epistolæ timidè adumbrat: epistolam ipsam intermittit. Verùm
cæcu-

cæcutiens Grynæus, Basiliensis declamator, paruifaciens in quas angustias Flacium sodalem lumen veritatis contrufisser adhuc Anno 1569 post correctū à Flacio somnium, defendit in vasta confusione quam hæreticus ὀρθοδοξο-γραφα scripta Patrū vocat: Epistolam esse S. Vlrici, & missam ad Nicolaum Papam, & inde ex vnus Vlrici persona cognosci quid de cælibatu pij tum quidam viri senserint: in quibus tam paucis verbis & tres exhalauit in vno spiritu falsitates, & tertiam de suis vberibus grauidatam & extractam ex aluo vanitatis magna piorum accessione dilatauit: vir alioquin historiarum nō imperitus sed coactus à nuditate sectæ: & quòd pudendum esse putaret, deserri fabulam tāto triumpho & tot librorum veterum splendore propositam, & tot asseuerationibus suspensam ante oculos hominum.

Quid cogitas, Pappe? cū ista tecum pro consideratione tua perpendis? Sed non sunt omnia, Pappe: Aures attende, & damnabis Lutheranos tuos tam turpis fabulæ tam turpes actores. Vt mendaciū Flacius retineret, Huldricum, Episcopum alium Augustanum ante VVitgarium substituit sine vllis tabulis: sine libris: sine vlllo documento vetustatis: cōtra literas: contra monumenta: contra signa omnia Augustanæ Ecclesiæ & veterum scriptorum: nullo alio vsus ad probandum adiumento, nisi quòd Epistola illa fictitia Huldrici Episcopi Augustani nomen præ se ferret, eoque talis aliquis ista ætate, quicquid tabulæ & libri loquerētur, fuisse deberet. O cælum, ô terra: ad sustinendam mendacem Epistolam intrudi in Episcoporum ordinem Huldricum qui nunquam fuerit: & fuisse nec oculis, nec auribus, nec vlllo sensu, nec traditione, nec scripture cognosci possit? Vtrū rectiùs fecisset, Pappe, Flacius, si quia talis Episcopus nullus vel in libris recitatur vel in tumulis inscribitur, negasset veram esse Epistolam cum tempore non congruentem? An quòd contra apertissimam veritatem Epistolam defendit

fendit & nouum hominem per praestigias creauit, nō creatum à Deo? Annales Augustani Episcopū Huldricum ante S. Vdalricum non recitant: libri nulli meminerūt: tabulæ publicæ nullæ significāt. De Vdelmanno Episcopo loquuntur, qui ipse post ætatem Nicolai Papæ administrauerit Episcopatum. Sed fuerit Huldricus Episcopus Augustanus: & fuerit ante S. Vlricum, tempore Nicolai Papæ primi: Tamen Epistola istius Huldrici non esset. Est enim in inscriptione Epistolæ: fuisse Sanctum Vlricum: & Syluius in editione postrema idem ascriptione testimonij sui & nuncupatione S. Vlrici, Patroni vrbs Augustanæ comprobatur: & sic habent libri vetusti Flacij, & liber Holandicus VVeissenburgij & Anglicus Roberti: nisi omnes turpissimè in publico totius mundi theatro contra conscientiam cōmenti sunt tam tetrum, tamque foedum mendacium. Vel igitur Syluius & Flacius & VVeissenburgius, & libri omnes membranacei vetusti & Holandici, & inscriptiones Epistolæ & alia plura vanissima sunt, plena turpissime fraudis, vel S. Vdalricus & non Huldricus alius, tamen si fuisset alius, Epistolam dictauit: eoque magis, quod in Epistola Vlricus ille fictitius monachum se nominat, cum se scribit & omnes viros ordinis sui venturos subsidio Papæ ad cōtinendos monachos in castitatis iurato voto. Omnino igitur S. Vlricus vel Vdalricus Epistolam scripsit & non alter senior Huldricus, qui monachus non fuit: si tamen aliquis Huldricus, Episcopus Augustanus scripsit. Atqui rursus S. Vlricus author Epistolæ esse nō potest per ætatem temporis quæ Nicolaum Papam nullū admittit: & quia in vniuersum scriptores omnes annalium & Berno Abbas noster, qui res omnes S. Vlrici fusissimè tractauit, & vitæ Sanctorum, & libri & chartæ omnes per totam Germaniam, in qua S. Vlricus totam ætatem egit, istius rei mentionem intermittunt & ne quidem per literam vnā inuuant: magis & cultorem Pontificum & Papistam maximum fuisse de-

clerant.

clarant. Nec ruditas & stultitia literarum in S. Vlricum conueniunt; qui vir religiosus nunquam Syluestro Pape per mendaciū affinxisset, quasi Syluester iussisset vt vxor Episcopi benediceretur à Sacerdote; quod Syluester nunquam ne quidem dormiens cogitauit: voluit tantū vt vxor Presbyteri, si quam habuit, vna & legitima esset, & intercedente sacerdotis benedictione in manū cum marito conuenisset. Deprauatio illa S. viri non est: est Hutteni, vel Flacij, vel alterius Lutherani. Nec sanctus vir regulas Clericorum & Canonem Apostolicum in alienam sententiam deflexisset: nec mutilasset Paphnutij in Concilio Niceno emissam sententiam: nec tetrum mendacium finxisset contra S. Gregorium Magnum: quo nescio an turpius in omnium nugatorum libris mendacium extet; non traditum à scriptore, non contestatū libro, non consentaneum veritati; ne quidem in communi opinione hominum. Quis enim vnquam de viuario S. Gregorij literam vnā duxit? verbum vnum exarauit? indicium vnum reliquit? vel authorem esse cęlibatus S. Gregorium? vel sex millia capitum infantum cepisse vna piscatione? vel postea tam fœdo exemplo deterritum, mutasse priorem legem & permisisse matrimonij vsum sacerdotibus? Quis diabolus? quis scurra? quis nebulo tantum mendacium superiori parētum nostrorum memoria eruētasset vnquam? Legem nullam S. Gregorius de cęlibatu nisi Subdiaconis Siciliae imposuit, quos cōmunicum reliquis Ecclesie Romanae subdiaconis vinculo voluit contineri. Illam igitur legem sustulit, si vllam de nuptijs sustulit: & ex illa lege tot sunt factæ cades. At primum quo testimonio? Deinde quomodo tam pauci Siciliae Subdiaconi tam exiguo tēporis interuallo tot millia infantum procrearunt? & quomodo in vnum omnia viuarium coniecta? & quomodo Romam ex Sicilia perlata sunt? & vnde cōstat, fuisse ex Subdiaconis susceptos? Rursus adnumeremus omnes Clericos, Diaconos, Presbyteros.

Q

sbyte-

sbyteros, Episcopos: tamen quia viuariū vnò loco fuit, necesse est infantes nullos nisi isto loco natos, vbi viuarium erat, proiectos fuisse in viuarium: nisi fortassis in toto terrarum orbe infantes omnes Sacerdotum iugulati & comportati in istum vnum locum sunt. At quanta est hæc absurditas? & quàm mōstrosa? Sumamus igitur Romam & ibi fingamus viuarium amplissimum; eoque loco suspicemur demersos infantes. Sed iterum primū, si à Sicilia Subdiaconis propagatio & occidio liberorum fluxit, quomodo pauca supra Sicilia compleuerunt lacum Romanum tot millibus infantum? interiecta tanta intercapedine loci? Deinde quomodo viuariū sex milia corporum sic cōplecti & tegere potuit, vt tanto tempore indicium nullum sentiretur? Si enim vno loco iniecta fuerunt, quare cumulata non venerunt in conspectum? vel si diuersis locis sparserunt qui iniecerunt, quomodo fieri dispersio potuit? Aut vnde sciebant ijs locis, vbi suos infantes occultabant, non fuisse prius suffocatos alios? Quid corpora mortuorum humi figebat, quò minus in altum attollerentur? Et quia tot capita abstracta à corporibus reperiebantur, quanto & quàm longinquo tēpore isthic iacuerunt, vt putrescerent corpora & auulsa restarent sola capita? Et vbi tandem illud viuarium, vel Romæ est vel in Sicilia? quò tot infantes & tam impunè conferri potuerūt? & quod tot corpora complexu ambituque suo recepit? Præterea quomodo omnes puerperæ accurrerūt ad istum vnum lacum? aut si non tantum isto sed etiam alijs viuarijs & in Tybri & profluentibus cæteris similiter sacerdotum concubinæ, perdiderūt foetus: quàm innumerabilis summa & quàm infinitorum millium infantum nascetur? tantoque magis, si non omnes sunt infantes ab omnibus matribus necati: si multi superfuerunt: & tum rursus: quot concubinæ sacerdotum occultæ? quot clandestina supra? Adhuc quod superius dixi, vnde agnoscebantur capita? quo indicio sci-
ebantur

ebantur esse ex concubitu sacerdotum? An coronas gestabant & rasuras, vt essent similia patrum? cur nō erant laicorum? principum? nobilium? ciuium? rusticorum? & quod est maximum, vnde primū, cuius libri fide, cuius authoris monimento suscepta & propagata illa fabula fuit? Quare nec in Gregorio Magno, nec in Diacono copioso scriptore, qui res minimas, gestas à S. Viro, literis mandauit, verbum vnum de re tanta in libris omnibus relictū fuit? præsertim si Gregorius legem suam damnauit? & matrimonium liberum Sacerdotibus permisit? Id enim extremum complementū est vanissimi figmenti. At quando S. Vir abrogauit legem? quando indulsit Clericis matrimonium? Primū enim tantū Subdiaconos ad nuptias Pater Sanctus admiserit, quos solos ab vxorum cōplexu remouerat: sed tum, vnde sciebat culpam tantū hærere in Subdiaconis? nullum esse periculum à Diaconis, Sacerdotibus & Episcopis? & vnde præcognoscebat illos vri, cæteros non vri? Et cur, si omnes vrebantur, non omnes ad fruendam communem libertatem matrimonij & ad participandam S. Pauli communem sententiam veniebant? Iterum in vniuersali causa quæ omnes attingebat, omnibus potestatem fecerit nubendi Magnus Gregorius. At quando cōtigit? sancta erit secta Lutherana, & totum bellum nostrum confeceris, Pape, si post omnem adhibitam industriam, post percurfos omnes libros particulam vnā tantam & tam immensi mendacij vno testimonio non ad veritatem sed ad similitudinem veri & ad inanem probabilitatem confirmabis. Anno vno priusquā moreretur Sanctus Pater, in Epistolis duabus, vna ad Catulum Romanum & Victorem, altera ad Chrysantum Episcopum Spoletanum, summo adhuc studio sub pœna abdicationis à societate Christiana, interdixit mulieres cum Sacerdotibus & cum illis qui sacros ordines suscepissent, habitare: quod se nulla ratione ne quidem audire posse grauissime con-

testatur: Quando igitur nouauit legem? quādo antiquauit priorem sententiam? quando sponfos & maritos esse iussit Sacerdotes? Quando profecta ex faucibus uiri sancti vox illa fuit, Melius esse nubere quā mortis occasionem prābere? quo testimonio? tempore? loco? Fortassis rem tantū momenti, & tam noui in Ecclesia exempli nemo retulit in annales? nemo prodidit literis? nō ipse Gregorius? non ipse Diaconus explanator uitæ illius? nullus Theologus? nullus rerum gestarum scriptor & propagator historiārum? Fortassis ita clam ista omnia acciderunt; infantum occisio: mutatio legis: concessio matrimonij: ut nec ipse Pater Gregorius, nec quisquam mortalium uel audiret uel cognosceret. Sed tum unde per quas coniecturas hausit & per quas latebras perspexit personatus Huldricus, qui annis ducentis quinquaginta quatuor ad minimum, postquam S. Gregorius ex hac uita sublatus in cælum fuit, Epistolam ad Nicolaum Papam scribere debuit? O somnia. Sed tamen, Pape, quia spem uictorię in huius fabulæ triumpho collocauimus; excita tuos: ipse congrega uim uniuersam intelligentię memorięque tuę: an unum istorum adumbrari pigmento & conuestiri probabilitatis amictu possit.

Tantum uerò figmentum, tanta mendacia, tantas uanitates, nec ille Huldricus qui solem nusquam aspexit, nec S. Vdalricus noster scripsit unquam: nō finit illorum sanctimonia: nō permittit ætatis puritas: nec tantus asinus alter eorum fuit, ut cum in genere concedendū concubitum omnibus hominibus, quos flāma carnis adurit, commonstrasset, postea ab ista generis complexione remoueret monachos: Scribit enim author Epistolę, quam unusquisque secundum Apostolum uxorem suam habere debeat: & præstabilius sit nubere quā uiri: tamen non subijci sub istam regulam monachos & qui iurarunt continentiam: At cur? An enim monachi & uoto obstricti non uiruntur? & tum cur nubere nō debent?

Et ubi

Et ubi excipiuntur in S. Pauli scriptura monachi? An vniuersalis S. Pauli sententia nō est? sed tum cur obligantur Sacerdotes? si quidam vxores habere non possunt, cur inter illos aliquos non includimus sacerdotes? cur ex puris particularibus infertur, Sacerdotes qui flammam intus vrentem sentiunt, coniungendos esse nuptijs cum mulieribus? non esse Monachos? Tantus igitur truncus vel Huldricus ille qui nec vixit, nec mortuus vnquā fuit, vel S. Vdalricus noster non fuit: nec illa Epistola attribui viro intelligenti potest: Fabula est: monstrum est: portentum est: maius quā in Africa natum & in Luciani narrationibus educatum excultumque fuit: quādiu cælum quotidianæ conuersionis circum terram cursum tenuit: nec patrocinator fabulosum Holandicę bibliothecę adiuuentū: cū ne quidem existimari quęat, quemadmodū ex omnibus bibliothecis Germaniæ exacta Epistola per Rhenum in Holandiam profluxerit: interim peregrinata per annos sexcentos ab omni hominum recordatione & sensu. Nihil igitur bibliotheca oppidi veteris: nihil libri membranacei in quibus Flacius fabulam reperit, dissidens à socio suo: nihil inscriptio literarum, quę iam ab ipsis authoribus negatur: nihil ista omnia valent ad veritatem conciliādam mendaci & cum ipsa natura communiq̄ sensu pugnanti Epistolę: ne quidem si repertum esse & non fabricatum ab hæeretico cōstaret. Reperiuntur enim eodem modo Nicodemi & Andreae & Thomę Euangelia: & multi libri falsò ascripti authoribus: & fabulę AEsopi: & Alcoranus: quibus tamen propterea non habetur fides. Nec AENEAS nos Syluij testimonium impedit: Primū enim verba illa (Sanctus Vlrucus huic præsidet, qui Papam arguit de concubinis.) cum periodo non cohærent nisi per parenthesis interposita sint. Quid enim est? Augustam (Huic S. Vlrucus præsidet) ad Lycum iacentem, haud facillè inuenies quę ciuitas altera superet. Sic enim legi coniunctim debent,

Q³

& non.

& non vt disiunxit incuria Typographi: vt si quis ad marginem apposita, ab alio postea in medio curriculo textus inscripta esse pueret, fortassis non erret. Verum id pugnatiter non defendemus: sint verba illa Syluij: tamen pondus nullum ad infirmam nostram sententiam habent. Addit enim S. Vlricum Patronum Augustæ vrbis arguisse Papam: quod negant Lutherani de S. Vlrico: fingunt de commentitio Huldrico altero, non vrbis protectore: & Syluium in simulant mendacij: Nec nominat Nicolaum Papam Syluius, quod facit inscriptio adulterinæ Epistolæ: nec de calibatu sed de concubinis reprehensum Papam scribit: nec omnino Epistolæ meminit: multò minùs illam Epistolam quam Flacius aliquando esset publicaturus, confirmauit esse S. Vlrici; illis verbis; illis argumentis; illis fabulis.

Epistola igitur illa membranacea Flacij: Holandica VVeissenburgij non est S. Vlrici; nec Hulderici alterius: Vorago est & coetus mendaciorum, tum quæ insunt in Epistola, tum quæ circumponuntur à Flacio. Recolligamus enim breuiter vanitates omnes quæ ad totam rem confluxerunt. Primùm esse S. Vlrici dubitabat Lutherus: deinde post silentium aliquot annorum, rursus Anno 50 erat sine dubitatione S. Vlrici contra perspicuam & restatam veritatem: & sic præ se ferebat inscriptio & iudicium Syluij. Iterum repressit illa Epistola Nicolaum primum, vt lex quam primus contra nuptias Sacerdotum euulgauerat, aliquandiu consopiretur. Rursus non fuit S. Vlrici: fuit alicuius Vdalrici Anno 62: donec Anno 65 facta est alterius Huldrici qui in Vtopia, nunquam in lucem natus, Episcopatum Augustanum administravit: quo simul inscriptio reperta in angulo Holandiæ & in membranaceis libris condemnata vanitatis & auctoritas Syluij reiecta fuit: & creuit contra omnium testimoniorum fidem numerus Episcoporum Augustanorum: Tandem in Centuria nona, cuius corpus tam sancta res ampli-

amplificare meritò debuit, Epistola tot libris & laudibus celebrata, per pudorem non apponitur: mendacia & ineptia & pugna & vanitates breuiter libantur: peruertitur scriptura: corrumpuntur decreta Pontificum, & sententia S. Patrum: finguntur infinita caedes & suffocationes infantum: & mentita nuptia Sacerdotum quas Gregorius Magnus per poenitentiam concesserit: omnia contra intelligentiam & sensus hominum: contra libros: contra commentarios scriptorum: contra commemorationes antiquitatis: contra ipsam solis publicam lucem: contra conscientiam. Rursus erepta Epistola redditur S. Vlrico Anno 69 à Grynæo, misero bellatore Grynæo: & simul sententia Vlrici transfunditur ad plures istius temporis Christianos.

An aliquid eorum inficiari audes Pape? An igitur Lutheranus S. Vdalricus vel Vlricus fuit? qui ista quæ vos in Epistola fingitis, nunquam dixit? nunquam scripsit? nunquam sensit? nunquam cogitauit? magis Pontificum Romanorum affecla & seruus & filius obediens & Papista, monachusque maximus fuit? abstinendo à carnibus? portanda lanca veste? quotidie cubando sine lecto? usque ad extremam ætatem & mortis initium faciendo sacro Papistico? vt inter quotidiana Missarum solemnia salutarem hostiam exterius Deo super altare immolaret, & id se ex singulari iussu Christi facere diebus vndecim ante mortem diceret; sicut Berno testatur? celebrandis Missis pro defunctis? constituendo Purgatorio? laudandis dialogis S. Gregorij & spirituū post mortem ad hominū colloquia reuersionibus? ædificandis monasterijs? includendis & voto obligandis monachis & sanctimonialibus? inuocanda D. Virgine & reliquis Sanctis? faciendis ad SS. reliquias & ad loca sancta peregrinationibus? colendis reliquijs? edendis miraculis? consecrandis Ecclesijs? ordinandis clericis? credenda & expectanda mercede bonorum operum? sanctificando Chrismate? docenda satisfactio-

risfactione pro peccatorum pœnis? & obeundis atque fide suscipiendis omnibus mysterijs quæ vos iam Papistica & detestabilia iudicatis, detestabiles hæretici.

Hunc igitur talem tantumque Papistam: qui à Deo se orationibus & eleemosynis consecutum fuisse tradit, ut semper diuina mysteria celebranti, duo mortui sancti Episcopi assisterent, & simul cum illo per Crucis signum diuina sacramenta sanctificarēt, manus etiam suas iuxta S. Vlrici manum apparere in oculis omnium hominum sinerent? An tu illum Pappæ cum fatuitate Lutherana coniunges? & Papistam esse non permittes?

Inuenies verò illa non in Holandia sed in omnibus Germanicæ Bibliothecis & cum primis in Augiensi nostra in Bernonis commentarijs manu antiquissima: quæ si adhuc negabis, nega omnia vera esse, quæ de S. Vlrico literarum monumentis consecrata ad nos peruenerunt: nega fuisse vnquam S. Vlricum: ut certè si hæc vera non sunt, ne quidem certum erit, fuisse vnquam S. Vlricum, cuius vita & res gestæ in ijsdem libris, chartis, & annalibus, traduntur: Sed mitior factus, Pappæ, damnabis Epistolam, nec ista quæ scripsimus negabis: nec dissimulabis fuisse S. Virum, acerrimum Papistam & durissimū monachum, & totius Papisticæ doctrinæ approbatorem.

Quod verò S. Vdalricus credidit, id reliqui istius ætatis omnibus verbis & articulis consentaneè crediderūt: nec vnum inuenies, qui rem minimam subiectam sub fidem nostram vel aliter complexus sit animo, quàm nos solemus, vel vobiscum intellexerit ad corruptelam malitiamque vestram. Multò igitur minùs nominabis Alesium, Longobardum, Albertum Magnum, S. Thomam de Aquino, Bonauenturam, Scotum & istius sanctæ societatis fœderatos alios. Quod moliri Catalogus mendaciorum & Exabbas turpissimè & perfidè per dementissimam temeritatem ausi sunt: spero te factum ex ipsorum miseria circumspiciorem non admissurum, ut monachos illos,

los,

los, quos veterator Lutherus oppressos ignoratione totius scripturæ & ædificatores monstrorum & corruptores fidei (*de capt. Babyl.*) & impios sophistas & larvas diaboli & Theologos Aristotelicos (*de seruo. arbitrio*) stupidum & planè Lethargicum hominum genus & rudissimos asinos, apud quos nihil recti vel sani Deus esse voluit, (*contra Regem Angliæ*) & stellas de cælo in terram lapsas, quæ Christum obscurant, & locustarum procreatores quæ fidem vastât, (*contra Ambros. Catharinum.*) & totius fidei prorsus ignaros, quod iureiurando suo testatur Lutherus (*Tom. 1. Ger. fol. 476.*) & ipse Flacius (*in Catalogo testium fol. 705.*) Sathanæ apostolos & impietatis eius alumnos, & Antichristi patronos facit: tu nunc in ordinem vestrū & in Academiam Christi cooptes: cum præterea Lutherus S. Thomæ salutem vocet in dubitationem, & plenissimum errorum (*Tom. 5. fol. 168. contra Ambros. Cathar.*) & corruptorem infinitorū hominum (*Tom. 6. fol. 23.*) constituat.

Nec mirari satis possum eousque iactari incōsiderantiam vestram: vt S. Thomam & Scorum & Scholasticos alios Doctores ad ecclesiam vestram accōmodetis: non solūm quòd vos perspicuitas & fulgor veritatis intus in animis conuincat mendacij: sed etiam quòd omnes Papistas necesse foret esse Lutheranos, & nulla relinqueretur inter nos discrepātia, si Magistri fidei nostræ, quorum nos omnia credimus, & ex quorum libris tanquam vberibus hauimus vniuersam religionis comprehēsiōnem, Lutherani erunt. Dic enim Pappæ, si S. Thomas Aquinas ciuis Academię Christi & cæli & Lutheranus fuit, cur nos non simus, S. Thomæ affectū in omnibus, & ad eam fidem obligati quam ille de scripturis sumptā & illuminatam sanctitate doctrinaque sua nobis propagauit? Dic cur eorum qui prorsus eadem eodem modo credunt, vnus propter fidem ciuis sit ascriptus in Academiam Christi, reliqui propter eandem fidem non sint? Dic Pappæ per honorem tuum: & simul explana, quid ista quidem in re Ca-

R

ralogo

talogo testium falsitatis & imitationi Exabbatis tribuas: quorum ille exemplum ex S. Viro Lutheranae incredulitatis nullum ascribit nisi mendacium tetrum vnum ex libro qui S. Viri non est: aut quanquam sic vir sanctus sensisset, tamen nihil profecisset Catalogi faber; & adhuc S. Thomas dissideret à Lutheranis: Exabbas verò Centuriarum exscriptor ex toto corpore librorum pro tribus articulis apponit testimonia & probat nihil aliud nisi id quod nos omnes Papistæ semper vna consensione per fidem suscepimus quandiu Catholica Ecclesia post Christi in cælum profectionem per omnes terrarum tractus dispersa & in Spiritu sancto consociata fuit. Tamen in primo Vbiquitatem nihil fulcit, quam S. Thomas vsque ad mortem tanquam pestem religionis detestatus est, (*in 3. Senten. dist. 14. & 22. vt etiam in Summe parte tertia quest. 10. & 13. & 16. per totum & vbiq.*) vt etiam in loco quem Exabbas ad probandam corporis præsentiam adiecit: in quo est, corpus Christi esse localiter in cælo: in corde iusti spiritualiter: in multis locis sacramentaliter: quæ verba cum iam releget, quomodo calamitatem suam & contemptionem deplorabit? vt nihil dicam, in testimonijs S. Thomæ quæ in Centuriarum mendacijs (*centuria 13. fol. 132.*) inter Exabbatis exscriptiones interiecta sunt, apertè abungi à natura humana omnipotentiam, vt esse omnipotentem, sicut vir sanctus inquit, de natura humana nullo modo dicatur: quæ verba Exabbatis oculos ita perusserunt, vt vel non legeret vel per pudorem tãquam ex medio corpore euulsa non coniungeret cum suis: Interim deligeret duo extrema & adderet tertium, quod Centuriatores anteriori loco (*fol. 100.*) posuerant. Verùm istis omnibus nihil incõmodat nobis: nec seminatum à Luthero & ad repentinũ incrementum post præstigias magici Eslingensis ventris educatam à Brentio & pinguiorem factã à Schmidlino Vbiquitatem, prodigiosam Lutheranismi filiam vlllo modo sustinet: quam sanctus vir

semper

semper tanquam infernalem furiam & bestialem ruditatem & excetrā religionis damnauit: & tribus illis primi testimonij locis, in quibus vel ad personam Christi spectat, vel de finita potestate gubernandi mundum loquitur, ne quidem attingit. In secundo Exabbas ipse se & Cadmeos fratres suos VVirtenbergicos & matrem totam Babyloniam, Augustę resuscitatam confusionem vestram coarguit publicē mendacij. Quod enim tu in pappistuis, quos in confessionē inunxisti, & tecum VVirtenbergenses contra P. Belarminium in refutatione calumniarum, & Augustę fabricata confessio palām sine dissimulatione confitentur, S. Thomā Christi saluatoris passioni vim nullam nisi ad originale tollendum peccatum relinquere: hoc ille in Academia, quam ex cælo & inferno comportauit, falsum esse pro nobis testificatur, & S. Virum à grauissima iniuria liberat: pro quo gratias habemus Exabbati, & te commonemus vt mendacium in libro tuo ascriptū, fractus authoritate socij tui, deleas, & vos mentitos fuisse nō neges, cū S. Viro turpis à vobis afficta sententia ne quidem in mentem vnquam per somnium influxerit, & sodalis tuus Exabbas cumulatē impudentiam vestram retundat. In tertio cæcus Exabbas non animaduertit quid contra se loquatur. Nam si isto loco Lutheranus S. Vir fuit, Lutherani igitur credent Consecrari in forma debita per sacerdotem, triticeum panem, & vbi is panis est, esse in quolibet altari, in quolibet loco, in pluribus hostijs & portionibus corpus Christi: quod tantū in ore sumentis noui homines accedere ad panem existimatis.

Huic igitur Exabbati qui dissimilitudinē inter S. Thomam & nos Papistas nullam, & nullū vobiscum in re dubia consensum docet: magis neruum maximum Lutherane fatuitatis ascriptione testimoniorum elisit, quid Pappę tribuendum puras? quid falsitatis testi Flacio, scurræ miserrimo? qui ambo dum pro deserto ab omnibus

antiquis Patribus Lutheranismum patrociniū per vim, spolia, furta, rapinas exquirunt, nihil aliud præstant nisi quòd totum Lutheranismum sectam nouam, sed Paparum vetustissimam omnium gentium & terrarum religionem esse perspicuum faciunt, & se matremque suam turpis Lutheri ex Diaboli colloquio susceptam filiam ludibrijs omnibus deformant.

Fortassis Panormitanum obijcies, qui & errare posse Concilia, & priuati vnus testimonijs scripturæ communitam & firmatam sententiam prætulit iudicio Papæ: & Confessionem quam auricularem vocant, non esse diuini iuris sensit. Eum enim propter ista tria testem veritatis fecit Flacius: Exabbas verò multò in donanda ciuitate cæli prolixior & liberalior propter duo solùm priora, in cælo inter Academiæ Christi ciues reposuit: tametsi authorem ipsum nullo oculo aspexisset: tantùm ex Flacii Catalogo vt ille vitiosè recitauerat, sic per errorem verba in miserum & lamentabile volumen suum transfulisset. Itaque si Panormitanus, quem in causis recusati Concilij ad Antichristum ascribitis, (fol. 232. 236. & 258.) & partem oris istius facitis quod apud Danielelem loquitur grandia & magnificatur aduersus Dominum, forsantibi, Pappe, placebit, sicut Exabbati & Flacio placuit: vt auulsus ab Antichristo & eductus ex inferni claustris in quæ temeritas iam illum vestra coniecit, rursus in cælo sistatur & pro vobis dicat testimonium: quid enim libidini vestræ non liceret? agedum, quanquam quod ipse apud Syluium in historia Basiliensis concilij de se contra Flacium & Exabbatem fatetur, qui sacrarum literarum peritissimum faciunt, nec Theologus nec sacris literis vehementer imbutus fuit, & ad scriptores Ecclesiasticos apponi non debet: tamen etiam illum testem veritatis & ciuem cæli vestra volubilitate repente factum & ab inferno reuocatum parum examinemus. Quid verò bonus vir in libris suis reliquit, affine sectæ vestræ? Primum Con-

lia ex-

lia errare posse & errasse confirmavit loco vno, & probavit Meldensis concilij exemplo. At quid sequitur? Nec enim nos inficiamur, errare posse Concilia, tum generalia tum particularia, quale fuit Meldense: quæ auctoritate summi Pontificis non vel reguntur vel confirmantur. Non igitur vobiscum contra nos sensit Panormitanus; qui tum alia quæ vos reijcitis, tum Constantiense concilium, abominationem vestram, & in eo damnationem Hussij tanquam sanctam vniuersalis Ecclesiæ vocem approbavit: & Concilium generale cui Papa præsidet, à nullo recusari posse credidit: (*de for. compe. addit. ad cap. si quis contra. num. 20.*) Et summam, Papista maximus & hostis totius fatuæ credulitatis vestræ & vestræ de Concilijs sententiæ fuit. Secundò clamat Flacius & eius scriptor Exabbas, existimasse Panormitanum vni fidei priuato, si meliorem scripturæ auctoritatem & rationem habeat, plus credendum esse quàm toti Concilio vel Papæ. in quibus paucis verbis mendacia contra Panormitanum accumulant plurima: non ex Panormitano sed ex mendacijs Lutheri sumpta: qui (*Tom. I. Germ. fol. 151.*) primum voluisse Panormitanum putat, vt plus homini vni scripturam proferenti crederetur quàm Papæ & toti Concilio sine scriptura. Deinde (*eodem Tomo fol. 426.*) amplificans mendacium, aliam sententiam eidem affingit tanquam si voluisset (*in cap. significasti. de elect.*) Panormitanus vt Laico qui perspicuam scripturam vel rationem humanam (*Bernunssi*) proponeret, plus haberetur fidei quàm Papæ & Concilio. Sed nunquam ista dixit Panormitanus: figmenta sunt octo Lutheri & nugæ Flacij & imitationes Exabbatis. Non nominat Panormitanus, vnum fidelem priuatum nec Laicum: sed tantum dictum vnius priuati: nec putat plus credendum esse quàm toti Concilio & Papæ: sed solum præferendum esse dicto Papæ: nec dicit credendum esse proferenti vel scripturam

vel perspicuam scripturam vel intelligētiā humanam
 » (Bernunff) sed sic inquit Panormitanus: Nam in con-
 » cernentibus fidem etiam dictum vnius priuati esset præ-
 » ferendum dicto Papæ, si ille moueretur melioribus rati-
 » onibus veteris & noui testamenti quàm Papa. An verò
 voluptatem istam vestram in mentiendo detestari non
 debemus? De Concilio non loquitur Panormitanus: in
 quo ne quidem presbyteris & diaconis, cùm definienda
 veritas est, locum concedit: (*in historia concil. Basil. fol. 25.*)
 nec de Papa vt est Papa & vt de pontificio tribunali cau-
 sam Ecclesiæ agit: nec arbitratur factum: sed si casus inci-
 deret vt priuatus non Laicus sed Clericus ad deliberati-
 onem adhibitus, sententiā suam melioribus testimonijs
 scripturæ deuinciret, tum iudicat pluris faciendum iudi-
 cium priuati quàm opinionē Papæ: quod idem nos ma-
 gna asseueratione contendimus, nec vel Papæ vel Conci-
 lio contra apertum iussum scripturæ in articulis religio-
 nis & in his quæ iuris diuini sunt, tribuendam fidem esse
 censemus. Sed tamen ex scriptura credimus, nunquam
 vsuenturum nec posse contingere, vt Papa tanquam Pa-
 pa: vel Concilium à Papa legitimè vel gubernatum vel
 postea ratum habitum, rem minimam cōtra Scripturam
 & Spiritum sanctū decernat. Quid igitur per octo men-
 dacia fuit opus, vnam Panormitani nobiscum congru-
 entem sententiam obiectare nobis tanquam dissimilitu-
 dinem quæ inter illum & nos versaretur? Tertio quod
 Flacius addidit: intermisit propter verecundiā Exabbas,
 habuisse Panormitanum Cōfessionem specialem pro re
 non necessaria ad salutem vt quæ ex lure humano fluxe-
 rit: quàm foedum est commentum? Errauit ista in re (*de
 pœnit. & remiss. cap. omnes vtriusque sexus. nu. 18.*) Panormita-
 nus, non Theologiæ sed Canonum peritissimus: neque
 tamen conclusit vel defendit vel sparsit: sed placere sibi
 arreptam ex glossa opinionem semel in omnibus libris
 significauit: & ad istam rem probandam duo falsa prin-
 cipia

cipia destinavit: Primum, nullam esse scripturam aper-
 tam in qua Deus vel Christus confiteri peccata omnia sa-
 cerdoti, iubeat: Secundum, Græcos non confiteri sacer-
 doti, nec ad illud faciendum astringi: quæ duo Theolo-
 gica errata homini nec in scriptura nec in S. Thoma nec
 in Græcis libris diligenter versato libenter indulgemus:
 cum alioquin ex scriptoribus Ecclesiasticis, si Theologus
 fuisset, institutionem Confessionis in scriptura & in Græ-
 cis Patribus frequentiam & necessitatem cōfitendi in Ec-
 clesijs Græcorum nullo negotio perspexisset. Sed simpli-
 citer non esse necessariam ad salutem Confessionem par-
 ticularem, nullo loco somniauit Panormitanus: nec un-
 quam credidit de Confessione, quod vos creditis: con-
 trarium magis palàm isto loco enuntiavit & mēdacium
 in guttur Flacij retorfit: cum apertè continuò scriberet:
 quia generalis illa sit in nostra Romana Ecclesia tradi-
 tio, peccare mortaliter, non quidem Græcos (quos in sci-
 us religionis Græcorum liberavit à peccato) sed Latinos
 omnes qui auriculari plenissima Confessione non utan-
 tur. An verò Confessio, quæ sine peccato mortali præter-
 mitti non potest, non est ad salutem necessaria? Et an si
 apud Græcos non esse necessariam Panormitanus per er-
 rorem sensit, existimavit non esse necessariam simpliciter?
 ut Flacius veterator in Catalogo in totius mundi con-
 spectu, nihil distinguens, proponit? tanquam si Panor-
 mitanus Lutheranus factus, ea quæ sine externa litera di-
 uinæ scripturæ per Ecclesiæ consuetudinem observantur
 libera ad usurpandum sine obligatione conscientiæ reli-
 quisset: quod secundum Flacij est in tertio Panormitani
 testimonio mendacium: cum contra Panormitanus ex-
 pressè ex septimo capite vndecimæ Distinctionis cōtem-
 ptores Ecclesiasticarum consuetudinum æquè ac præua-
 ricatores diuinarum legum coercendos esse confirmet:
 & tum intermissionem Cōfessionis auricularis, sicut no-
 minant, tum despicientiam Ecclesiasticarum consuetu-
 dinum

dinum in vobis damnet, & conscientias non tantum in
 expressis sed etiam in mandatis ab Ecclesia obstringat:
 quod superiori loco fecit: cum Confessionem omnium
 peccatorum non mandatam in scriptura, sicut existimat,
 tamen propter Ecclesiae traditionem sine peccato mor-
 tali praetermitti non posse tradit. Sed istae sunt artes vestrae;
 aucupari pauca verba & ea mutilata per vim reflectere
 ad speciem exhibendam nouitatis vestrae: quod certe in
 Panormitano incredibiliter factum fuit: cum ille perfe-
 ctis sententijs & indicijs omnibus nihil prorsus opinio-
 nis vestrae laudauerit, quousque vel vox illi vel atramen-
 tum vel vita spiratioque, superebat: damnauerit omnia,
 Papista vehementissimus & totius iuris Canonici defen-
 sor. Et quanquam ista tria contra nos, Pape, pro vobis
 intellexisset: quod nunquam voluit: an propterea pro-
 pter tres istas particulas Lutheranus esset? non esset pro-
 pter centum alias Papista? quare consensus trium articu-
 lorum faciet Lutheranum? dissensio centum capitum,
 quae cum fundamento cohaerent, non rursus a vobis ab-
 iunget? Rursus si omnes qui in tribus articulis ad senten-
 tiam vestram accedunt, sunt Lutherani, quare socij vestri,
 sicut saepe diximus, non sunt Calvinistae, Ariani, Anaba-
 ptistae & alij, qui in pluribus cum delirameto fundamen-
 toque vestro congruunt? Adhuc Pape, quis vos consti-
 tuit cali Ianitores, vt omnibus quos impudentiae vestrae
 videtur, etiam cum in fundamento a vobis posito delin-
 quunt & pro vestra opinione, illaqueati perpetuis Ido-
 latrijs, & deformati Antichristi sordibus sunt, propter
 similitudinem vnus articuli aperiatis ostium? claudatis
 alijs, societate eiusdem fidei conitinctis? & sanctos hon-
 estosque viros amanderis ad sempiternum supplicium: si-
 mulque cum audacia vestrae lubet, reuocatos ab inferno
 inuehatis in caelum? quod prius S. Thomae & S. Bernhar-
 do & iam Panormitano vsuuenit: vt in causis repudiati
 concilij Tridentini & alijs libris Lutheri primum essent
 praco-

præcones Antichristi & blasphemæ spoliatores honoris diuini: postea ab Exabbate cum dignitate collocarentur in Academia Christi: & præsertim S. Bernhardus apud Tubingenses iam per summam impudentiam Papista amplius esse non sinatur. Quis verò potestatem vobis tribuit, damnatores Hussij collocandi cum Hussio in cælo? & confociandi membra Antichristi cum Christo? Vel enim Hussij supplicium & concilium Constantiense non approbavit & Papista non fuit Panormitanus: & mentientur omnes libri eius & falsum dicent authores recusati concilij Tridentini antecessores tui: vel si subscripsit damnationi Hussij & cultor Antichristi & dilatator potentia illius fuit: tum verò cur non solum testem Flacius, quod ferri fortasse posset, sed ciuem Sanctorum & membrum Lutheranae Academię Exabbas declarauit? Sed Papista fuit Panormitanus: in re nulla vobiscum conspirauit: nec quidem in propositis articulis tribus: quorum nullum etiam, cum erraret, ad vestrum sensum credidit: alienissimus ab errore vestro: & religionis Catholice amantissimus.

Ne igitur tu Pappæ nomina vel S. Thomam vel scholasticos Doctores alios, nec Panormitanum: ne tu Lutheranismum Papatū esse & testimonijs nullis niti quàm Papistarum, & Papistas fuisse veteres omnes facto exemplo tuo probes: ne sequere Catalogū & Exabbatem: quos vides, vt induerent Lutheranismum vetustatis spoliū, periclitatos esse fidem & existimationem & conscientiam. Tu magis apertè nega: clama Pappæ: nullum fuisse post Apostolos Patrem, Martyrem, scriptorem, virum, mulierem, iuuenem, senem, qui religionem intellexerit, vt intellexit Lutherus: nullam in vniuersa vetustate in librorum folijs, in templorum parietibus, in recordationibus hominum superesse memoriam, nullam similitudinem, nullum spectrum vel simulacrum stultitię Lutheranae: damnari ab omnibus tãquam abhorrentem

S

à Chri-

à Christo & Christi fide nouitatem conceptam nuper & editam in hominum aspectum ex priuata singulari præfidentia libidineque Lutheri.

Tametsi verò non edicas: fortassis etiam neglector honoris tui decantatam Exabbatis & Centuriatorum deformem fabulam rursus occinas: tamen ego semper ad latus astabo tuum: & furiales voces in os, in buccas, in guttur reijciam: & illa duo que superius proposui, in publico lumine, in conscientijs mortaliũ omnium ponam: nullum fuisse Patrem: nullum scriptorem scholasticum qui contra nos pro vobis non solùm in fidei complexione tota, sed etiam in vnica tota controuersia faciat: nec exspectabo te: anteuertam edendis omnium Patrum & Scholasticorum confessionibus: vt non habeas quem nomines.

Sed inquires, tametsi assensor aliquis totius Lutheranismi nullus ex omnium Patrum & Scholasticorum & Martyrum corona & per mille quingentorum annorum fluxionem compareat: tamen in omniũ libris & sententijs tanquam in istius mundi tenebris quasdam lucere scintillas, ex quibus, quid crediderint, non obscure liqueat. Primum id, Pappe, ad me quidem pactioneque nouam meam attinet, qui nullum igniculum, nullam scintillam ad accendendam caliginem vestram in omnibus libris receptorum Patrum & Scholasticorum reliquum vobis esse sino: sed non attinet ad causam communem de qua litigare cœpimus. Non enim in pugna ingressu controuerimus, an quidam Patres quædam consentanea vobis dicerent, vel vt Exabbas de Sancto Thoma fingit, an Patres & Scholastici in reliquis Papistæ, tamen de multis capitibus religionis interdum non incommode loquerentur. Proprium hoc meum est pactique mei: alienum ab instituto cõmuni: in quo disquirimus: non an in quibusdam: sed an in omnibus & in colluione tota errorum vestrorum & in ista confessionis quotidiana mutabilitate, sub
qua

qua pugnatis, vnus omniũ seculorum Pater, vel Martyr vel Scholaſticus, ſenex vel puer ad vos acceſſerit: quod ego ſub calcem epiſtolæ ſecundæ negaui: & à te tuiſque apponendo exemplo vno declarandum erit: cogitare enim poteſt facilimè: tamenſi vnã aut alterã ſectã veſtrę particulã ſuo Pater aliquis conſenſu ſuſtineret: tamen per nullã conſecutionem rectè inferri, fuiſſe propterea Lutheranum.

Si iſti qui nonnulla ſimiliter credunt, vnũs religionis cognatione tenentur, & ſi ex paucorum capitum conſpiratione concluditur ſimilitudo fidei: Ego, Pappo, Lutheraniſmum iam ſtatim ex ratione iſtius eiũdem conſenſu oſtendã eſſe Mahumetiſmum, quia multa vtrinque creduntur conſentaneè: vel vt in vno genere religionis Chriſtianæ permaneamus, docebo eſſe Arianiſmum, & eſſe Lutheranum vnũ omnes hæreſes. Nulla enim erit, quæ non quædam veſtra communiter vobiscum in fidem ſuam transferet, & credet quæ vos credetis. An igitur Lutheri erit perfidia Ariana, Sabelliana, Samofateniana, Anabaptiſtica? Caluinistica? Dauidgeorgiana? erit profectò, ſi verum eſt quod tu de Patribus concludis: & vel Lutherani ſunt Ariani, Anabaptiſtæ, Caluinista; vel ſancti Patres non ſunt Lutherani. Quomodo enim illos tu ad vos aſcribis, iſto pacto & eiũdem argumenti itinere & ex eadem conſequendi neceſſitate Arianos & totã voraginẽ Anabaptiſtarum, Caluinista & nouorum Trinitariorum in familiã inferemus ſectãque veſtram, & pappo tuo conglutinabimus omnes: ſi qui in paucis congruunt, profeſſione vnũs religionis coniunguntur: præſertim quia non ſolũm cõmunitate particularis credulitatis, ſed etiam diſceſſione ab Eccleſia Catholica tanquam generali hæreticorum omnium vinculo conſtricti colligati que vobiscum ſunt: quod de S. Patribus, tamenſi in quibuſdam à nobis diſſentirent, nemo probabit.

Si verò Lutherani propter conſentientes de quibuſ-

dam capitibus sensus, non erunt Ariani & Anabaptistę & Dauidgeorgiani, cur Patres & Martyres & Scholastici, Missarum & Purgatorij & Sanctorum & operum & Lutherani Antichristi cultores & accusatores solius fidei, propter quorundam articulorum conuenientiam erunt Lutherani? excita solertiam logicam tuam: differe cur ex eodem non sequatur idem: nisi fortassis in maioribus & grauioris pensi rebus pugnant vobiscum Anabaptista quam S. Patres. Leuiores igitur controuersię sunt Missa, Purgatorium, Idololatria, adoratio Sacramenti, satisfactio, efficacia meritorum, salus per fidem formatam & similia, & falsum est quod scribit perditissimus Lutherus, omnium hæresum perditissimū esse Papatum. Quò præcipitatis furorem vestrum?

Nihil igitur efficeres, tametsi quod intendis obtineres, & in Patribus quædam reperires conuenientia cum nouitatibus vestris. Sed secundò, Pappę, nunquam consequeris post centies millies percurfos omnes S. Patres, vt in sententia vna de rebus quæ vocatæ à vobis in controuersiam sunt & magnam considerationem habent, consentire vobiscum Patrem vnum commōstres. Quicquid enim proferes, & sub quamcunque te latebram occultabis, ego te elabi non patiar: constringam semper & reflectam ad illa duo quę de me proposui: in nulla re vel hostiliter pugnare contra nos, vel conuenire cum opinionibus vestris S. Patres: quem tibi tanquam scopum defigo, & ante conspectum præstituo, vt si audes, facias acuminis tui periculum: non truncandis testimonijs & ex medio sententię decerpendis verbis, sed conquirenda seriò & in timore Domini S. Patrum multis locis sæpe testata doctrina.

Verùm fortassis aliud rursus effugium quæres: & dices non te sentire quod sensisti hætenus, in paucis vel multis esse sectæ vestræ in libris suis subscriptores S. Patres: sed tametsi per totum vitæ curriculū implicati idolatrijs

latrijs & erroribus tenerentur & implicassent infinitos alios: tamē in extremo exitu spiritus vltimi, cum anima vinculis exuta corporis in itinere ad cælum progredere, tum primū defluxisse veteres credulitates & inspiratam à Deo perfectam puramque fidem: & isto tempore vobiscū in omnibus consensisse S. Patres: non prius cum viuerent.

Agnoscis Pape Lutheri (*in lib. de abusib. Nisse sol. 28. & 29. & alibi*) desperationem, quam toties sorbuit & reuomit Herbrandus. Sed Pape primū vel constat id inter moriendū accidere Sanctis quod vos dicitis: vel non constat: & si quidem cōstabit, dicite quibus indicijs: quorum angelorum vel hominū vel librorum testimonijs? An inscriptū est in literis sacris? sed vbi Pape? Vir honestus erit Lutherus, si de biblico toto volumine tu locum vnum vel exemplum vnum vnus hominis recitabis ad comprobandum somnium quod de influxione in morientes S. Patres habetis. Tum verò Pape, si scriptura visa nocturna ridiculaque vestra nō agnoscit, cur vos contra principium pingue vestrū rem creditis non consignatam in literis sacris? An fortassis non errores morientibus Patribus, sed principia vestra quibus vos ipsos circumscripsistis, & vsus humanae rationis & vigilantes considerationes vobis viuentibus defluerunt, cum istas nobis narratis fabulas? Deinde quomodo S. Augustinus, quomodo S. Bernhardus è vita discesserint: quid vsque ad spirationem vltimam sermocinati cum amicis sanctis viris de Deo & de religione, in cuius fidei professione subiuerint mortem, notatum in libris accuratissime maxima fuit ab illis, qui ante lectum omnes sermones auribus & labiorum totiusque morientis corporis agitationes & conuersiones oculis susceperūt. Illi igitur cur videre vel audire vel conijcere astantes & attentis non potuerunt, quod vos nondum editi in lucem, tamque longè remoti animaduertistis? Aut si intellexerunt, cur verbū nullum

de somnio vestro reliquerunt in libris? cur ad S. Patrum
 commonitionem nihil correxerunt? cur ipsi se in meli-
 orem & in vestram religionem non reuocauerunt? cur
 perstiterunt in impuritate Papatus post tam augustas &
 morte contestatas S. Patrum cohortationes? An tam sce-
 lesti fuerunt omnes, vt S. Patrum extremas voces suppri-
 merent silentio? & nec cōmunicarent cum alijs, nec ipsi
 ad meliorem se reciperent fidem? Nam si fecerunt, vbi
 scriptum est Pape? in quo libro? in quo capite? Sed for-
 tassis quamdiu linguæ & sensuū vsū habebant S. Patres
 nondum inflauerat veritatem Spiritus sanctus, nec affla-
 uit prius quàm sensus omnes appropinquās obitus con-
 sopiuisset? Tum verò rursus vnde vos accidisse scitis,
 quod externo nullo signo factum testatum, & ab illis ijs-
 dem, qui circumfusi per cubiculum erāt, animaduersum
 non fuit? Dic Pape, ecquisnam vobis spiritus, quo in-
 fundibulo, per quam partem corporis vaticinationem
 tantam instillauit?

Præterea cur S. Patrum nemo integris sensibus & fir-
 ma valetudine? cur non in maximis morbis cū vicini
 ad moriendum viderentur, illuminatus vnquam à Deo
 fuit? Sæpe enim in mortis periculum propter inualetu-
 dinem S. Patres venerunt: & expressè S. Bernardus cū
 istam de attenuatione meriti sui & amplificatione Chri-
 sti laudabilem & Papistico Patre dignissimam vocem
 emitteret, sic à morbo afflētus & oppressus erat, vt exces-
 surus tum è vitæ societate crederetur. Tamen recepit va-
 letudinem: nec enim, vt Lutherus stultus scurra putat,
 post illam acclamationē oppetiuit statim mortem: con-
 ualuit: scripsit commentarium in Canticum & epistolas
 plurimas: & in illis laudauit Missam, Purgatorium, pre-
 ces ad Sanctos, Papisticam que totam fidem. Sic S. Augu-
 stinus sine dubio negotium habuit cum morbis. Tum ve-
 rò cur nihil Spiritus sanctus infudit in ægotantium ani-
 mos? cur semper distulit in extremum vitæ tempus? cur
 non

non semel anteuertit? & cur non officium fecit priusquam hebescerent sensus?

S. Augustinus pridie quàm exiret è vita, libros à se editos recensuit omnes: & in ipso obitus die paulò ante exitum vitæ Psalmos pœnitentiales cum profusis lachrymis recitabat & orabat continuò: moriens membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu & auditu, & multis astantibus & videntibus & cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace, vt Possidonius testatur.

Sanctus Episcopus, cuius S. Cyprianus meminit in libro de mortalitate, iam confecturus postremam horam vitæ, conspexit ante se iuuenem honore & maiestate venerabilem, statura excelsum & clarum aspectu, quem assistentem vix posset humanus aspectus carnalibus oculis intueri, nisi quòd talem videre iam poterat de seculo recessurus. Sic enim loquitur S. Cyprianus. Ille verò iuuenis commonebat moriturum ne pati timeret, & vt libenter obiret mortē; tamen de erroribus addidit nihil: aliòquin, vt est in S. Cypriano, moriturus (qui non sibi sed alijs audiuit, & in hoc audiuit vt diceret cæteris) sicut reliqua sic etiam illud significasset.

S. Bernhardus mortuus est, astantibus vicinis Episcopis cum Abbatum & fratrum maxima celeberrimaque frequentia: nec occubuit repētinò: sed paulatim extabuit: & mortem antedixit priusquam eueniret: tamen nullus singultus & gemitus nullus, qui superiorem religionem carperet vel minimam particulam retractaret, audiri in vita vel animaduerti in morte potuit. Missam, quousque vires sinebant, religiosè celebrauit, & iussit moriens, tum vt in Episcopi Malachia tunica, in qua sanctus ille Papiſta Malachias efflauerat animam & qua sanctus Bernhardus sacrum faciens deinde semper se vestiuerat, humaretur; tum vt omnia quæ factis & verbis tradidisset & sanctam cum primis monasticā puritatem & perfectionem non solum fratres imitarentur, sed etiam virtutis studio

supe-

superarent. Sic igitur S. Bernhardus, qui in centum & sexaginta monasterijs fidem Papisticam & monasticam vitam propagavit, & infinita millia animarum in religione nostra vel retinuit vel conuertit: circumfusus multitudine Episcoporum & Abbatū & fratrum quos in monasterio suo tum septingentos aiebat, mortem oppetit: tamen vocem nullam contrariam vitæ vel doctrinæ audiuit tunc quisquam eorum qui in illo moriente, oculis auribusque suis ad vltimum vsque spiritum inhærebant: magis confirmavit prioris vitæ studia & opera quæ Deus pater facere præceperit, se perfecisse moriturus pater Sanctus ad astantes gloriatur; & quod plus est mortuus fratres quibus apparebat cohortatur ad obseruantiam monasticam, & ad sequendam doctrinam quam reliquisset: indeque cæli beatitudinem pollicetur.

Sanctus Thomas in aspectu Abbatis & plurimorum fratrum in confessione Pontificiæ religionis sine correctione minimi erroris quæ vel oculus vel auris, vel coniectura hominum, qui circumstitebant, & attentissime omnes sancti viri nutus & singultus notabant, suscipere potuisset, rursus non repente obrutus sed paulatim consumptus de vita placidissime decessit: confessus prius transubstantiationem, & participans tum altaris tum extremæ vnctionis Sacramentum, & respondens ad omnia quæ interrogabatur: tandem etiam manus attollens in cælum: Tamen nec Reginaldus monachus, cui moriturus peccata confitebatur, nec aliorum vllus qui plurimi confluxerant, mutabilitatem vel sensibus intelligere vel suspitione consequi potuit.

Illi igitur omnes sermonem non prius quam vitam amiserunt: tamen nullam significationem, nullum verbum, nullum gestum, nullum indicium dederunt nouæ & recentis fidei: etiam cum S. Cypriani sanctus Episcopus ab Angelo ad mortem factus animosus, quid ab Angelo accepisset, diceret circumstantibus amicis: sed dixit nihil

nihil de somnio Lutherano: nec audiuerunt, qui assistebant. Sic Possidonius & qui cum S. Augustino fuerunt, ita fidem suam non mutarunt, vt post obitum S. Augustini continuò sacrificium pro commendanda mortui corporis depositione Deo offerri iuberent: quod idem S. Bernharo & S. Thomæ contigit, vt ex eorum morte in astantium animis magis cresceret Papistica fides.

Quod verò de S. Thoma recitat asinus Germanicus Biberacensis tuus, ad cuius clitellas concionarias ascriptum est suffragium tuum: quemadmodum moriturus Bibliorum librum ad cor appresserit, & se credere dixerit quod in isto libro inscribitur: quàm est ridiculum & quàm dignū morale ad fabulam Lutheranam? Primùm enim quando id fecit vir sanctus? cuius libri, cuius hominis testificatione? non quòd non fecerit: fecit enim semper quãdiu vixit, & nihil vnquam antiquius, nihil in maioribus delicijs habuit quàm scripturam: quam cõmentarijs explicauit & illustrauit penè totam: sed quòd non primùm fecerit moriturus: & omnino quòd tum factum esse nemo literis mandauerit. Tamen etiam tum fecerit & in extrema è vita discessione rursus significauerit amorem in scripturam quo flagrabat semper: & quo eum flagrare sciebãt omnes. An propterea Papista non fuit? An enim Papista non est qui cõfiteatur amare se Biblia, & credere omnia quę in eis sunt? At tum Papista nullus est nec erit, nec fuit, nec erunt Papistæ quos Papistas appellatis: qui omnes scripturam sanctã tanquam inspiratam à sancto Spiritu & ex sinu patris per filiũ ad nos perlatam cælestem veritatem suscipiunt, & nullam eius literam vel falsam vel alienam à fide sua iudicant. Nomina Papistam vnum: repete veteres, quàm potes, lōgissimè: oculos adijce ad omnes qui viuunt: si vnum offendes qui non libenter iucūdisimeque de se testabitur quod dixit S. Thomas; defenderis vno labore Lutherana voraginem vniuersam. An igitur mirum videtur, S. Thomam Theolo-

T gum

gum maximum, qui totam ætatem in cognoscenda & amanda scriptura posuit, complexum ante mortem Biblii, nominasse librum quem ille totum credat, cum id & S. Thomas fecerit, & faciant Papistæ omnes; non solum, cum ad mortem appropinquant, sed quoad usum rationis habent & viui commorantur inter viuos. Inde verò quid sequitur Pappe? quid cogitat asinus tuus? an omnes qui delectari se Biblijs inter moriendum testantur sunt Lutherani? An igitur heretici omnes Ariani, Samofateniani, Anabaptistæ & reliqua colluies moriuntur in secta Lutherana, cum in Biblijs versari delicias fiduciamque suam clamant, tum cum viuunt, tum cum subeunt mortem?

Deinde rursus, Nunquam antea vocem istam de Biblijs emisit vir sanctus: Dixit tantum semel in exitu vite: & isto facto significauerit mutationem animi & discessionem à priori sententia. An igitur quia deseruisset vite superioris fidem, factus esset S. Thomas Lutheranus? At qua consequendi necessitate? An omnes enim, qui religionem mutant, sunt Lutherani? An igitur Ariani Vngariæ & Transsylvaniæ ciues, an Calvinistæ, an Anabaptistæ, an Schyvenckfeldici, an reliqui, cum à Catholica religione fideque descuerunt, facti sunt Lutherani & haberi debent pro Lutheranis? Cur igitur concludemus inclinasse in extremo morbo S. virum ad Lutheranismum? & non magis ad aliorum delirantium infinitas inter se infinitè discrepantes varietates? Include in Syllogismo nugas, Pappe, vestras: & proba, qui discessionem à nobis faciunt, esse Lutheranos: Id enim si posses, sequeretur, S. Thomam si mutasset religionem, factum fuisse Lutheranum. Sed non potes, in ista sectarum vestrarum dissimilitudine & in voragine monstrorum: nec verum est, transfuersum vnguem deflexisse S. Virum de religione Catholica & de fide quam à prima ætate vsque ad extremum momentum vite æquabiliter coluit, & secum inuexit in cælum.

Adhuc

Adhuc enim si errorem suum moriturus S. Thomas sensit, An tum continuo cum primo sentiendi initio efflauit animam? sed vbi scriptum est? & qui fieri potuit, cum dicatur suam de Biblijs ante mortem enuntiasse sententiam? Ad id si satis temporis habuit, cur non errorem simul aperuit? cur si vir bonus & discipulus Christi S. Thomas fuit, non apertè se correxit? cur neminem commonefecit? cur errorem non damnauit? cur magis verbo nullo indicauit? nullo nutu innuit? vbi priùs & ipse errasset & errorem obiecisset alijs? cur in priori statu reliquit omnia & post hanc vocem mortuus est in Papatu? in vita monastica? in confessione transubstantiationis? in vsu Sacramentorum & ceremoniarum omnium? in comprobatione totius Catholicæ fidei? An forassis in faucibus mortis, vir sanctus & de nouo illuminatus, metuebat Antichristum & illius ignes & gladios? Non igitur in extremo articulo vitæ animaduertit errorem S. Thomas: vixit: loqui potuit cum illud de Biblijs asseueraret: si tamen tum fecit. Aut igitur bonus vir S. Thomas & confessor Christi non fuisset: Et tum quid accessio illius fulciet Lutheranismum? Aut falsum est, quod ex laudatione Bibliorum de sancto viro libidinosi conclusores non infertis, sed fabulosè fingitis.

De S. Thoma recitant, qui vitam illius explanarunt scriptis, pridie quàm exiret è vita, cum vires omnes morbus attenuasset & fregisset, tamen humi proiectum ante S. Eucharistiam procubuisse, & interrogatum an crederet in illa hostia esse Dei filium, respondisse prolixè; esse illud, quod videret, verum Deum & hominem Iesum Christum: idque se tum intus certum scire, tum sincère confiteri labijs. Nec hoc tantum moriturus dixit: sed ipso die, qui ei postremus vitæ fuit, cum sacram extremam Vnctionem postulasset, & constanti animo respondisset ad omnia, iunctis & sublati in cælum manibus mortuus est Papisticè Papista sanctissimus in stabilitate nunquam

vacillantis fidei, in cōspectu infinitorum hominum qui morientem circumstitebant. Sic igitur S. Vir vitam dimisit: & mentitur asinus tuus: & tametsi verum diceret, tamen nihil concluderet. Sed debetis orbatī ab omni præsidio antiquitatis, fabricari somnia & architectari mendacia quibus sectæ vestræ nouitatem occultetis.

Itaque quia nec in scriptura locum vel exemplum vllum præmonstratis: nec in libris reliquis exemplum ad fidem conciliandam somnio vestro consignatum inscriptumque fuit: magis istis omnibus vestra confutatur fabula: an non iure vel iucundè ridere, vel miserabiliter lamentari interminatam impudentiā vestram debemus? quos non pudet, apertè contra cælum & terram non simpliciter mentiri, sed studio summo, cū intus animus, foris omnia testimonia & intelligentia atque memoria omnium hominum reclamant, conquirere mendacium & tāquam rem sacram obtrudere miseris ciuibus? Quod vnicum ad pedibus conculcandā & detestandam sectam vestram satis esse deberet meritò. Si enim is qui semel turpiter mentitur publicè, fidem sic periclitatur & honestatem, vt flagitiosi deinde Nebulonis cognomentū iure sustineat: vt Lutherus veterator tuus contra se (*Tom. 1. Ger. fol. 368. b*) luculenter scribit: quid de vobis pro Lutheri iudicio? quid de ipso Luthero constituemus? An propter hanc vnā fabulam ita turpiter & nefariè cōfictam aliquid vobis honoris & existimationis esse residuum? aut consistere cū illo mendacio scintilla pudoris potest?

Fortassis putabis Pappē: succurrā enim ruditati vestræ: non alienum à scriptura somniū esse vestrum: quia S. Patres ex electis Dei sint, qui errare secūdum Christum non possint: errarūt autem quandiu vixerunt: effici igitur necessariò vt in ipso vestibulo mortis collustrati à Deo, dimiserint errores: Quod Lutherus non quidem tam apertè concludit, tamen obscurè innuit.

Speramus profectò & ex testimonio Ecclesiæ scimus,
ad ele-

ad electorum numerum pertinere S. Patres: At cur vobis electi sint, non video. Vnde enim scitis? An rursus ex oraculo & ex inspiratione? sed cuius spiritus? An ex fide? Et tum an ex fide testata in qua gloriabantur cum viuerent? sed illa vobis erat idololatrica & Pontificia & damnata. An igitur ex fide ignota? peregrinare ab omnium hominum oculis? auribus? animis? At vnde de illa constat? Et cur propter fidem, quam secutos esse scimus, non fuerunt electi? fuerunt propter fidem, quam fuisse nescimus? & quæ coniectura nulla capi, signo nullo animaduerti, diuinatione nulla sentiri potest? & cur fidem, ipsorum & astantium testimonio comprobata[m] valere non finitis? quæritis in nocturnis illusionibus & deliramentis vestris fidem nouam? nec à Deo, nec ab angelis, nec ab hominibus sic testificatam, vt in cuiusquam conscientia compareat? Cur fidem adiungitis fabulis? detrahitis librorum & hominum testimonijs? Sed si nec ista commentitia in somnio inter dormiendū vobis obiecta fides placet, an igitur fuisse ex vitæ sanctimonia colligitis electos S. Patres? Sed sola fides vobis conciliat possessionem cæli: opera quò magis splendent, & sanctitatis amictu conuestiuntur, hoc magis Luthero veteratori salutem turbant & distinent. Quid ergo? an scitis ex Ecclesiæ testimonio? Atqui Ecclesia illa Pontificia & nostra fuit, & credidit, non quod occultè in S. Patres cum morte primum influxit, sed quod S. viri publicè crediderunt cum viuerent, & quod in libris consignarunt: non quod vos ex somnijs vestris affingitis. Deinde si Ecclesiæ fidem habetis cum electos S. Patres fuisse confitetur: cur non habetis cum doctrinam publicam S. Patrum probat? Vnde tandem igitur Patres sancti homines inter electos à vobis referuntur? quo argumento? quo signo? qua coniectura? Et si illi fuerunt, quare nos non sumus, affectatores eiusdem fidei? Et rursus an electi esse possunt qui in Idololatria vsque ad mortem inhærent & damnatam fi-

dem tum ipsi colunt, tum profeminant in alios? nec retractant vnquam? nec confessione oris quæ secundum Lutherum (*Tom 4. Ger. fol. 362.*) ad salutem necessario requiritur, errorem confutant?

Adhuc si per occultam fidem occulti electi fuerunt, nostri tritam in libris & sermonibus vestris scripturæ abusionem: Nouisse Deum qui sui sunt: quo diuerticulo elabi semper vultis, cum ad Ecclesiam ostendendam publicam vos astringimus. At si propterea Ecclesia cognosci, & electi reliqui perspici non possunt, quia solus eos Deus nouit: Cur S. Patres facitis electos? & quod solius Dei proprium est, subijcitis sub notitiam vestram? & tollitis principium, in quo proram hactenus & puppim occultæ Ecclesiæ defixistis?

Recolligamus omnia Pape. Vel perspicuum vobis vel ignotum est: inter electos fuisse S. Patres. Si occultum est, miramur inuerecundiam impudentiamque vestram, qui res peregrinantes ab intelligentia & positas in ignoratione proponitis ad credendum & credi à vobis iubetis. Rursus si notum est: cognoscetur, non ex re inclusa in tenebris sed ex indicio publico, quod in sensus nostros & inde in animum incurrit: ex fide in libris relicta, vel ex testificatione Ecclesiæ. Fides verò publica S. Patrum in qua vixerunt & mortui sunt, fuit Pontificia nostra: quæ si electos facit vel significat, nostra igitur fides vera & legitima, & vestra erit adulterina & falsa fides: quod agnosce Pape, & damna temeritatem vestram. Sic si propter Ecclesiam quæ de electione S. Patrum testimonium enunciauit, pro electis recipitis S. Patres, Ecclesia rursus nostra Pontificia, eiusmodi illa fuit, vera Christi Ecclesia, & vestra tanquam contraria nobis, Antichristi erit. Non enim illa Ecclesia testis sanctimoniam S. Patrum propter somnium vestrum S. Patres electis adnumerauit; nec haberet pondus si fecisset: sed propter professionem publicæ puræ fidei, sine qua nemo electus est; & propter præstan-

præstantiam ac multitudinem miraculorum, quibus fidem antegressam publicam Deus illuminavit, sensit per Spiritum sanctum fuisse puros & sanctos Christianos: eoque declaravit cooptatos iam esse in cælum ad participandam æternam beatitudinem: nec tantùm electionem eorum sed simul fidem: fidem autem non morientium tenebricosam & mortuam nobis, sed viuorum publicam & in libris viuentem atque contestatam fidem tanquam veram Christi fidem & laudauit & secuta fuit. Quocunque igitur inflectitis nocturnum somnium vestrum: semper verum erit, vel non electos fuisse S. Patres de quo nobis liqueat; vel si illi electi fuerunt, condemnari vos fidemque vestram: & stabiliri nostram.

Verùm vt aspicias propiùs, quanta sit connexi tui deformitas: quo tu itinere, Pappè, S. Patres Lutheranos facis, eodem ego Lutherũ & patrem tuum & propinquos & magistros sectæ ostendam mortuos esse in Papistica nostra Catholica Euangelicaque fide. Arrige aures Pappè: An negas inter electos fuisse Lutherum & illos quos nominavi? Nos quidem simpliciter negamus: Tamen tu, procreatio illorum, libenter concedes. At illi omnes nostro sincero iudicio erant errorum plenissimi; & senserunt cõtra omnium ætatum, omnium Patrum & Martyrum Catholicam Christi fidem, quãdiu cursum & vsuram vitæ tenuerunt. Quia verò tanquã electi, errore semper obligari non potuerunt, debuerunt magis tandem saluari: sequitur igitur inter moriendum Luthero & patri & propinquis & magistris tuis extabuiffe Lutheranos errores omnes, & per Dei illustrationem discessisse illos ex vita bonos Papistas. Quid negas Pappè? An igitur Lutherus & ceteri mortem oppetierunt in religione Papistica? Aut si de illis non rectè concluditur, cur vos rectè infertis de S. Patribus? Dices fingi à nobis in extremo articulo vitæ, conuersionem Lutheranorum. Verum est Pappè. fingimus ad ostendendam turpitudinem vestram
& ad

& ad illudendum vobis eodem modo quo vos de S. Patribus soletis. Tamen, serue nequam, cur tibi vis haberi fidem in S. Patrum exemplo? nobis idem ius de te & tuis non permittis? cur fabula vestra valet? non valet nostra? expressa ex imitatione figmenti vestri? Interim verum est omnes qui contrariū de se ante spirationem vltimam non testantur, in ista esse relinquendos religione, cum qua ipsi se, quandiu vita fruebantur, coniunxerunt, & ad quam adhuc extremis vocibus & indicijs constanter adhæserunt.

Et rursus verum est, quod hostis Lutheranorum, discipulus Romani Pontificis & ciuis & filius beatus Cyprianus in superiore libro clarissimè testatur, non discere Sanctos fidem cum è vita discedunt: sed quod illis tunc intus à spiritu dictatur, id ad astantes pertinere, non ad morientes. Verba S. Viri sunt illa: Audiuit (ex Angeli
» voce) frater noster & collega moriturus, quod cæteris
» diceret. Nam qui moriturus audiuit, ad hoc audiuit vt di-
» ceret: audiuit non sibi ille, sed nobis. Nam quid disceret
» iam recessurus? didicit imò nobis remanentibus.

Sic igitur tandem, Pape, caput primū Epistolæ concludo: & magno spiritu, magna vociferatione clamo, vt mundus vniuersus, cælum, terra, maria, muri vrbis tuæ, parietes curiæ, fornices templorum, & intercolumnaria scholarum audiant: nullum esse retrò quousque respicere mortalium animi & memoriæ longissimè possunt, sanctum Patrem, vel Scholasticum Scriptorem Ecclesiasticum qui vnum caput de cōtrouersijs religionis nostræ damnet: vnum figmentum vel varietatem sectæ vestræ probet: eumque totum receptum, quem ad Doctores Ecclesiæ quæritis, interclusum vobis esse, vt sine iniuria, sine mendacio, sine corruptela, sine reuulsis septis sanctimonix, ne quidem testimonium vnicum recitare de libris Patrum & Scholasticorum scriptorum, maximorum hominū, pro vobis fœditateque vestra queatis.

Nostri

Nostri Patres sunt, non vestri: pro nobis pugnant: nobiscum sentiunt: vobis patrocinari & nomen accommodare suum, in re prorsus nulla, nec sordidari à vobis volunt: nec quòcunque effrenatio se vestra iactabit, nominabitis vllum vnquam Ecclesiæ sanctū & comprobatum Doctorem: qui litera vna, syllaba vna, voce vna, periodo vna, non dico voraginem totam infinitè variatæ sectæ, sed particulam vnā, cū sententia rectè perpenditur, laudet: qui non insectetur: non vituperet: non detestetur.

CAPVT SECVNDVM, DE CONTRA-
DICTORIBVS QVI VITAM PONTI-
FICVM CRIMINANTVR.

VT verò subsidium nullum habetis impudentiæ vestræ relictum in Patribus: sic multò minus secundò per illos fulcietis sectam societatemque vestram, qui, cū Catholici in profitemda fide essent, & totam Papæ religionem assensu cultuque suo retinerent, immoderationes tantum Cleri & luxum & prolapsionem disciplinæ culpabant. Cogita enim, Pappè, quàm ridiculum sit, quàm absurdum, quàm miserabile mutuari ab illis fidem, Ecclesiæque, communitatem, qui in fide à vobis dissentiūt? & coniungere vobiscum homines qui religionem Papisticā animo complexi, & verbis testati, quandiu vixerunt, semper tricas condemnarunt ineptiasque vestras? An verò qui fidem Papistarum laudat, obiurgat peccata, Papista non erit? An morum reprehensio, quandiu fides non variatur, variat religionem? Quid deliras, Pappè? An igitur Lutherus, an Brentius, an Musculus, an primipili vestri omnes cū fidem suam attollunt, & queruntur de sceleribus flagitijsque suorum, Lutherani non sunt? Responde, Pappè. Homines an asini estis, cū eos qui vitam Papisticam

cam criminantur, fidem integram relinquunt: ad fidem agglutinatis Ecclesiamque vestram? Responde liberè: nihil dissimula.

Tamen, inquires, Herbrandus thesificator, profugus thesificator, qui toties iam prouocatus cum theses tanquam vallum obiectum contra Ecclesiam Christi, defendere deberet, miser senex iacere Lutheranâ societatem in sordibus & laments fini: & interim ex desperatione testamentum, testimonium infidelitatis ruditatisque sue ex anilibus nugis lamentabiliter cõportat: Ille, inquam, thesificator Arnulphum Aurelianensem Episcopum, & Archiepiscopos Coloniensem & Treuirenses, & Eberhardum Salisburgensem Archiepiscopũ, & Fridericum II & Ludvicum IIII Cæsares recitat, qui Papam nuncupauerint Antichristum: quò Hunnius, deformis Hunnius progenies veterum Hunnorum, barbarorum hominum Hunnius & alij adiungunt S. Bernhardum, Petrarham, Mantuanum: Herbrandus Albericum de Rosate & Petrum Ferrariensem Iurisconsultos.

Dicemus de omnibus ordine: & numerabimus primum Lutheranorum in tribus tantum appositis testimonijs mendacia: non quidem omnia: id enim quĩ fieri in parua epistola posset? sed tamen pleraque, vt lector, quid & Lutheranis & eorum testimonijs tribuere conueniat, apertis oculis tanquam in speculo vno aspectu contueatur? Deinde ad Antichristum Herbrandi respõdebimus.

Principem & custodem Concilij Rhemensis, quod celebratum 813. sub Carolo Magno fuit, inconsideratus & temporum atque rerum inscius Herbrandus Arnulphum Aurelianensem Episcopum constituit: nec legere potuit apud Flacium nugatorem in Centurijs vnde illa transcripsit: non in prima, sed in secunda Prouinciali Rhemensi Synodo, quæ sub Othone III Rhemis Anno 992 conuenit, Arnulphũ interfuisse Aurelianensem Episcopum, & accidisse tum ista quæ commemorat. Externa igitur

igitur mendacia in Herbrando & Flacio in re ista vna minutissima, concurrunt quatuordecim: quorum primum est Herbrandi, Anno 813, & sic retro ante annos 775 fuisse Aurelianensem Episcopum Arnulphum Rectorem Rhemensis Concilij. Reliqua tredecim sunt Flacij, qui in Catalogo turpitudinis Lutheranae ponit Anno 991 habitum esse Concilium sub Othone 11: Cum Sigisbertus & ipse Flacius in Centurijs nominent posteriorem annum 992, & Caesarem Othonem 111: Deinde Arnulphum Archiepiscopum Rhemensem nominat in Centurijs Lotharij regis fratrem, & virum bonum atque modestum, & per iniuriam de Episcopatu deiectum, & falso insimulatum proditionis: cum in Catalogo nouitatis haereticae confirmet fuisse filium Lotharij, cuius erat spurius, & hominem multis sceleribus coopertum & proditorem vrbis, & iure ab Episcopatu remotum: quod idem in Centurijs (fol. 457. & 516.) repetit; oblitus, quod illo eodem loco ante paucas lineas (fol. 547. & 570. & 574.) semper secum pugnantem effutiuerat: & rursus (fol. 575.) Arnulphum Rhemensem Episcopum omnium applausu receptum esse ex multis scriptoribus probat. Tertio Concilium Rhemense pro legitimo habet in Catalogo: & Aurelianensem multis laudibus afficit: cum in Centurijs (fol. 457. & 516.) Concilium Tyrānide magis aulae & insatiabili odio & criminationibus quam sententijs Episcoporum ideoque vitio (fol. 544.) administratum fuisse testetur; & ipsa acta (cap. 51.) ab Hugone vim adhibitam in medio narrationis cursu declarent. Quarto approbatum à tota synodo Aurelianensi Episcopi iudicium in nugacissimo Catalogo mentitur, cum in Centurijs (fol. 516. & 570.) scribat, reclamasse Seguinum doctrina & rerum usu reliquis Episcopis antecellentem Senonensium Episcopum & cum Arnulpho inclusum in carcere: quod rursus deinde negat. Quinto acta Synodi vult in Catalogo fuisse sine vitio descripta: cum ipsa acta in Centurijs integra si Flacius,

cius, princeps mentienti, verum dicit, sæpenumero Scri-
ptoris animum partibus infectum prodant: & ipse ^{βλδξ}
Flacius in actorum ingressu Gerbertum authorem agno-
scat, hostem & successorē accusati Arnulphi: addat (fol.
547.) vt furem & latronē ingressum in Rhemensem Epi-
scopatum, & (fol. 574.) insignem Magum, in quo tamen
mentitur, fuisse Gerbertum, & (fol. 520. ex Ammonio) pœni-
tentia ductum non illibenter renunciasse electioni: vn-
de quid de actis illis sentiri debeat, ipse Flacius perspicu-
um reliquit. Sextò in Centurijs (fol. 544.) vult à Lotha-
rio rege depositum Arnulphum & à Ioanne xvii Ro-
mano Roberti filio restitutum contra fidem historicam
& seipsum: Vt nihil dicam posse narrationē vniuersam
videri vel totam commentitiam, vel aspersam infinitis
mendacijs: tanquam traditam sine vllius authoris fide &
natā clām in suppositis à Flacio libris. Hęc igitur menda-
cia sunt quatuordecim interiecta in testimonio primo.

Secundum testimonium de duobus Episcopis Colo-
niensi & Treuirensi, quod ascribit Herbrādus: quàm ple-
num est ridiculæ falsitatis? & quàm dignum integumen-
tum Lutherani furoris? Duo isti Episcopi cū primūm
Thierbergam vxorem Lotharij Regis à marito per sum-
mam iniuriam, refractis diurni matrimonij vinculis,
abstraxissent: deinde ducendæ nouæ vxoris potestatem
contra Canones fecissent: post legitimam causā factam
à Pontifice cognitionem priuati dignitatibus & in laico-
rum statum reiecti, cū propter impotentiam animi iu-
diciū Pontificis agrè sustinerent, conuitia in Papam &
Ecclesiam Romanam iecerunt. Isti igitur duo Episcopi,
quorum vnum incōsideratum actione & leuem animo,
& spe affinitatis regię corruptorem sacræ scripturæ: Al-
terum simplicem & expertem Consilij & rerū sacrarum
omnium ignarum: vtrunque patronum adulterij & ex-
citatorem falsorum testiū nominat Rhegino, iam à Lu-
theranis in patrociniū aduocantur, vt qui in perdita
causa

causa Pontificem optimum, non in religione sed in moderatione animi maledictis petulantis iurgij fixissent, desperatam rursus non in moribus sed in religione fideque nostra, Lutheranorum fatuitatem fulciant. Duo igitur stuprorum & adulteriorum defensores & testes leues, sicut Thietgaudum Treuirēsem Flacius in Centurijs (fol. 423.) nuncupat, asciscuntur ad sententiam dicendam pro Lutheranis: & quod illi in mores vnus sanctissimi Pontificis ferocius in vlciscendi libidine dixerunt, id iam ad criminandam Catholicam religionem valere debet. O incredibilem impudentiā. Tamen rursus percenseamus mendacia. Primum igitur mendacium est in quo cætera tanquam in capite inclusa continentur; fuisse illis verbis exaratam vel Nicolai Pontificis vel duorum Episcoporum Epistolam, quibus Auentinus mēdacissimus scriptor & Flacius turpissimus nugator recitāt. Conquestos esse ad Ludovicum Cæsarem fratrem Lotharij de Pontificis iniquitate, & tum ore tum scriptis fuisse contumeliosos in Papam Nicolaum tradit Rhegino. At venisse in Auentini vel Flacij conspectum exemplum vnus Epistolæ, falsissimum est: effinixerunt scelesti viri & tanquam si de tabulis legissent, sic interminata mentiendi libidine tum illas tum alias literas percensuerunt. Honesti viri nobis erunt, qui iam scurræ sunt, si vestigium antiquum istius scripturæ nobis ostēdent. Sed nō possunt: & Auentinus palām fatetur, non se verba literarum sed sententiam ascribere: quod, illo tacente, testari poterat Latina dictio, quæ nec in atatem Lotharij nec in curiæ Romanæ consuetudinem conuenit. Flacius verò, qui & in Catalogo scurrilitatis & in Centurijs vel plaustris mendaciorum integrā Epistolam ponit, si vidisset Autographum, sine dubio in verbis Auentini non inhæsisset: recitasset ex veteri scripto Epistolam. Neuter igitur eorum aspexit Episcoporum literas: sed ex paucis Rheginonis verbis confinxit Auentinus: imitatus est in mentiendo Flacius:

& cùm imitaretur, amplificauit & correxit. Id enim secundum est Flacij in commentitijs Episcoporum literis mendacium: Quòd, cùm exemplum nullum ad sequendum nisi solius Auentini fabulam haberet, & Epistolam ex Auentino se narrare diceret, tamen multa etiam in illo mutaret, nec paucas nugas fideliter transcriberet. Meminit Rhegino scriptis egisse causam suã Episcopos contra Pontificem, sed quòd ad Pontificem literas dederint, nec ille nec quisquam alius confirmat: multò minùs vel Epistolam vel verba illa quæ in Auentino sunt, interponunt. Tam deformis res est hæresis, vt cultores suos contra meridianam lucem effundere & credere fabulas ad stabiliendum errorem ab omnibus testimonijs desertum cogat. Sed non satis est: sequuntur in Flacio ad istam probandam fabulam & ad exaggerandũ Pontificis iniuriam mendacia noua primùm duodecim & postea nouem. Guntherum enim Episcopũ Coloniensem nominat fortis & magni animi virum: quem Rhegino inconsideratum actione & leuem animo & deprauatorem sacre scripturæ, & sub turpi exspectatione affinitatis regie corruptorem testium & patronum adulterij publici sine dissimulatione vocat: Quod ipsum, Flacius cõtra se in Centurijs (*fol. 287. & 423.*) confitetur veterator inconstantissimus. Deinde Thietgaudum testem Lutheranae religionis & accusatorem Papæ pro honesto viro habet, quem ipse in Centurijs, (*fol. 423.*) cùm historicus nullus iuberet, leuitatis ignominia notauerat. Tertio iniuriam factam esse Gunthero & Thietgaudo simulat (*fol. 507. & 537. & 552.*) quos diu antè vanissimus homo (*fol. 287.*) vfos falsis testibus enunciauerat, & dubitauerat malitiosè in Catalogo (*fol. 140.*) Pontifex an Episcopi iustio rem causam fouissent. Quarto literas ad Pontificem missas nugatur nomine tum Coloniensis & Treuirensis, tum aliorum per Belgium Episcoporum in Catalogo & in Centuria (*fol. 338. & 537.*) cùm & paulò antè (*fol. 537.*) tantùm duobus illis

illis Epistolam attribuisset: & in literis soli Guntherus & Thietgaudus inscribantur: & nullus historicus, post latam Pontificis sententiam cuiusquam Episcopi memoriam recorderetur qui contra Papam se cum duobus istis consociauerit. Quintò, in quo impudentiam omnium mortalium superauit, negat fuisse à Papa duos illos Episcopos auditos vlllo modo, nec conuictos (*fol. 503. & 537.*) nec de errore reprehensos (*fol. 553.*) sed ante causæ cognitionem (*fol. 506.*) & absentibus Episcopis & extra Synodum (*fol. 553.*) remotos ab officijs: cùm Rhegino scriptor grauissimus primùm de actis examinatos, postea vocatos ad Synodum, & ibi consensione iudicioque cõmuni Episcoporum, presbyterorum & diaconorum exutos dignitate & redactos in ordinem vitamque laicorum: Sigbertus examinatos à Papa, & tum ex Synodalibus gestis, tum ex ore suorum conuictos, eoque dignitatibus & ordinibus priuatos: Eodem modo Frisingensis & Contractus & Ado antecessisse cognitionem causæ in Synodo consentaneè verbis apertissimis affirmant omnes: & ipse truncus Flacius (*fol. 423.*) proposita Romæ fuisse acta, & indixisse Pontificem Synodum, & examinasse scripta & damnasse authores scribat, immemor vanitatis turpitudinisque suæ Flacius: quod rursus ex Epistola Nicolai ad Gallia Episcopos & 2. q. 1. c. finali & 11. q. 3. cap. 96. clarissimè liquet. Sextò nugatorem vocat Rheginonem, quòd in Synodo depositos Episcopos fuisse tradat: cùm ipse Flacius in eodem libro in loco quem proximè nominamus, Synodum Romanam contra Episcopos indictam nominet: Rheginonem calūnia liberet & seipsum mendacij coarguat: quod facere debuit in splendore veritatis historicæ & consensione scriptorum omnium.

Septimò affingit Rhegini (*fol. 537. & 553.*) Epistolam quam Nicolaus Papa ad Episcopos Gallia dederit: & in qua sit, confessum fuisse Guntherum quòd ad neptem suam in Regis matrimonio collocandam testes falsos sub-

orna-

ornauerit: quod Rhegino nullo loco, nec quidem minimo verbo significat. Octauò mentitur (*fol. 301.*) Nicolaum Papam separasse Lotharium & Thietbergam: & (*fol. 301. & 328.*) dissoluisse prætèxto voti pietatis & castitatis eorum matrimonium: & (*fol. 504.*) sensisse cōtra scripturam 27. q. 1. quòd vinculum nuptiarum propter religionem consensu vnus coniugis fiat irritum; & (*fol. 506.*) coegisse Lotharium vt vxore & concubina repudiata, in vitam se monasticam daret: idque traditum fuisse à Rhegione libro secundo. In quo vno capite tot mendacia dixit Flacius quot posuit verba: cū nihil eorum sit verum, neque suaserit diuortium Nicolaus Papa: mandauerit magis in literis ad Lotharium apud Rheginonem (*Anno 866.*) vt pro virili parte sua de retinenda in matrimonio vxore cogitaret: nec concesserit vnquam vxori, vt sine mariti cōsensu à marito abiungeretur, ne quidem religionis causa: sicut isto loco verba Pontificis Rhegino commemorat & repetuntur in Decreto, 27. q. 2. c. 26: coegerit verò nunquam Regem vt vitam monasticā subiret: tantū in vtriusque reliquerit arbitrio, vt si ambo puram & sanctam vitam libentibus animis in monasterio ducere cogitarent, isto modo & nullo alio separatim viuerent: quæ omnia lector, si in Rhegione & Decreto leges, obstupesces diabolicam Centuriatorum & Flacij & proiectam ad mentiendum audaciam. Nonò vult Lotharium iniuste & præter ordinem ferenda sententia vexatum à Nicolao I. (*fol. 505.*) nec vitur scurra testimonio alio quàm quòd ipse Lotharius adulter ad Adrianū successorem Nicolai pro tegenda turpitudine sua apud Rheginonem conqueritur, sanctissimum Papam & benignum Patrem & futurum sine dubio cælestis sanctimonie ciuem (sic enim appellat mortuū Nicolaum Papam Rex Lotharius) circumuentum ab aduersarijs interclusisse Lothario viam ad se purgandum: cū omnes Historici contrarium testentur. & 31. q. 2. capitulum quartum
solum

solum falsitatem patefaciat: & ipse flaccidus Flacius in Centurijs supra Lotharij & libidines accuset, (fol. 285.) & bis ad Lothariū missos à Pontifice ad exquirendam causę conditionem legatos, (fol. 329. & 423.) & scriptas Epistolas (fol. 504.) recitet: nec sit æquum vt contra veritatem historicam ex adulteri tergiuersatione res iudicetur, præsertim cū de periurio Lotharij ex obitu post sumptum Sacramentum constet: tãtoque plus quòd sanctus testis, Viennensis Episcopus Ado, ex recenti memoria damnationem Episcoporum vocet sententiam Apostolicam & cæterus Synodales sæpe conuocatos, & tam consideratum fuisse Nicolaum Papam affirmet, vt multi Gallix Episcopi timerent ne Papa causam illius per fauorem probaret, & discedens à definitionibus pietatis infligeret vulnus Ecclesię. Decimò dubitat vir scelestus, (fol. 508.) nocens, an innocens Lotharius fuerit: & an veneno quod Hadrianus Pontifex fortassis in Sacramento porrexerit, sublatus sit Lotharius: & tanquam si propter Rheginonis & Sigeberti auctoritatem dubitaret, sic eorum nomina subscribit, impudentissimum monstrum: reclamantibus omnibus Historicis & etiam Flacio in supra positis locis. Cū vnus Ado sanctitate sua & testatione recentis historię frãgere scurram deberet, qui deceptum à prauis Consiliarijs Lotharium, totam contra se concitasse Ecclesiam & in re illicita acquiescere sanioribus consilijs patruī nō voluisse scribit. Vndecimò calumniatur Guntherum & Thiergandum propter constitutas iniquiores & cum conscientijs pugnātes conditiones (fol. 538. & 553.) non potuisse in gratiam redire cum Pontifice: quod nullis fuit scriptorum monumentis traditum: Contractus magis vult pœnitētia ductum Guntherum & profectum Romam, ne quidem ad conditiones pacificationis admissum: & Rhegino significat ambos ambiuisse restitutionem ad ordines & dignitates, sed propter mortis intercessionem non esse consequutos quod vehementer in-

tendebant. Duodecimò (fol. 538. & 553.) trucidatos Episcopos ambos à Pontificijs in Italia apud Sabinos vel in æde S. Petri, bis repetit & inuolucrum impudentiæ suæ ascribit acta Episcoporum Treuirensium & Coloniensium: impudens & nullius ruboris calumniator. Nec his mendacijs contenti sunt, cùm Lotharij Regis & Nicolai Pontificis causam tractant Lutherani: inferciunt adhuc nouem, quæ aliena quidem à Lotharij causa, tamen quia in Nicolai Papæ personam conuertuntur, & in rem nostram, in qua versamur, conueniunt, coniungemus breuiter cum reliquis. Primùm Nicolao primo Papæ, Lotharij aduersario, tribuunt Flacius & apertissimè Funcius damnationem nuptiarū in Sacerdotibus & impulsione ad vitam sine nuptijs viuendam: quasi ista vel primus instituisset vel intermissa reuocasset: cùm in Ecclesia tota Catholica, quādiu & quousque propagata fuit, punctum temporis nullum significari possit quo semel Sacerdotibus licuerit, cōiungere se matrimonio cum mulieribus: & præclare Paphnutius ante annos 1268 antiquam istarum ætate traditionem Ecclesiæ (ἀρχαίαν τῆς ἐκκλησίας παράδοσιν) nōminet, ne facti clerici ducant vxores: nec quod in Ecclesia Græca permissum fuit, Ecclesia Latina cuiquā indulserit vnquā vt Sacerdos factus in vxoris, quam ante sacros ordines duxisset, hæreret concubitu. Deinde admonitum ab Huldrico Augustano Episcopo Papam & obiurgatum per Epistolam confingunt, de quo fusè iam egimus. Tertiò apponit Funcius fuisse consilium Nicolai I per Epistolam Vlrici retardatum & sic aliquandiu repressum, vt iaceret neglectum & nuptijs interim perfruerentur Sacerdotes. Quartò existimat Flacius capitulum quintum (*Nullus missam*) distinct. 32. esse Nicolai primi, cùm sit Nicolai secundi qui vixit decursis post primi obitum annis centum nonaginta vno. Quintò concludit asinus, in isto capite (*Nullus missam*) prohiberi nuptias Sacerdotum, cùm expressè de concubina & subin-

trodu-

troductis mulieribus tantum & non de vxoribus loquatur textus. Sexto quod Osiander nugator sub Vitaliano Papa ducentis annis ante Nicolaum accidisse contendit, Flacius Nicolao primo transcribit: quasi is primum vsuna Latinæ linguæ in sacris faciendis imperauerit: cum vterque mentiatur turpissime. Septimo concessisse putant Nicolaum I Sclauis & Polonis vt materna lingua in sacrificio altaris vterentur: cum Poloni post Nicolai primi mortem centum annorum interiecto interuallo, sub fidem se primum subiecerint Christianam: Sclauorum verò in Saxonia cõuersio in ætatem Othonis I incurrat: cum ædificatę Ecclesię in Sclauia & religio radicibus primis defixa fuit: & soli Sclauis qui Morauiam incolebant, sub Nicolao nostro paulò seriùs per intercessionem Cyrilli & Methodij ad fidem Christi sequendam accesserint. Octauo Nicolaum, quem Rhegino sanctissimum vocat & omnibus post Gregorium Magnum anteposit, & Ado æqualis penè temporũ illorum, virum in religione præcipuum nominat, fingit Flacius fuisse contemptorem secularis magistratus: tantum quòd Rhegino autoritate sua ac si Dominus orbis terrarum esset, præfuisse & imperasse regibus ac Tyrannis scripserit: cum seipsum explanet Rhegino & tanquam alterum Heliam incredibili beneuolentia bonos & paterna autoritate malos in officio continuisse statim subiungat. Nonò ascribit scurra, recepisse Nicolaum regna huius mundi & gloriam eius: sic enim barbarus Illyricus loquitur: eò quòd Platina & liber Pontificalis referant passum fuisse Papam, vt Ludouicus Imperator occurrès Pontifici & de equo desiliens manusque in frenum equi iniiciens, ad castra per mille passus deduceret Pontificem. Atqui Platina apertè scribit, non isto solùm honore Papam sed alijs ornamentis tanquam numen propter eloquentiæ & doctrinæ maiestatem & præstantiam ab omnibus mortalibus affectum; cum ille gloriam sic non appeteret, vt Pontifex absens

renuntiatus, in latebris se ad effugiendam tantam dignitatem occultaret. Quod igitur Ludouicus Cæsar officium repugnanti præstitit, id veterator stolidus Flacius sine testimonio probro vertit Pontifici sanctissimo, quod nomen ab omnibus scriptoribus & ab ipsius hoste grauissimo Lothario rege post mortem impositum nullus Flacius vel calumnijs interuertet vel mēdacijs inobscurabit. Sed quid attinet omnes Centuriatorum & Lutheranorum perpetuis mendacijs circūplicatas contradictiones complecti in epistola? cum ad infinita millia mendaciorum tantum nudè sub aspectum hominum subiicienda multi magni libri requirantur: quod inde facile perspicier lector, quia nos hæctenus de duobus minimis testimonijs, de primo quatuordecim; de secundo viginti tria publica mendacia patefecimus & in luce collocauimus.

In tertio quod est Eberhardi Salisburgensis, erimus breuiores: & vt tandem nos ex foetoribus illis expediamus: primum non vixit ille ante 200, sed ante 350 annos. Deinde verba quæ in Auentino & Herbrando ponuntur, non sunt Eberhardi: Confinxit Auentinus de vertigine fatuitatis suæ: cum vir non ita malus Eberhardus Episcopus esset, intercessor (*Anno 1230*) inter Pontificem & Cæsarem & author pacis: sed deinde corruptus istius seculi temeritate & frequentissima Germanorum celebritate traductus ad partes Imperatoris in Comitibus Bauaricis, inconsideratius quædam in Albertum Bohemum Decanum & per eius latus fortassis etiam in Pontificem Romanum dixit: de quibus tamen nihil speciatim memoriæ nostræ propagatum legimus. Excogitauit sine vlllo chartæ subsidio orationem Auentinus, iuratus Papæ & Sacerdotum hostis, vt plus inuidiæ nobis cõflaret, & mucronem Lutheranum ad insectandam religionem Catholicam exacueret: quod multa ex Friderici 11 Epistolis transfudit: multa indigna Eberhardo sapiente & Catholico viro ex cerebro suo fabricauit & eius nomine obtexit.

Quis

Quis enim existimabit Eberhardum amantissimum religionis Catholicę & edificatorem monasteriorum & cultorem reliquiarum & amicum aliquot Pontificum, & consecratorem atque institutorem Episcoporum, & vt breuiter dicam, Papistam durissimum, habuisse Sedem Romanam & titulum Pontificum in genere pro Babylone & Pharisaismo & falsis prophetis & Antichristo? à quorum interim doctrina nunquam discessit? à quibus confirmatus in Episcopum? quorum absolutionem appetebat? Senserit hoc de Gregorio nono & ex iurgio fuerit iniurius in ipsius personā. at vt in omnes & in ipsam fidem quicquā eloqueretur criminosis, ecqua nam iracundia & rabie sic exardescere potuit? vt fidem religionemque suam, in qua permansit, damnaret? etiam cum fortassis arbitraretur dominatum Pontificum in Cęsares & nimis longē iactari & ferēdum non esse? Id verò quod de Hilbebrando in Epistola interscribitur quā est inane? An enim Eberhardus post annos 170 Pontificem sacris literis eruditissimū & in tota Ecclesia tempore quoque priorum Pōtificum omni virtutum genere celeberrimū, Zelo Dei feruentissimum, & Apostolicę purissimęque vitę, & miraculorum per preces suas authorem, quibus eum nominibus Lambertus Schafneburgēsis Anno 1074, & 1077, cohonestauit, sic dedecoraret, vt nec Pontificis nec Gregorij septimi nomen relinqueret? & tantū nominaret Hildebrādum? quem Frisingens. (*lib. 6. cap. 32.*) constantissimū in Ecclesiastico rigore & (*cap. 34.*) formam gregis factū, in vita & fide, & fortem per omnia Athletam & murum pro domo Dei, & (*cap. 36.*) magnum pastorem & inter omnes sacerdotes & Pontifices Romanos Zelo & autoritate præcellentem, & (*lib. de gestis Frederici secundo*) venerabilem sacerdotem vocat? ex cuius obitu Ecclesia maximum acceperit dolorem? Bertholdus Constantiensis cōtinuator Contracti (*Anno 1085.*) famulum Dei, fortissimum in defensione iustitię vsque ad

mortem virum, & feruentissimum institutorem Catho-
 licæ religionis, & strenuissimum defensorem Ecclesiasti-
 cæ libertatis, cuius mortem religiosi omnes & pauperes
 doluerint: Fasciculus temporum scriptor Rollevinck
 sanctum virum & multa passum pro iustitia: Chronicon
 compendiosum in scripturis valdè eruditum: Marianus
 Scotus venerabilem Præsulem, Zelo Dei permotum, ho-
 stem grauissimum impuritatis & Simonia, & patronum
 Catholicorum & iniuste damnatum: Dodechinus vene-
 rabilem virum, beatæ memoriæ Pontificem: Stephanus
 Episcopus Halberstadensis in Dodechino, Papam opti-
 mæ vitæ & ciuem cæli, & hostes eius blasphemos viros:
 Anshelmus apud Stadensem Abbatem & in Vrspergensis
 sanctissimum & ritè de Dei & Christi iudicio & clericor-
 um plebisque testimonio à sacerdotū collegio factum
 Papam, Zelo iustitiæ permotum & patrem suum nomi-
 nat, cui omnes perfectiores & columnę in domo Dei ad-
 hæserint: Vrspergensis nunquam ipse vituperat, etiam
 cum aliorum & cum primis Bennonis recitat conuicia:
 Magister Anselmi S. Viri testimoniū vehementer lau-
 dat: Viterbiensis capellanus & notarius trium Germa-
 niæ Cæsarū Conradi tertij, Friderici primi & Henrici VI,
 habet pro Athleta Dei in domo Domini: Platina ex ore
 totius Ecclesiastici senatus vti pium, modestum, conti-
 nentem, iustum, doctum, religiosum laudat: quem tan-
 tum inde in odium Clericorū & Cæsaris incurrisse, quod
 deuotionem ipsius non ferrent, & plerique Cæsari blan-
 direntur, & per summam iniuriam insinulatum Necro-
 mantię & Stupri testatur Lambertus Anno 1074, & 1077:
 & Frisingensis lib. I. de gestis Friderici cap. I: & Marianus
 Scotus Anno 1081: qui omnes sanctimoniā & continen-
 tiam eius in tota vita & innocentiam extollunt, & præ-
 fertim compendiosum Chronicon quod est in primo to-
 mo Scriptorum Germaniæ apertè confitetur se uero edi-
 cto prohibuisse auguria & sortilegia & artes vniuersas
 magi-

magicas: vbi Lambertus recitat quemadmodum coram Henrico Cæsare non solum verbis & conscientia omnium, qui illum interiùs à puero nouissent, sed etiam sumptione venerabilis Sacramenti post factum sacrum plenissimè purgauerit, cum priùs, si nocens esset, se animamque suam deuouisset & presentem vltionem expetiuisset à Deo: quod tamen Henricus Cæsar, cum eodem modo innocentiam declarare suam iuberetur, imitari non voluit. Nec Sigebertus quãquam partibus infectus, vel illa inficiatur vel aliud in Gregorio vii. quàm inconsiderationem in abrogandis Sacerdotum nuptijs culpat: Alioquin in laude eius ponit quòd cõtra Simoniam leges tulerit, & Anno 1086 Anshelmum commemorat Lucensem Episcopum, virum maxima & miraculis confirmata sanctimonia, qui Hildebrandi patrociniũ in proprio luculento libro susceperit.

Talem igitur tamque deuotum Pontificem testimonio Germaniæ scriptorũ (vt de Italis omnibus eius temporis scriptoribus nihil dicam) sublatum in cælũ & laudatum contra Cæsarem, Cur Eberhardus, qui magnam partem librorum legerat & recenti penè memoria sanctimoniam in viuendo & virtutes reliquas continebat, pontificio nomine indignum & primum Antichristici regni seminatorem censuisset? eaque in re plus vni Bennoni, hosti legitimi Papæ & affectatori Antipapæ qui eum Cardinalem creauerat, quàm tot Germanis scriptoribus grauissimis viris fideret? Fecisset fortassis, si Lutheranus vel Centuriatorum pecus vel prodigium naturæ Balæus fuisset: qui propter hostile odium in Catholicam Ecclesiam & propter assuetudinem ad mendacia fidem centum maximis hominibus qui pro Papa & veritate testimonium dicerent, derogarent: Scurræ vni vel Hollandicæ mēdacissimæ chartæ libentiùs crederent: huiusque quàm illorum authoritatem multò facerent pluris: tantum vt criminari Papam possent: & vt compleatur quod

S. Pau-

S. Paulus vaticinatus diu antè prædixit: Hæreticis, qui charitatem veritatis non recipiunt, immisurum Deum operationem erroris vt credât mendacio. Sic verò Eberhardus affectus non erat: nec quicquam eorum Ratisponæ Anno 1242 in Comitijs contra Gregoriū VIII dixit: nec potuit insectari sui temporis Pontifices, cùm nullus esset & vacaret Sedes: nec sic hominem prudentem recordatio superiorum annorum pungere debuit, vt oblitus mortuos esse, quos obiurgat, tanquam si viuerent & imperio bellum inferrent; sic probris vexaret & debellari iuberet. Auentinus igitur ista confinxit: tantoque turpius quòd (fol. 563.) Gregorium VII Papam virum sanctissimum ex Abbate Bernritense Paulo & Richerspergenfi Berocho & (fol. 579.) causam Gregorij VII ab Anhelmo Lucensi Episcopo & V Vilhelmo monacho tum scriptis cùm vitam tenerent, tum post mortem edendis miraculis defensam & iustam comprobata esse scripserat, & Papam à Simonia in Germanica historia fecerat liberum. Tamen ille studio mentiendi & calumniandi Papam, fabulosam orationē fabricauit & sub nomine Eberhardi in lucem publicam emisit: Repetiuerunt Centuriatores: sed vt sunt hebetes, confundunt omnia: reijciunt comitia in Annum 1241 sub Ecclesiasticum imperium Cælestini Papæ, cùm in interregno ponant Auentinus & V Viguleus Hundius: comminiscuntur tres Eberhardos Salisburgenses Episcopos, & primum Comitem ab Hilpotsstein ex Auentino obiurgatorem Papæ faciūt: vnum (nimirum secundum) Eberhardum duplicant; & vt turpior sit error, interijciunt Bertholdum, Fridericum & Albertum. Deinde Fridericum rursus tertio loco post tertium Eberhardum supponunt: Albertum antecessorem Eberhardi post Fridericum iterum tanquam ab illo diuisum & quinto loco sequentem introducunt: omnia falsissimè & ineptissimè. Sed satis sit hoc loco de tribus testimonijs ista strictim attigisse, quæ alibi copiosissimè
 explica-

explicabuntur: Interim admiremur Lutheranorum effrenatam audaciam & mentiendi cupiditatem: quos non puduit tria inanissima aliena ab instituto & cum à nobis concessa sunt, tamen non aduersaria religioni nostræ testimonia, à Catholicis viris per quadraginta & amplius mendacia mercari: tātūm vt colorem antiquitatis quoquo modo inungāt sectæ ad obnubendam infamiam notitatis.

Reliqua quæ supersunt, non exaggerabimus. Fridericus II Cæsar in quam suspiciōē venerit neglectæ Christianæ religionis: Ludouicus IIII Bauarus cur à Ioanne XXI dissenserit: iure an iniuria vterque Cæsar causam egerit: nihil definiemus. Nec enim opus est, habebant illi cum Pontificibus de rebus externis paratam concertationem: religio nunquam inter eos controuertebatur: nisi quòd Ioanni Papæ à quibusdā hæreseos macula contra ius & meritum inureretur, à qua tamen fuit liberri- mus: nihil desiderabāt Impp. in fide & religione Catho- lica: de dominatu rixabantur & de moribus.

Sic Diuus Bernhardus transuersum vnguem ab illa Catholica fide quam nos sequimur, nunquam deflexit: in nullo articulo diuortiū à nobis fecit: Credidit omnia quæ nos credimus & nos vicissim illius omnia: Nec in dubitationem vocamus quicquam eorum quæ ex illo contra nos proferuntur.

Nec Petrarcham & Mantuanum liberiores Poetas: nec etiam Iurisconsultos, animaduersores morum, quia religioni nihil incommodant, exagitabimus: Optimi vi- ri fuerunt: Luxum Cleri reprehenderūt: in reliquis de- uoti Catholici: nisi quòd Mantuanus in quibusdam con- tra Sedem Romanam excogitatis antiquis fabulis nimi- um se præberet credulum.

Eorum aliqui si Papam Antichristum vel ex obstina- tione odij in propria lite, vel ex detestatione vitiorum cognominauerunt, nunquā certè ad doctrinam & fidem

sed semper ad mores externamque disciplinam animis spectarunt: & sic pro Antichristo habuerunt sicut S. Bernardus in Sermone primo de Conuersione S. Pauli omnes, qui quoquo modo contra Christum agunt, & eum vel vita vel fide persequuntur, Antichristos constituit; proptereaque multos aetate sua fuisse Antichristos conuenitur, etiam Ecclesiarum magistros & capita: cum vel vitæ turpitudine offendunt populum; vel quæstum æstiment pietatem, & abutuntur sacris ordinibus ad turpe lucrum: vel quacunque ratione contristant Spiritum Dei: qua significatione & nos libenter assentimur, fuisse multos Ecclesiæ Principes Antichristos. At quod in aliū sensum quisquam eorum, quos tanquam contradictores Papæ obijciunt Lutherani, nomenclaturā Antichristi usurpauerit, vanissimè dicitur. Quis enim fieri posset, ut illi doctrinam Papæ Antichristianam iudicarent, in qua totam vitam vixerunt & appetuerunt mortem? An libentibus animis damnari voluerunt & detrudi in infernum? cum doctrinam quam præuidebant esse salutem cōtrariam & sacrarum literarum corruptricem, tamen retinuerunt? magis ponendis exemplis deuotionum auxerunt? aut an fortassis contradictores isti Catholici toto vitæ tempore non fuerunt?

Arnulphus Aurelianensis Episcopus, primus contradictor, an non in ipso adulterino concilio (*Centuria 10. fol. 488.*) in oratione, quam hostis tum Papæ Gilbertus, scriptor concilij & beneficio Arnulphi istius factus in locum eieci alterius Arnulphi Archiepiscopus Rhemensis, ex Arnulphi multis narrationibus in angustum contraxit, fateretur apertissimè, non de doctrina vel fide, sed de fastu se loqui, cum Papam Antichristum esse vociferat?

» Verba eius sunt: Quid hunc in sublimi folio residentē
 » (Papam Romanum) esse censes? nimirum si charitate
 » destituitur, & sola scientia inflatur & extollitur, Anti-
 » christus est in templo Dei sedens. Si autem nec charitate
 funda-

fundatur, nec scientia erigitur, in templo Dei tanquam
 statua & tanquam Idololum est. Solam igitur superbiam
 Aurelianensis Arnulphus efficere putat, vt qui caput est
 Ecclesiæ Christi, fiat Antichristus: Interim Romanā Ec-
 clesiam ob memoriam S. Petri ab omnibus honorādam
 & à decretis Romanorum Pontificum minimè sicut nec
 à sacrorum Canonum obseruātia discedendum, nec pri-
 uilegio Romani Pontificis derogandum clamat: & vult
 esse munus Pontificis Romani tanquam capitis Ecclesia-
 rum, vt de vita, fide, moribus, disciplina sacerdotum & de
 vniuersali Ecclesia iudicium ferat: & S. Gregorium & ve-
 teres Pontifices in cælo collocat: posteriores vituperati-
 one criminum & comparatione priorum insectatur; ta-
 men de doctrina vel fide nihil detrahit: nec potuit, cum
 eadem esset priorum & posteriorum fides & vna religio:
 nec primatum Papæ & rectionem vniuersalis Ecclesiæ
 recusat, quandiu vitæ merito & scientia antecellit Papa:
 alioquin non conuenire miser vir arbitratur vt inflatus
 superbia & nulla vel doctrinæ vel sanctitatis laude deco-
 ratus, dominetur alijs, qui maiorem sunt eruditionis &
 honestatis præstantiam consecuti.

An illa verò Lutherana? an Papistica esse videntur?
 & an Lutheranus Arnulphus Aurelianensis fuit? præser-
 tim cum etiam illa superiora, quæ per errorem effutiuit,
 in synodo statim sequenti refutare debuit, postquam Ar-
 nulphus Rhemensis deiecto rursus Gilberto, omnibus
 applaudentibus in dignitatem fuit gubernationemque
 repositus: vt ipse Flacius contra se ex Antonino, Aemy-
 lio & Annonio (*Centuria 10. fol. 575.*) testimonium recitat.
 Quæ omnia multò fient clariora, si Gilberti religio co-
 gnoscetur, cuius causam Arnulphus Aurelianēsis in con-
 cilio egit, & qui historiam concilij & verba Arnulphi, de
 quorum sensu contendimus, literis prodidit, & Arnul-
 phum maximis laudibus affecit. Atqui Pōtificia illa fuit:
 cum non Papista solùm Gilbertus, laudator Arnulphi &

istius sententiæ sed etiam quinquennio deinde Papa factus, & Sylvester secundus cognominatus esset. Quomodo igitur vocẽ exitiosam fidei suæ & ignominiosam Sedi Romanæ Gilbertus vel Gerbertus in Arnulpho tulisset & ad memoriam sempiternam retulisset in librum? contra se? contra fidem suam? Nugæ sunt & tricæ Lutheranorum: nõ ira sentiebant Arnulphus & Gerbertus: non vel Sedem Romanam, vel doctrinam, vel Ecclesiam, vt Antichristicam damnabant: vituperabant tantum Pontificum quorundam mores quãquam iniuriosè: Tamen erant optimi Papistę. Si verò testimonium vltimum Centuriatores de Arnulpho Aurelianensi compererunt: si litteram vnã in libris viderunt vel in antiquis Holãdicijs chartis notatam, vnde in minimo articulo Christianæ fidei contra Pontificem minima varietas eluceat: cur inepti viri in Centuria non meminerunt? cur non Pappę, si potestis, adhuc consignatis? triennium largiemur, vt excussis omnibus Holãdicijs & membranaceis libris conquiratis indicium vnum: in quo sit Arnulphum Aurelianensem deflexisse à Romanæ Ecclesiæ communi publicaque fide: & sensisse in capitibus vel ceremonijs religionis contra Pontificem: nec tantum ad vitam respexisse sed etiam ad doctrinam, cum Antichristum Romanum Pontificem, non Gregorium Magnum, non Leones, non Gelasium, non Innocentium, quos infinitis laudibus cumulat sed posteriores: non omnes sed quosdam propter fastum & dominandi libidinem vocat. Verum id perficetis nunquam: & erit in sempiternam æternitatem Arnulphus in fidei testatione Christianus Romanus Catholicus purus: & temerarius accusator Papæ, non in fide sed in moribus: & cum quosdam Papas Antichristos nuncupat, non tum spectator Antichristi illius de quo S. Paulus tanquam de singulari homine loquitur, sed Antichristorum, quorũ in exteriori vita culpa versatur & quos multos esse S. Ioannes (1. Epistol. 2.) commonuit.

In se-

In secundo testimonio & fictitia Epistola, quam de sua architectura sumptam Auentinus accommodauit Episcopis, nunquam dicitur Antichristus Papa vt mentitur Flacius (*fol. 552. Cent. 9.*) sed latro, Tyrannus, Lupus, Iupiter, dominus dominorum, fucus, Babylonix Episcopus; quibus titulis Lutheranus miser Auentinus de muco cerebri sui cōspargere vult Papam Romanum: Non quòd negemus fuisse multis maledictis & probris vexatum Nicolaum Papam ab Episcopis, cum Rhegino blasphemias in Pontificem effusas recordetur: sed quòd ista Epistola, istis verbis, non sit Episcoporum.

Tamen rursus sit eorum, quibus inscribitur: non repetam egisse pessimam causam Episcopos & iniuste notasse Pontificem ignominia, Patronos adulterij & distractores honestè facti matrimonij, & subornatores falsorum testium & leues homines: quorum societatem Lutheranis non inuidemus: sed illud hoc loco dicam: Episcopos Lutheranorum defensores in vniuersa ista similitate, quandiu protracta fuit altercatio, nullam vocem misisse & nullum verbum cōtra doctrinam Catholicam nostram: mansisse Papistas in odio, in iurgio, in controuersia vsque ad mortem: quod & Rhegino vetus scriptor & Contractus magni viri senserunt: cum Thiergaudum deterritū fulmine Papæ abstinuisse ab vsu officij, & Guntherum progrediētem in obstinatione semper fecisse sacrum: tamen tandem pœnitentia ductum, Romam iter fecisse ad placandum Papam scribunt: Quæ omnia tum confirmat in Centurijs inutilis Flacius, (*fol. 340 & 553.*) tum dilatat, cum addit in templo interfectos esse in Italia. Nihil igitur subleuātur Lutherani accessione duorum Episcoporum: qui Pontificis personam in ferenda iniusta sententia qualis illis videbatur, vituperarunt: sed in fide, quod quidem cōiectura capi vel sensu animaduerti queat, nihil mutarunt: inheferunt in illa religione quam sequebatur Pontifex, & colebat tum sine dissensione orbis

terrarum omnium. Si enim in re vna vacillassent, si leuissimi erroris maculam hærere in Pontifice contra veram Christi fidem putassent: sine dubio in ista operosa criminum conquisitione ad grauandum magis Pontificem & ad causam ornandã suam non prætermisissent: & secum coniunxissent Lotharium. Sed nec illi mentionem erroris faciunt, nec Rex Lotharius istius rei significationem vllam dedit: magis se Papistam & cum Pontifice eiusdem fidei asseclam declarauit: primùm cum mortuum Nicolaum Papam honestissimo elogio apud Rheginonem Anno 868 afficit: & benignum Patrem beatęque re-
 » cordationis dominum vocat: qui ab hac lacrymarum
 » valle vocante Christo discesserit, cum Sanctis (vt credit)
 » inastimabiliter coronãdus: de quo meritò omnis Chri-
 » stiana religio vt de tanto Pontifice doleat: & omnis Ec-
 » clesiasticus ordo de prudentissimo Papa ingemiscat: sic
 » enim scribit Lotharius. Deinde cum se vehementer ap-
 » petere demonstrat cõspectum & mellifluam benedicti-
 » onem Hadriani Papæ, cuius Pontificatus apicem Deus
 » omnipotens in S. Sede sublimauerit: & à quo pro filio
 » haberi desideret. Tertiò cum (*Anno 869 apud eundem*) ad
 » confessionem S. Petri cum Papa accedens, sacro, in quo
 » hostiam salutarem Pontifex in altari immolabat Deo,
 » comitatus magna suorum hominum manu interesset &
 » post Missam ex manu Pontificis Sacramentũ salutis eter-
 » næ sumeret. Papistæ igitur & Lotharius vsque ad extre-
 » mum vitæ tempus (paulò enim postea Deo perfidiã Re-
 » gis vlciscente expirauit) & duo Episcopi fuerunt: obtre-
 » ctatores Papæ in neglecta (sicut calumniabantur) iusti-
 » tia: sed constantissimi filij eius in fide nostra Catholica.

Eberhardus Salisburgensis tertius appositus sed personatus testis, Antichristum & quidem perditum illum hominem in cuius fronte nomen contumaciæ scriptum sit, enunciat esse Pontificẽ. Sed fabula est Auentini: transcripta Eberhardo: & tametsi Eberhardi esset: tamen ne
 sic qui-

sic quidem in toto cursu Epistolæ doctrinam vel fidem Pontificis inculcat: solum vitia, ambitionem, dominandi cupiditatem, bellorum suscitationem, luxum, inuidiam, opum & honorum famem damnat: religionem transit silentio: in qua si quid peccasset Pontifex, næ id vel verus vel fictus Eberhardus ad augendum odium & ad magis deformandum Papam arripuisset, vt in quo magna pars victoriæ consistebat. Sed nihil habuit quod ibi careret: nec vel tum vel postea quandiu vixit in dissimilitudine vlla cum Pontifice colebat religionem: Papista erat & exstructor atque locupletator monasteriorum: veneratus reliquias: & celebrans Missas: & credēs omnia quæ Papa Romanus credi iussit. Triumphum rursus vobis decerno: si vel ab isto Eberhardo, vel de vlllo Germaniæ loco istius temporis sententiam vnam produces in qua publicè varietas religionis inter Pontificem & reliquos Episcopos apparuerit.

Sic Fridericus II Cæsar testis quartus, de cuius tamen temeritate in loquendo & suspicione impietatis ex Sarcenorum interiori familiaritate & crudelitate in Sacerdotes querimoniæ multæ relictæ sunt, palàm nihil credit vel coluit, quod Romæ in religione non eodem modo exerceretur: & mortuo Gregorio nono, quem hostiliter oderat, cum post sublatum Cælestinum Innocentius quartus renunciatus esset Summus Pontifex, gratulatus est nouo Pontifici, patri suo, dignitatem, & ad honorem Ecclesiæ fauorem omnimodū (quibus verbis vtitur) Ecclesiasticæ libertatis, quantum cum Deo, saluis iure & honore Imperij & suorum regnorum, possit, prolixè benignissimeque pollicetur (*Anno 1243*) & deinde etiam excommunicatus à Papa, perstitit in externa professione Catholicæ Romanæ religionis sine vlla vel rituum vel doctrine mutatione, quousque veneno Anno 1250 quod spurius Manfredus curasse traditur, mortem obiret.

Ludouicus verò Cæsar, contradictor quintus, quam

quam Ioannem Papam hostem nactus, nihil iurgiorum reliquum faciebat, & præter morū criminationem (sed per iniuriam) hæreseos ignominiam Papæ imponebat: tamen nec hæresis illa, cuius suspensionem innocēti Pontifici suscitauerat Occamensis, ad nos controuersiasque nostras pertinet: nec Cæsari Ludouico in mentem vnquam venit, vel nouare vel tollere literam vnā in religione Catholica & in sacris fidei nostræ: nec doctrinam vel personam vel officium sed mores Pontificis Ioannis **xxii** fastidiebat: nec constanter asseuerabat esse Antichristum sed præcursorem esse sinebat (*fol. 767.*) & cū Antichristū vel Imperator vel Occamensis nominarent, (*Auent. fol. 786.*) tantū ad insolentiam & superbiam respiciebant, quam dicebant esse notam Antichristi: nec Cæsar de mysterijs fidei, sed de aūthoritate Imperij homo Germanus & tuendæ summæ potestatis cupidus disceptabat: tamen in ipsa odiorum & iurgiorum contentione Papisticum Christi sacrificium & preces ad Sanctos & Purgatoriū, & satisfactionem, & oblationes pro mortuis & ea omnia que stulti Lutherani animales homines, & imperiti rerum diuinarum tāquam Idololatrias & superstitiones execrantur, in oculis & delicijs habebat & in his viam ad cælum consecrabatur: Diuum Franciscum, veritatis diuinæ præconē, paupertatis Christi antesignanum (*Anno 1304.*) in literis apud Latinum Auentinum (Germanicus enim corruptior est) & eius ordinem laudat, & amore singulari amat Franciscanos: ædificat monasteria quinque, & imaginibus reliquijsque Sanctorum complet, impositis monachis & sanctimonialibus: vbi pro se maioribusque suis factitari sacra & effundi preces iubet: ipse mortuus ceremonijs omnibus Christianis quas vos Papisticas nominatis, & effertur & humatur: & Papista maximus in fide vsque ad spiritum vltimum permansit.

De D. Bernhardo quem sexto loco contradixisse nobis fin-

bis fingitis, consputandam magis an refutandam verbis imprudentiam vestram existimem, non video. Sanctissimus vir religioni Catholicae nostrae contradixit nunquam: sensit & credidit nobiscum omnia similiter: nec viuis tantum fidem nostram sine vnus verbi varietate coluit: sed mortuus per triumphum in caelum inuexit. Mendacium vestrum est, respuisse in morbo, factum aduersarium vitae monasticae: scelus & flagitium vestrum est qui contra vos pudoremque vestrum, factum a vobis patronum sectae in caelo collocatis, & rursus cum libet, tanquam Antichristum vel huius impudens os damnatis & pedibus proteritis S. Bernhardum. Sed ista tum prius diximus: tum in confessione S. Bernhadi quae cum hac Epistola, ut spero, lucem publicam aspiciet, ante omnium oculos in aperto maximoque lumine constituemus. Reprehendit ille luxum & intermissionem pietatis atque disciplinae in Clero: & ipsum Pontificem ad despiciendam superbiam & ad terendam humilitatis a Christo signatam & relictam viam cohortatione duxit, & grauitate retinuit: non quod Primatum & rectionem Ecclesiarum adimeret Pontifici: sed quod nollet abutentem potestate, discedere a religione officij sui & a recto in caelum itinere: quae omnia Hunnius, miser Hunnius mutilat: transponit: corrumpit: ut furtiua & adulterina effigie S. Viri ciues suos in turpi errore distineat. Nunquam Antichristum Papam legitimum S. vir vocat: nec id nominis ad sacerdotes traducit, nisi in isto sensu quem supra diximus. Noluit ut Pontifex pro libidine sua dominaretur Ecclesiae: nec ut premeret oues sed ut pasceret: domaret vero Lupos: nec putauit posse superbam dominationem consistere cum Apostolatu (*cap. 6. lib. 2. de consideratione.*) nec concessit Papam esse summum absolute sed summum inter ministros & summum Pontificem: vbi semper de dominatione quae sine humilitate arroganter exercetur, non de officio loquitur quod fidelis seruus constitutus super familiam Domini

mini subit cum sollicitudine in prouidendo, procurando,
 consulendo, seruando & omnino in dispensanda œconomia Domini: vt seipsum explicat (*lib. 3. cap. 1.*) Nam
 alioquin (*lib. 2. cap. 8.*) quomodo Eugenium Pontificem
 » compellat? quàm honestè? quanta dignitate? Tu, inquit,
 » sacerdos magnus es, summus Pontifex. Tu princeps Epi-
 » scoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gu-
 » bernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchise-
 » dech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Sa-
 » muël, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui cla-
 » ues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cæ-
 » li ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosus,
 » quantò & differentius vtrunque præ cæteris nomen hæ-
 » reditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singu-
 » los, tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, sed
 » & pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde id probem
 » quaris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episco-
 » porum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & indiscre-
 » tè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues
 » meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regio-
 » nis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum,
 » non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil exci-
 » pitur vbi distinguitur nihil. Inde est quòd alij singuli sin-
 » gulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique
 » Iacobus qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus
 » est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedēs. Ergo iuxta
 » canones tuos alij in partem sollicitudinis, tu in plenu-
 » dinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis ar-
 » ctatur limitibus, tua extēditur & in ipsos qui potestatem
 » super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Epi-
 » scopo cælum claudere, tu ipsum ab episcopatu depone-
 » re, etiam tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum
 » priuilegiū tuum tibi tam in datis clauibus, quàm in ou-
 » bus commendatis.

Nec satis est armasse Pontificem potestate spiritali;
 permit-

permittit simul seculi & mundi gubernationem: vbi ait. Accipe aliud quod nihilo minus prærogatiuam confirmat tibi. Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodque iucundius erat, in corpore rediuiuo. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, alijs nauigio peruenientibus. Quid istud? Nempe signum singularis pontificij Petri, per quod non nauem vnã, vt cæteri quique suam, sed seculum ipsum suscepit gubernandum. Mare enim seculum est: naues, Ecclesiæ. Inde est quod altera vice instar Domini gradens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aqua multæ, populi multi. Ita cum quisque cæterorum habeat suam, tibi vna cõmissa est grandissima nauis, facta ex omnibus, ipsa vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa. &c. quod vtrūque reperit eiusdem voluminis lib. 4. cap. 3. cum inquit: Quid tu denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret: & is, dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hîc: non respondisset Dominus, Satis est: sed, nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris. &c. & adhuc clariùs in epistola ad Mediolanenses 131: Sed dicit aliquis: (inquit) Debitam Romano Pape exhibebo reuerentiam, & nihil amplius. Esto. Fac quod dicis: quia si exhibeas debitam, (exhibebis) & omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super vniuersas orbis Ecclesias, singulari prærogatiua Apostolica Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si

» vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus vbi haete-
 » nus non fuerunt. Potest eos qui sunt, alios deprimere,
 » alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Epi-
 » scopis creare Archiepiscopos liceat: & econuerso, si ne-
 » cesse visum fuerit. Potest à finibus terræ sublimes quas-
 » cunque personas ecclesiasticas euocare, & cogere ad su-
 » am præsentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire
 » videbit. Porrò in promptu est ei omnem vlcisci inobe-
 » dientiam, si quis fortè reluctari conatus fuerit. &c.

Similiter concludit librum quartum de Considerat.
 » S. Bernhardus: Vultus (ait) tuus super facientes mala. Ti-
 » meat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gla-
 » dium non formidat. Timeat orationem, qui admonitio-
 » nem contempnit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non
 » hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum
 » & contra se paucat.

Nihil igitur in Sede, nihil in officio, nihil in suprema
 potestate, nihil in fide increpabat S. Bernhardus: auri &
 argenti possessionem (*lib. 2. de Considerat. cap. 6.*) & purpu-
 ræ auriq̄ue fulgorem in vestitu indulgebat (*lib. 4. cap. 3.*)
 & gladij externi adiumentum & ex nutu Pontificis vsu
 (*ibidem*) confirmabat: religionem nunquam attingebat:
 volebat tantum vt Pontifex mundo & mundanis rebus
 vteretur, tanquam non vtens: (*lib. 2. cap. 6.*) & sanctitatis
 curæque pastoralis maiorem haberet respectum quam
 honoris: neque horreret curam pastorem: nec erube-
 sceret Euangeliū: nec intus se anteponeret reliquis fra-
 tribus superba elatione & altitudine animi. Talis verò
 & tam magnificus laudator sedis S. Petri & præco prima-
 tus vniuersalisque gubernationis, & vt dicam breuiter,
 totus Papista asperrimus in sacris & articulis & ceremo-
 nijs omnibus, an aliquis Lutheranus audebit, vel vt assen-
 sorem sectæ suæ, coniungere secum, vel vt contradicto-
 rem opponere nobis? cum nihil præter abusionem offi-
 ciorum & luxum atque mollitiem, non in religione sed
 in per-

in personis culpauerit? nec cōtradixerit sed vt benignus pater obiurgauerit? non doctrinam sed mores? de quibus cum Lutheranis non litigamus.

Iam septimus à Lutheranis productus & octauus accusator, quanti extiterunt, quàm deuoti Papistæ? Petrarcha quantum cultum D. Virgini, quàm exquisitis implorationibus, quanta religione tribuit? quomodo quosdam quibus laudibus extulit Pontifices? ipse tandem in solitudine consenscens Christianus pontificius? Sic Mantuanus quid de articulis omnibus fidei, sacrificio Missæ, Purgatorio, inuocationibus Sanctorum & alijs: quid de pura cōceptione B. Virginis: quid de æde Lauretana senserit, an cuiquam vestrum obscurum est? An de versibus illius non meministis votum, quod fecit D. Virgini: vbi inter cætera canit.

Erue me tantis igitur Regina periclis,

Et laceræ sparsas collige nauis opes.

Mox vt liber ero, Lauretia templa reuisam,

Et tibi de nostro carmine munus erit.

quod templum Lauretanum tanti fecit, vt omnibus sub cælo religiosis locis anteferet, & exhortaretur Catholicos omnes Christianos ad illam frequenter inuisendam ædem. Verba authoris apponemus: vt cuiusmodi Lutheranus fuerit, apertè liqueat. Omnes (inquit) Christi fideles & verè Catholicos exhortamur, vt salutis suæ memores & diuinæ clementiæ non ingrati, quæ vnquam nobis patrocinari non desinit, hoc Virginis Mariæ domicilium (Lauretum) Christi habitaculum, Spiritus sancti thalamum, gratiarum thesaurum, diuinæ pietatis æternum monumentum, miserorum commune præsidium, summa religione, summa pietate adeant, honorent, venerentur & colant: & Deo immortalis gratias ingentes agant, qui tale seruauit in terris pro humana imbecillitate confugium.

Deinde dixerint illi duo aliquid liberius: vituperaverint mores Romanæ curiæ: falsa quædam in rerum gestarum cōmentitijs narrationibus amplexi sint, nimium creduli: Tamen ea omnia quid ad Lutheranismum? Vel igitur inhonesti scurræ erunt Lutherani vel rudes asini, quousque vel de confusione Augustana sua articulum vnum ostendant, quem isti contradictores consensione fideque sua susceperint; Vel docebunt Lutheranum esse, qui nullam partem, nullam literam opinionis Lutheranae in capitibus fidei comprobant.

Eadem tandem ratio Iurisconsultorum est, Alberici de Rosate & Ferrariensis Petri: quos synceros Catholicos in confitenda fide fuisse putamus. Nihil enim controuersum faciunt in religionis vniuersa comprehensione quàm an Papa iure in externis dominetur, & an non nimium creuerit illius potestas: sicut fatetur in Catalogo impudentiæ Flacius, quia tantum in hoc capite studium & occupatio illorum versaretur, ideo longius non progressos ad ista sub considerationem suam subiicienda, quæ religionem propius attingunt. Id igitur toties mentienti Flacio semel credamus & pro Papistis in fidei communitate sine hæsitatione agnoscamus cōtractores Iuristas, quanquam maleolos calumniatores Ecclesiastici regni & obtrectatores Papæ; simulque in vniuersum concludamus, quod probandum proposuimus, contradictores omnes, Episcopos, Reges, Cæsares, Poetas, Iurisconsultos, fuisse Catholicos, socios nostros in fide & hostes Lutheranorum: qui totam fidem Romanam intelligentia & exemplo contestati, in nulla re à nobis disenserint.

An verò credibile est eos, qui in fide Papæ duxerunt vitam & subiuerunt mortem, cum Papam Antichristum nominarēt, iecisse vocem illam in Papæ Ecclesiam & doctrinam? & non magis emisisse in personam & errata vitæ? cum nihilo secius doctrinam Papisticam non mutarent?

rent? adhærescerent ad Papæ Ecclesiam illam Antichristicam & viui & morituri, tãquam ad saxum & tanquam ad portum salutis? Ecquis enim tam perditus & desperatus est, qui fidem Antichristi, quam ipse damnauerit, sciens & lubens tum ipse retineat, tum transmittat ad liberos? & se familiamque totam de industria exspoliet hæreditate cælestis sanctimonix? ad cuius aditum scit in fide Antichristi non patere viam? Et an si faciat, existimabitur honestus esse ciuis? Mendacium igitur est falsissimum, contradictorem aliquem eorum qui in religione Papistica vixerunt & mortui sunt, potuisse impietatis damnare & Antichristianam profiteri, religionem fidemque suam: nec tamen ab ea fecisse discessionem vel sustulisse quæ Antichristica videbantur: Aut si verum est; & tam profligati & flagitiosi hostes honestatis & conscientiarum & animarum fuerunt contradictores, cur à sceleris & impijs hominibus, qui Deum, qui conscientias, qui æternam salutem, qui publicam honestatem despexerunt, vos Lutherani quæritis patrocinium? cur eos in clamatis contra nos? cur tanta contentione? Aut senserunt Antichristi doctrinam esse fidem publicam Papæ & Ecclesiæ Catholicæ: & tum quia non refugerunt sed impietatem continuarunt, honesti viri non erant, nec nos vobis istis sceleribus astrictos testes inuidebimus: Aut tantum in vitam & mores Pontificum fuerunt cõtumeliosi: ad doctrinam, cum conuitia faciebant, nunquam spectarunt. Id verò quid valebit vel ad confirmandã sectam vestram, vel ad infirmandam religionem nostram? Si enim præter externam disciplinam & abusionem acceptæ à Deo dignitatis nihil vocauerunt in crimen: aut si etiam in Ioanne XXI id solum tanquam hæreticum vituperatum fuit quòd animas abiunctas à corporibus ante extremum iudicium non sisti ante cõspectum Dei ad fründam beatitudinem existimaret: tamen si nihil aliud probro dari, & increpari potuit; cætera igitur omnia & vniuersam

Catho-

Catholicæ religionis summam reliquerunt integra: & damnauerunt nobiscum contra vos sectam colluuiemque uestram: & estis absurdè inepti quòd vitia morum transfertis ad fidem & eos qui mores nostrorū notarunt; laudauerunt verò fidem, inuocatis patronos: cū non de moribus, sed de doctrina: nec de ijs quibus viuendi ratio apud nostros non placuit, sed de his qui fidem nostram execrati & secuti opiniones uestras ante Lutherū sunt, comparata inter nos & constituta sit controuersia. Illi verò omnes, quos testes contradictionis delegistis, fuerunt in fide Papisæ, detestati absurditatem uestram cū vitam retinerent: & adhuc in omnibus in mūdo relictis factis & notis clamant, non velle societate Lutheranorum contineri: velle magis mortuos, quod fecerunt viui, sociari cum Catholicis, & pro his contra nouitatem Lutheranorum dicere antiquitatis veritatisque sue testimonium. Non igitur de moribus vel nostris vel progenitorum nostrorum: nec singulariter tantū de externa Papæ in Cæsarem & Imperium dominatione vobiscum pugnamus: nec mores religionem mutant: nec qui Papæ reprimendam & angustius includendam esse potentiam senserunt, articulum vnum religionis uestrę probarunt: Nec error Ioannis XXI heresis tum fuit cū Ecclesia nihil, quid de eo credendū esset, præiudicasset: nec contra Ecclesiam defenderetur: Aut si ista ætate fuit hæresis: & illa res vna, fecit hereticū Papam Ioannem XXI: Quid accidet Luthero Propheta sancto uestro? qui aperte & palam (*Tom. Lat. Ienens. 3. fol. 271 & 272. in cap. 9. Ecclesiastæ*) Anno 1532 post natam & bis coctam Confusionem Augustanam ausus fuit comminisci locum, in quo animæ omnium hominum tanquam in sepulchro vsque ad resurrectionem extremam iaceāt oppressæ somno & nihil prorsus sentientes: sic vt aliquando excitatæ vix momentum se dormiuisse, sint existimaturæ: quod idem in explicatione Euangelij de Diuire & Lazaro scripsit Anno 1522:

no 1522: & repetiuit in Postilla quoties recuderetur vsque ad Annum 1544. Inde verò si Papa Ioannes factus est hæreticus, cur nõ eodem modo & multò magis, scurra vester Lutherus? Dic, Pappè, si potes causam: incute ipse tibi stimulum & conquire rationem, cur non valeat in persona Lutheri, quod vobis in Ioanne xxii non solum ad inurendam notam hæreseos videtur sed etiam ad euertendam veritatem totius religionis nostræ habere pondus maximum? Si propter istam vnam sententiã hæreticus fuit Ioannes Papa: hæreticus igitur ex vestra conclusione Lutherus erit: insimulatus & conuictus à vobis, à sectatoribus, à mancipijs, à discipulis suis: nisi fortassis Caluini hostis tui doctrinæque tuæ mendacium antepones veritati: quod ex cerebro suo sine teste, sine libro, sine charta, de Ioanne xxii excogitauit: quasi putasset Papa, mortales esse animas: quod nunquam fecit: nõquam censuit: finxit Caluinus de Ioãne temerè sine causa: cum posset multò rectiùs narrare de Luthero qui sententiam qua anima immortalis esse creditur, dicit esse fidem Papipticam, natam in Romano sterquilinio Decretorum: (*Tom. 2. Lat. Ienensi fol. 307. in art. 27. assertionis contra Leonem Papam.*) Mentitur igitur Caluinus: & hæresis illa Ioannis xxii non fuit: est Lutheri: & Lutherus est vestro argumento hæreticus, non tantum ridèda immortalitate animæ, sed abstrahendis animis tum à cælo tum ab inferno: Responde Pappè, & caue ne cum respondebis transilias Lutheranum animarum somnum.

Sed redeamus ad cõtradiçtores. Fidem igitur illi nostram laudarunt & in ea perfugium salutis æternæ & possessionem cæli reposuerunt: vituperarunt verò mores Pontificum & Cleri: & vituperauit S. Bernhardus vir Papipticissimus. Quid verò sequitur? A sinos esse qui sic ratiocinantur & ex insectatione morum putant culpam religionem: & vt vestimentum vetustatis induant secte, arripunt ex triuio ad patrocinium hostes à quibus tota Lu-

theri fœditas cùm viuerent, reiecta, & laudata professione & exemplo fides nostra fuit: & verum de se esse non permittunt, quod inferunt de alijs. Nam vt ab initio dixi, si religio nostra falsa sit ex vitæ corruptela, cur vestra nõ erit falsa, in qua Lutheri, Brentij, Musculi & omnium iudicio plus peccatur in factis externis & in viuendi ratione quàm peccatum vnquam sub Papatu fuit? Vide Lutherum qui non solùm de plebe (*in Postilla domestica Ienæ Anno 65. publicata fol. 5. & 9. & Tom. 4. Germ. fol. 392. b. & Tom. 7. Germ. fol. 433. & 434. & 4. Latin. fol. 161. & passim*) sed etiam de ipsis Doctõribus & columnis Ecclesiæ Lutheranæ conqueritur (*loco proximo*) & vitam discriminandam à doctrina (*fol. 158. & 159.*) multis verbis monet; & tametsi vestri racerent, tamen an putas nulla extare non nobis tantùm nota sed per totam Germaniã peruagata, adulteriorum, homicidiorum, magicarum artium, seditionum in Prædicatoribus, & in Superintendentibus vestris exempla? partim impunita relicta à vobis? partim vindicata extremis supplicijs? An igitur falsa Lutheri est religio? falsa quidem: sed an propter istam causam falsa est? Et an idcirco falsa esse à vobis conceditur? Eadem enim est vtrunque consequendi necessitas: vt vel religioni nostræ vita clericorum nihil detrahat, vel apud vos similiter ex impuritate vitæ falsitas doctrinæ cõcludatur. Sed quid posset cogitari absurdius quàm pro vitæ ratione synceram esse vel corruptam religionem? & ascendere mores ad vitiandam fidem? sic enim vna & eadem religio vera esset & falsa: vera, cùm sanctã vitam: falsa, cùm impuram viuunt sacerdotes: Pudeat igitur tam inconcinnam & à communi sensu mortalium omnium abhorrentem absurditatem pro vestro ornando ludo fingere: quæ & mater fatuitatum omnium est & simul nouitatem vestram non sustinet sed extirpat funditus.

Sed, instabis, tamen Herbrando non esse dubiũ, quòd multi fuerint omnibus temporibus, gementes & dolentes su-

tes super cunctis abominationibus quæ fiebāt in Ecclesia. Nouum portētum ex Africa: nouum somnium. At primum quid ad Christum & eius Ecclesiam attinet: Herbrandus dubitet an insaniat: doleat an rideat. Deinde dubitet? An aliquid est causæ, cur dubitet? & cur fuisse tales lamentationes suspicetur? At vnde intellexit? quibus auribus? quibus oculis? ex quibus libris? quorum hominum dictatione? An nouus vates vidit in Beryllo? in extis auium? An fortassis cūm grunnitum porcorum in hara vel infantum suorū eiulationes, cūm cunas moueret senex, audiuit, tunc se gemitus veterū Catholicorum audire iudicauit? Tamen vnde dubitat? quibus indicijs? signis? coniecturis? Nam si sine vlla prorsus causa dubitat, quid nos mouebit illius tam infans deliratio? Rursus non frustra dubiter: & fuerint qui ingemiscerent. An igitur propter abominationes doctrinæ? an propter vitam Sacerdotum? An quia præuidebant futuram sub Lutheranis Ecclesiæ calamitatem? An ex inuidia? heresi? secta? opinione? somnio? cruciatu corporis? errore animi? furore? Et omnino cur ingemuerunt? Et vnde comperit habet Herbrandus? quo conspicio vidit? quo tubo? cuius aeris? cuius spiritus infusione suscepit?

Rursus auditi sint gemitus ab Herbrandō & intellexerit inde factum quod Papisticam nostram doctrinam abominationē esse putarent & ægrè molesteque terrent. Sit ita: An verò fuerunt Lutherani? conqueruntur de nostra Christi Ecclesia nō solūm Lutherani: sed tam antiqui hæretici, discipuli Arii, Samosatani, VViclephi, Hussij: tum Iudæi, Gentiles, Turcæ: & tandem Lutherani, & in puteo abyssi ex Lutheri incesto cōcubitu procreari Anabaptistæ, Cingliani, Schvvenckfeldici, Osiandristæ, Flaciani, David Georgiani, Libertini, Vietores Schlettadienses personati spiritus sancti, & cœtus totus locustarum quæ in terram emissæ, cum scorpionum potestate læserunt hætenus homines, in quorum frōribus signum

Dei non fuit in scriptum. Tot igitur & tam variè discissi sectarij: maiores & socij & liberi vestri, cum omnes doctrinam Ecclesiæ Christianæ infatuati à spiritu vertiginis detestentur: vnde perspicuum erit, gementes illos fuisse Lutheranos? cur non fuerunt Iudej, Turcæ, Saraceni, Ariani? Cur non Cingliani? Anabaptistæ? Libertini? Flaciani? Schyvenckfeldici? Quid enim si dicam fuisse Anabaptistas? quid si nihil istorum sed sectam adhuc latentem in abyſſo & clausam in repagulis inferni? quomodo refutabis?

Iterum gemitum fecerint & quidem pro secta Lutheri: nec tantum gemuerint: sed planxerint: eiulauerint: vociferauerint: fecerint quod fecit Arius, Nestorius, VViclephus, Lutherus; cōtradixerint publicè nobis. At quid rursus sequitur? Infantes esse Lutheranos. An enim omnes qui in errore versari existimantur, & quibus contradicuntur? & quorum causa etiam lamentis obruitur? An illi, inquam, propterea errant? & an aliorum gemitus & opinio religionem aliquam elidit? & vicissim an omnes gementes rectè sentiunt? inde verò quid fiet? quantus cumulabitur, quàm infinitus aceruus errorum? fatuitatum? contrariarum opinionum? primò quot gemitus? quot clamores? quot non solum pugnae verborum sed etiam conflictus armorum extiterunt contra Ecclesiam Christi? ab Arianis? Eutychianis? Nestorianis? Albigenſibus? diuersis hereticis innumeris? etiam Iudæis & Turcis & infidelibus? quid Christo accidit qui positus fuit in signum cui cōtradiceretur? quid vsu venit Petro? Paulo? Apostolis reliquis? An igitur Christus & Apostoli & Ecclesia Christi insimulabuntur falsitatis? & illi qui contra Christum & Ecclesiam gemitus, lamenta, clamores & manus sustulerunt, referent pro se victoriam veritatis. Deinde quia econtra Catholici Christiani semper & spirijs & libris & sermonibus & armis restiterunt Iudæis & infidelibus, & hereticis, An rursus Catholicorum

licorum

licorum causa iusta, reliquorum iniusta? & sic eadem religio & vera erit cum reliquis contradicit, & falsa cum impugnatur ab alijs?

Accedam propius. An Pappo, non credis esse multa millia Catholicorum qui vestras insolentias & foeditates & orbitates Ecclesiae Christi, & tot innocentes à vobis corruptas & ad sempiternam subeundam poenam in infernum praecipitatas animas, cum secum animis reputant, lacrymis & plangoribus gemant? de, lorent? lamententur? non clam tantum ad Deum sed publice in oculis & auribus hominum? Et quidem quotidie? Itaque si quod vos libidinosè concluditis, verum est; defensa iam satis contra vos erit religio doctrinaque nostra: & à nobis stabit veritas: in vobis falsitas & error recumbet.

Adhuc an per ullam impudentiam negari potest, contra vos haecenus dixisse non tantum Catholicam Christi publicam & perpetuam Ecclesiam sed etiam uniuersam colluionem Arianorum, Samosatensianorum, Anabaptistarum, Cinglianorum, Schvvenckfeldicorum? & quod plus est, etiam eorum, qui in secta Lutherana, cuius nomine & inuolucro gloriantur, se vobis tanquam puriores & similiores Lutheri anteposunt, Flacianorum, Anhaltinorum, Osiandristarum & aliorum? Quot Anabaptistae à vobis multati exilio & inclusi in carceribus & affecti supplicio, contra vos Tyrannidemque vestram ingemuerunt? quod libertate, quam non vobis veritas sed externa potentia peperit, vobiscum frui non possunt? quot Schvvenckfeldicorum, quot Flacianorum, quot Calvinistarum querimoniarum de acerbitate & de abominatione vestra, non inclusi in parietibus, sed relatae in libros & in annales sunt? Aut igitur ex isto indicio falsissima est secta vestra: vel stultissima est ex contradicentibus & ex gementium suspirijs ducta conclusio: & fatui estis cum istas insanias nobis obijcitis.

Sed satis dissipauimus fumos vestros. Ipse Herbrandus ni-

dus nihil causam suam istis figmentis fulciri testatur in
 Thesi 134: cum inquit, contradictores & suspiratores, in
 quibus non cum Lutero senserunt, in illis non sensisse
 cum scriptura & Apostolis. Atqui de contradictoribus
 probatum fuit, in nullo capite religionis controuerso
 conspirasse cum Lutero: sensisse omnia nobiscum con-
 tra Lutherum. De gementibus nihil omnino liquet in
 quo cum Lutero consenserint. Contradictores igitur
 & gementes de confessione Herbrandi in controuersijs
 omnibus crediderunt omnia contra scripturam & con-
 tra Apostolos: eo que ad Lutheranos non spectant: da-
 » mnantur magis ab Herbrando & dicuntur à Deo puniti
 » tenebris & confusione doctrinæ & cultuum: & ad eos re-
 » iecti, qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non rece-
 » perint, vt salui fierent. Tales verò, qui contra scripturam
 & Apostolos omnia credunt: qui tenebris & confusione
 doctrinæ à Deo implicati sunt: qui pereunt & salui non
 fiunt: quid nobis nocere possunt? vel si illi salutem ex
 Dei misericordia cõsecuti sunt, Cur nos qui omnia con-
 sentaneè credimus, non consequimur? An quia electi fu-
 erunt, nos non sumus? Id verò prorsus & Herbrando &
 Lutheranis incompertum est tanquam soli Deo notum.
 An fortassis quia in fine vitæ clam & furtim resipuerunt?
 sed illam delirationem iam patefecimus: & deinde cur
 idem non nobis concedunt? cur illi morientes illumi-
 nati sunt? nos isto eodem tempore non collustramur?
 cur illi sola fide ad Christum confugerunt? nos non con-
 fugimus? cum de illis nullum signum susceptæ solius fi-
 dei vel animaduersum ab astantibus vel inscriptum in me-
 moria cuiusquam libri sit? non magis quàm de vobis?
 Monstra, portenta, prodigia, somnia, mendacia, deliria
 sunt, Pape: quæ de cõtradictoribus & gementibus con-
 tra nos fingitis: in nos quidem coniecta sed in vobis infi-
 xa ad exitialem perniciem sectæ vestræ. Nobis enim non
 nocent: vobis non solum non profunt sed totum iugu-
 lum &

lum & omnes neruos societatis vestræ incidunt. Si enim omnia contra scripturam crediderunt: nos igitur quorum illi aduersarij fuerunt, & contradictores, ex aduerso credemus omnia cum scriptura: & vos in quorū illi sodalitatē cooptantur, secuti sociorum fidem nihil sentietis consentaneum scripturæ. Relinquitē igitur, Lutherani, pueriles nugas: missos facite contradictores: iubete vt gementes, quod Christus ad locum supplicij proficiscens respondit lamentantibus mulieribus, non super Christi Ecclesiam, sed super seipsos plorent & super filios suos.

Quod verò de Herbrandi & Hunnij quibusdam contradicentibus iudicauimus, idem de reliquis Hunnij & Flacij in futilitatis Catalogo sine ordine sparsis testibus censemus: de Rudolfo Linconiensis, Ioanne Carnotensi, Honorio, Urspergensis, Syluio Papa, fratre Nicolao Heluetio, Pico, Gersono, Hildegarda, Elisabetha, Cluniacense, Keyserbergio, Trithemio, Schafneburgēse, Probo Tullensi Patauino, Parisiensi, Mechtilda, Cufano, Smaragdo, Petro de Vineis, Platina, Sigisberto, Occamo, & de Cæsariis, Regibus, Ducibus, Episcopis, Abbatibus, Patribus & Canonistis omnibus qui nō apertè heretici & damnati ab Ecclesia fuerunt. Nomina Pape imitatus questionarium miserum Hunnium, quem de istis tibi commodum est, ex toto Catalogo, lucis & tenebrarum catena & cæli atque inferni colligatione: Ostendam statim, stans vno pede, fuisse Papistam maximum, damnatorem vestrum: præconem & assensorem religionis nostræ: cum cuius æterna beatitate vel damnatione, quod quidem ad fidem pertinet, necesse est nostram simul iugatam esse & connexam vel salutem vel perniciē: nec nos cum isti in cæli societatem recepti sunt, excludi possumus, confessores eiusdem fidei. Vel si illis cælum fide nostra abstrictis Deus aperuit, sine dubio pari misericordia æterno isto beatissimo hospicio suo nos accipiet: nisi fortassis eadem fides in

des in

des in se & sine vita & moribus considerata, simul tum
 damnabit, tum in celum extollet: quod Flacius Trunco-
 rum omnium stupidissimus & Herbrādus paulò circum-
 spectior & Exabbas Blayvbeurensis eorum mancipium
 & Hunnorum progenies, Hunnius existimare videntur:
 cū Pontifices, Papas Romanos posteriorum tempo-
 rum, S. Thomam, Scotum, Albertum Magnum, Alesium,
 Durandum, Panormitanū, Lombardum, Bernonem, Bo-
 nauenturam & alios primarios Papatus nostri Patronos,
 tantū quòd vel mores & abusiones increparent Sacer-
 dotum, vel in re vna minima semel aliquid vel consen-
 taneum externa specie furori vni Lutherano vel etiam
 vtrinq̄e communi consensione receptum eloqueren-
 tur, in ius & societatem cælestis ciuitatis recipiūt ineptis-
 simi & tum scripturæ tum virtutis eius ignari hæretici.
 Tamen tu nomina aliquem, Pappæ: nomina pro libidi-
 ne tua: vel potiùs secutus cōsiliū meum ne te in istam
 da viā: nihil enim proficies: Ne igitur sequere Herbran-
 di & Hunnij & Flacij & Exabbatis miseras: ne inde que-
 re subsidium vnde illi cū quærerēt, seipsos in contem-
 ptionem, sectam autem vestram in summum periculum
 & in discrimen totius causæ proiecerunt: confitere ma-
 gis nullum in contradicentibus vel in suspirantibus ho-
 stibus nostris cōstitutum vobis subsidium: & stultos esse
 qui tam pueriles & tam plenas periculi & rationis exper-
 tes ratiocinationes adhibent ad rem maximam, in qua
 rerum expetendarum omnium caput consistit, possessio
 beatæ & sempiternis gaudijs affluentis vitæ: Progredere
 tu magis ad Græcæ Ecclesiæ longinquitatem & amplitu-
 dinem, & ibi circūspice, num parari vestimentum ad
 induendam tegendamque nouitatem sodalitatē vestræ
 queat. Sicut enim ab initio Epistolæ meminimus, esse
 Lutheranos qui deserti ab omnibus Latinis Ecclesijs, con-
 fugiant ad Græcas, & per illarum factum cum Romana
 Ecclesia diuortiū cohonestare Lutheri defectionem co-
 gitent:

gigent: sic iam tertio loco de Ecclesia Græcorū agemus, dimissis contradicentibus & consopito gemitu mortuorum hominum, & vno cumulo reiectis somnijs turbulentis & inconsideratis nugis vestris.

CAPVT TERTIVM, DE ECCLESIA
GRÆCORVM.



Rimus autem in hoc capite paulò breuiore, de quo diu propter publicam Græcorum ad blandas vestras cauillationes respōsionem & adiunctam reiectionem sectæ vestræ actus ab Ecclesia Catholica triumphus fuit. Dissident à nobis veteres Patres Græci in nullo: recentiores verò in articulis sex; processione Spiritus sancti: vsurpatione in Cœna fermentati panis: medio consecrationis in Missa: primatu Romanæ Ecclesiæ: vsu veteris & ante Sacerdotium coniuncti matrimonij in clericis: exhibitione duarum specierum in Sacramento altaris: In reliquis omnibus sentiunt nobiscum.

Nam quod ad Purgatorium attinet, nunquam à Græcis vel priscis vel nouis fuit dubitatum esse purgatorium & locum, vbi animæ non satis in vita purgata, aliquandiu in pœna ad maiorem expiationem & ad sordes peccatorum eluendas post obitum distineantur. Tantùm de modo ambigebant Græci, & externum ignem esse non sinebant: Nec Ecclesia Romana quicquam hætenus de igne determinauit: corporeus an incorporeus sit, & quemadmodum vrantur animæ: ignem tamen ex S. Paulo nuncupandum censuit: nec etiam hodie de igne corporeo, cùm de Purgatorio loquimur, sed de loco inter cælum & infernum interiecto litigamus: sitne receptaculum, vbi quædam cælo destinata animæ, cùm ex corporibus excesserunt, aliquandiu retardentur dum pœnitentiam hîc in Christi fide & charitate inchoatam compleant & deter-

Bb

gant

gant inhærentes maculas. Id verò Græci perspicuè clarissimeque tum veteres tum recentiores omnes vno ore & calamo perenni que consensione nobiscum sentiunt: nec vel olim vel nunc tam rudes & illationum expertes sunt Græci, sicut sunt Lutherani, vt cum pro mortuis imperiendas eleemosynas, fundendas preces, facienda sacra, & cum animas inde subleuari credunt, negent esse Purgatorium vel locum intermedium vbi quædam animæ aliquandiu discruciatæ, recto deinde itinere vehantur in cælum. Ista Lutheranorum est hebetudo: qui in Apologia Latina, per quam obstruere rimas confusionis suæ voluerunt, palàm ter concedunt (*cap. de vocibus Missæ*) orandum esse pro mortuis, & preces tales non esse inutiles, & non patrocinari se Aërio: vt similiter Lutherus (*tum Anno 22. in Sermone de Diuite & Lazaro, tum tomo 2. Germa. fol. 453. & rursus in Postilla Ecclesiastica Anno 44. cum Crucigeri prologo Vitebergæ recusa*) orationes pro mortuis permittit: tantum ne nimium frequententur: quo tanquam tædio defatigari Deum scelestus scurra putat. Tamen, cum ista confitentur, tollunt Purgatorium: nec ex concessio antecedente necessarium consequens inferri patiuntur: cum si orationes pro illis, qui è vita discesserunt, fundendæ sunt & si vsus aliquem suppeditant, nec temerè ad Deum adhibentur, necesse sit interim eos nec in cælo nec in inferno includi: quibus duobus locis mortui vel non egent precibus vel minimè subleuantur: eo que rursus sine omni tergiuersatione stabiliatur Purgatorium, id est, locus animarum, vbi remotæ à cælo & inferno inter cruciamenta retardantur donec expiatis peccatorum pœnis, puræ nitidæque factæ, importentur in cælum. Aut enim eiusmodi ponendus locus, aut fatendum est sine vlla causa & adiumento orari temerè pro mortuis: & stultos esse Lutheranos qui cum iuari non posse præsentiant, tamen iubeant orare. Sed tam stolidi Græci non sunt: quia ratione vtuntur, & preces, eleemosynas, & Missas ad succurrendum

dum

dum mortuis necessarias existimant: cum priora concesserint, quod illis probatis consequens est, non negant: ne non homines sed orbatae ratione bestiae esse videantur. Itaque in Ferrariensi Concilio in prima statim congregatione quarto Iunii cum nihil vel dubitatum vel disceptatum esset, respondet statim Ephesinus Episcopus, Graecorum nomine: in omnibus quae Latini de Purgatorio disseruerant, assentiri Ecclesiam Graecam, exiguo intercedente discrimine: quod postea 14. Iunii Bessarion, quid esset, explicauit: nimirum totam in eo differentiam consistere, quod Graeci Purgatorium non ignem esse sed locum tenebrosum & plenum molestiae arbitrentur, ubi animae non illustratae diuino lumine per precēs & Missas sacerdotum & per eleemosynas expientur & à cruciatibus istius loci in libertatem caeli vendicentur. Sed multò apertius sub exitum Synodi istius Florentinae, haesitationem omnem sustulerunt Graeci, cum sine dissimulatione medias, id est eorum qui perfecte nec sancti nec improbi fuissent, confirmant proficisci in ignem purgatorium, donec purgatione habiles factae admittantur ad immediate fruendum aspectum Dei: quod idem in literas Unionis sic relatum fuit: animasque serio poenitentes, antequam pro commissis & intermissis per dignos poenitentiae fructus satisfacerent, è vita in dilectione Dei emigrarunt, poenis purgatorijs post mortem purgari, & tum ut à supplicijs eiusmodi leuationem recipiant, prodesse vehementer uiuentium fidelium suffragia & cum primis sancta sacrificia & preces & eleemosynas aliaque pietatis opera quae à fidelibus pro alijs fidelibus iuxta Ecclesiae praecipua praestari consueuerunt.

Esse igitur locum ubi animae post obitum per tormenta purgentur & maculas peccatorum iniustas animis deleant: veteres & recentiores Graeci aperte fatentur: nec in ista controuersia contra nos: multò uerò minus pro uobis sentiunt: ut tantum sex illa superiora, in quibus disce-

ptamus, sint residua: processio Spiritus sancti, vsus panis fermentati, modus consecrationis, primatus Papæ, matrimonium Sacerdotum, & duæ species in Cœna: in quibus omnibus tamen vel æquè vel multò magis à vobis dissentiunt: quod ordine patefaciemus.

Et quidem de processione Spiritus sancti & pane fermentato sic sententiam vestram aperuistis mittendis aliquot ad Constantinopolitanum Patriarcham & rursus mendicandis literis, vt non dubitemus, cordi vobis esse, quæ tum de Spiritus sancti processione tertio differuistis: & bis fermentatum panem rectè grauissimisque de causis vsurpari conclusistis: quâquam rursus vestra vt inconstantium hominum parum refert, azymus an fermentatus panis in vsum adhibeatur. In illis igitur duobus doctrinam nobiscum contra Græcos vestram coniungitis: nec ad nostratum, sed etiam ad vos illa dissensio sine discrimine pertinet: & consentimus communiter errare Græcos.

Quòd verò de verbis per quæ cõsecratio in Missa perficitur nobiscum altercantur Græci, id vos sectamque vestram non attinet: qui vt contra nostram, sic multò magis contra Græcorum sententiam dimicatis & rem vniuersam tollitis. Tantùm igitur posteriora tria supersunt in quibus Græci aliquid dicere consentaneum ad similitudinem sectæ vestræ videtur. Sed nec in illis per fugium ad se & receptum vobis vllum concedunt: & nobis tum propiores causa sunt, tum iunctiores cum omnibus circumstantijs.

Primatus enim Papæ tum à Græcis quibusdam non antiquis sed recentioribus in inficiatione ponitur: tum à vobis: sed dissimilimè. Græci enim omnes S. Petro Apostolo potestatem plenissimã & interminatam in omnes Ecclesias orbis terrarum quandiu vixit, relinquunt. Secundò primum sessionis & dignitatis locū Pontifici Romano inter omnes Episcopos & præsertim inter Patriarchas

chas quinque supremos libenter assignant. Tertio in omnes Occidentis Ecclesias imperium maximū sine controuersia Papæ Romano tribuunt, & Ecclesias omnes per Germaniam, Sueciam, Daniam, Angliā, Poloniam, Galliam, Italiam, Hispaniam, Bohemiā, & simul vos & confluxiones concionales vestras sub eius imperium & dominatum subiiciunt, & caput vestrum à Deo cōstitutum Pontificem, & ex ore illius tum Ecclesiarum administrationem suscipiendam, tum doctrinæ integritatem tanquam ex vberissimo fonte hauriendam esse censent: eoque vos quòd sine ductu Romani Papæ vel vnus ex quinque principibus Ecclesiæ in ista libidinosa dissolutione, per vim sine duce & capite vagari & errare vultis, iudicio calamoque suo cōdemnant. Quarto S. Petrum Romæ fuisse & ibi oppetiuisse mortem, & fuisse Papā Romanum & reliquisse posteriores Papas Romanos Episcopatus Romani successores, palàm confitentur: tantum contra antiquissimas primorum Conciliorum leges & sanctorum Patrum Græcorum asseuerationes ipsiusque Iustini-ani Imperatoris rescriptum (*C. de summa Trinitat. l. reddentes. & in nouell. constit. 9. ut etiam Eccle. Romana. & constit. 131.*) & contra Synodi Florentinæ iuratam pacificationem Græci non omnes sed quidam: nec omnium temporum sed tantum posteriorum: nec constanter sed mutabiliter & per dissimiles varietates Ecclesiam suam Constantinopolitanam subiunctam sub Romani Papæ Iurisdictionem esse negant, & quam authoritatem Romano Pontifici in Latinas Ecclesias largiuntur, Patriarchæ suo in Græcas ascribunt. Atqui nihil istorum vos creditis: sed vno furore monarchiam & dignitatem vniuersam Ecclesiæ in Petri persona & successionem conuellitis, & labefactatis gradus & ordines vniuersos, & principem Apostolorum & Romæ S. Petrum & Romanū Papam fuisse & affectum à Nerone supplicio & Papas qui post S. Petrum extiterūt perpetua iugari cum illo perenni que successionem & su-

premiū dignitatis sessionisque locum Romano Pontifici & imperium in Latinas Ecclesias deberi, contra Græcos & scripturam & omnium gentium & ætatum perspicuitatem rabiosè negatis: & minimū vociferatorem erroris & præconem delirij vestri adæquatis cum Papa vel anteponitis: sic vt tota Græcorum de primatu Papæ disputatio vos non attingat nec in societatem erroris recipiat: Sed detestetur octo in vno articulo stultitias vestras: & magis à vobis quàm à nobis abhorreat.

Sicut verò in primatu Papæ nihil vobis consentaneum Græci tradunt: sic in matrimonio Sacerdotum pugnant contra libidines vestras apertissimè. Tametsi enim (vt est folio vestræ impressionis 129 in primo ad vestros Patriarchæ respõso) futuris sacerdotibus qui in libidine continere se non possunt (*παρθενευσαν μὴ δυναμένοις*) veniam ducendi in matrimoniū vxorem, priusquam sacris ordinibus initientur, recentiores Græci tribuunt, & maritos prius factos à sacerdotio non depellunt: tamen factis sacerdotibus, cum promiserunt castitatem, licentiam matrimonij non largiuntur: ne quidem si millies vrantur & vsque ad animam ardeant: sed si per imbecillitatem peccent, castigationibus per pœnitentiam & alijs afflictionibus non ad nubendum sed ad lamentandum peccatum & ad refrenandam luxuriam & ad discendam continentiam puniūt: quemadmodum isto loco Patriarcha Græcè loquitur: Interpres enim Latinus turpiter & ridiculè corruptit.

Orientalis tamen vetus Ecclesia tota cum adhuc in deuotione & non in carnis petulãtia ferueret, vsum matrimonij ab officijs sacris prorsus alienū esse voluit: nec concessit vt mulierum cõsuetudine, quas antè duxissent, vterentur sacerdotes: multò minùs vt nouas in sacerdotio facerent nuptias. Sic enim Epiphanius lib. 2. Tom. 1. contra Catharorum hæresin 59 clarissimè testatur, cum
 „ inquit: Ecclesia Subdiaconum, Diaconum, Presbyterum
 & Epi-

& Episcopum viuentem & liberos adhuc procreantem, tametsi vnus vxoris virum, tamen non suscipit: sed cum qui ab vna abstinet vel factus viduus est: maximè vbi Canones Ecclesiastici accuratè seruātur. Sed contra me vrbis, accidere, vt in quibusdam locis adhuc progignant liberos Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi. Verùm id nõ fit secūdam Canones sed iuxta hominum paulatim languescentem rationem: & propter multitudinem clericorum quòd alioquin non inuenirentur, qui Ecclesiæ ministerium subirent. Ecclesia enim Dei Spiritu sancto rectè gubernata quia semper id, quod magis decorū est, spectat, laborat vt sine distractione sacrificia Deo offerantur, & spiritualia munera cum omni beneuolentissima conscientia expediātur. Quod eò intelligere debes, quia decet propter repentinò interuenientes liturgias & functiones vacare Deo Presbyterum & Diaconū & Episcopum. Si enim etiam Laicis S. Paulus mandauit, vt ad tempus vacarent orationi: quantò magis sacerdotio destinatis viris id ipsum imperat? Illud autem vt sine distractione sit, sic intelligo, vt interim secūdam Deum intentus sit sacerdotio quod spiritualibus officijs administrari debet. Ex quo Epiphaniij testimonio duo colliguntur: fuisse in antiquissimis Canonibus optima ratione & secundum scripturam sancitum, ne quis Episcopus, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus operam vxoriæ rei daret: deinde cū lex illa propter hominum licentiam paulatim apud Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos contra Canones & scripturam extabesceret, tamen in Episcopis vsum matrimonij nunquam fuisse toleratū: Quod idem repetit in conclusione libri in compendio Apostolicæ Catholicæque fidei, cū ait: Sacerdotium ex virginibus maximam partem: vel certè ex solitarijs: aut si illi ad ministerium non sufficiunt, tum ex his qui à proprijs vxoribus continuerunt, vel post primas nuptias in viduitate viuunt, deligi sacerdotes: **NEC LICERE IN ECCL**

CLESIA

» CLESIA CHRISTI vt digamo etiam continenti &
 » viduo facto mandetur sacerdotium vel officium Episco-
 » pi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi: sed Lectorum esse
 » conditionem aliam, qui sacerdotes non sint. &c. quem
 locum versor Lutheranus turpiter confudit. Sic igitur
 de Sacerdotum matrimonio sensit Epiphanius: & iniu-
 riam horribilem Centuriatores primùm: deinde lamen-
 tabilis eorum simius Exabbas Blavbeurenensis faciūt, cùm
 locum qui est in 61 vel 41 hæresi Apostolicorum, cōuer-
 runt ad connubia sacerdotum: tanquam si Epiphanius
 iuberet vt sacerdotes laxato continentiae voto potius in
 ipsa dignitate sacerdotis nubere quàm intus se flagitijs
 & stupris polluerent: quod Epiphanius nūquam somni-
 auit: & sacerdotes nullo verbo expressit: voluit tantùm
 pro istius seculi sententia: vt virgines monachi, sancti-
 moniales, & similes personæ post violatam virginitatem
 & continentiam facerent quidem nuptias: tamen simul
 per diuturnam pœnitentiam & afflictionem satis diu ca-
 stigatæ tandem reciperentur inter peccatores in Ecclesi-
 am ad participandam communionem: non ad obeun-
 dum sacerdotium.

Vt verò Epiphanius coniugium Sacerdotum vitupe-
 rauit: sic idem eodem modo ante Epiphaniū canon ter-
 tius vulgatus vel quartus Arabicus Niceni concilij ex-
 pressè prohibuit: & adhuc positum in suæ ætatis more &
 in vsu Orientis & Aegypti Apostolicæque Sedis, in tra-
 ctatu secundo contra Vigilantium confirmat S. Hiero-
 » nymus, vt alios non reciperēt clericos quàm qui vel vir-
 » gines essent, vel continentes, vel si vxores habuerant, de-
 » sisterēt esse mariti. Vt similiter Eusebius lib. 1. de demon-
 » strat. Euangel. cap. 9. conuenire scribit, vt qui sacriati sunt
 » & in Dei ministerio cultuque occupati, contineant se-
 » ipsos ab vxoris commercio & victum à re vxoria seiun-
 » ctum habeant, quò melioribus studijs vacent liberius.
 Nec aliter S. Chrysostomus in homilia 2. de patiētia Iobi
 de im-

de immoderatione suæ ætatis queritur, cum inquit: Vni-
 us vxoris virum esse Episcopum S. Paulus iussit: non ea
 ratione qua id nunc in Ecclesia obseruatur. Oportet enim
 omni profus castitate ornatum esse sacerdotem.

Illa igitur Orientalis Ecclesiæ in prisca vetustate, tum
 ante, tum post concilium Nicenum sententia & vita sa-
 cerdotum erat: à qua postea magis ac magis facti intem-
 perantiores deflexerunt: fortassis quòd narratio vel fa-
 bula de Paphnutio quæ à Sozomeno & Socrate interie-
 cta inter concilij Niceni res gestas fuit, luxuriosos cleri-
 cos, non quidem ad ducendas in sacerdotio vxores, quò
 nunquam Græcorum euagata libido fuit: sed ad vtendum
 antea coniunctis vxoribus redderet animosiores: nec la-
 borarent, verè an vitiosè Paphnutij tractatio ad Græco-
 rum annales arrepsisset: quæ certè cum Epiphanio & Hie-
 ronymo & Eusebio & canonibus concilij Niceni & Chry-
 sostomo non consistit: & tantum à duobus illis incon-
 sultis scriptoribus sine vllius antiquioris vel Concilij vel
 Patris assensu relata in apertum, contra tantos viros &
 testes sustinere se in mendacio non potest: præsertim quia
 Sozomeni historiam S. Gregorius (*lib. 6. Epist. 31.*) ab Apo-
 stolica Sede tanquam mendacem & hæreticam reiectam
 esse scribit: & Socratem multas alias fabulas interpone-
 re constat. Verum id huius loci non est. Quicquid enim
 vel de Paphnutij fermocinatione in concilio vel more
 Græcæ recentioris Ecclesiæ sentiendum erit: liquet nul-
 lam inde ad vos nouitatemque vestram accedere leuati-
 onem: cum Paphnutius nihil aliud permittat, nisi vt Sa-
 cerdotes cum mulieribus, quas ante sacros ordines vxo-
 res duxissent, commisceri in sacerdotio possint: non vt
 cogantur: sed vt in eorum ponatur arbitrio: Interim cla-
 met tenendam esse vetustam traditionem Ecclesiæ (*τὴν ἀρ-
 χαίαν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας*) ne cuiquam liceat in statu sa-
 cerdotij progredi ad nuptias: quæ si Anno 324, cum in
 Concilio sententiam suam diceret Paphnutius, antiqua

Cc

fuit

fuit Ecclesię traditio, quando latam istam legem & quàm
 vetustam iam esse putabimus? Sic hodie Græci eodē mo-
 do vsum antea contracti matrimonij, factis postea sacer-
 dotibus relinquunt: tamen nullo modo ferunt vt digami
 vel viduarum & corruptarum mariti transferantur
 ad sacerdotium: nec vt sacerdotes facti implicentur no-
 uis nuptijs, ne quidem si priores vxores de vita demigra-
 runt: nec vt sacerdotum vxores mortuis maritis rursus
 in matrimonio collocentur; nec vt monachus vel san-
 ctimonialis vnquam vlla ratione ius connubij habeat,
 quod extremum tanquam detestabile crimen execratur
 & supplicijs vindicant: in quibus omnibus à Lutherana
 licentia longissimè disiuncti, nihil suffragatur errori ve-
 stro: nec sine maxima inuerecūdia inuocari vt testes opi-
 nionis vestræ possunt: cū in ista re vna, decem peccata
 vestra & decem ab illis defectiones & turpitudines accu-
 sent grauissimè: quòd digamis, quòd viduarū, quòd non
 virginum, quòd trium & quatuor vxorum maritis curam
 Ecclesiasticorum munerum mandatis: quòd in statu Ec-
 clesiastico non semel sed aliquoties nubere: quòd viola-
 ri vota: quòd vxores in matrimonio habere monachis:
 quòd nubere sanctimonialibus: quòd sacerdotum vxoribus
 reperere nuptias permittitis: quòd in istis omnibus
 non tantū conuiuetis sed etiam cohortationibus & li-
 bris publicis & collocandis quotidianis exemplis penè
 cogitis: etiamsi intus incontinentiæ stimulum & ignem
 non sentiant & cū minimè peruruntur flammis: vt Lu-
 therus lasciuus monachus, propemodū omnibus libris
 & cum primis in epistola Anno 21 ad Philippum (*in La-
 tinis epistolis fol. 344.*) sacerdotes, tametsi non vrantur, tan-
 tū ad condecorādā nuptialem honestatem & ob so-
 lius Dei timorem ad matrimonium impellit: & idem se
 sine flamma facere testatur (*Tom. 3. Germa. fol. 140. & 151.*)
 cū intus accensus à Venere libidinosus hircus, sic arde-
 ret vt ante epulum nuptiale post primam statim sponsi-
 onem

onem (*ibidem fol. 150 & 151.*) cum Borna sua obscœnum corpus ante benedictionem sacerdotis publicam misceret: & in Sermone feriæ tertiæ post Inuocauit Anno 23 in concionali vesano clamore arrogans homo fugere de cœnobijs monachos & moniales omnes, & per totum orbem terrarum & gentium deleri monasteria voluit: & eodem Anno (*Tom. 2. Germ. fol. 90.*) plus causę esse cur monachis & sacerdotibus & sacris virginibus nuptiæ, quàm cur laicis duæ in venerabili Sacramento species permittantur, hostis pietatis & inflātor libidinum & author periuriorum, in mundi totius aspectu scribere non dubitat: quæ omnia quot verbis traduntur, tot globos flammeos ex faucibus inferni & rictu Diaboli erupisse crederent Græci si legerent. An igitur in matrimonio Sacerdotum adhuc inter vobis & Græcos est consentiens sententia? & an ad Græcorum Ecclesiam relictū est vobis contra nos per fugium? quę vestram in sacerdotum & monachorum matrimonijs luxuriam & nubendi libertatem & neglectionem votorum palàm condemnat? à nobis quanquam in re vna in vsu libero prius contracti matrimoniij differt, tamen nūquam asperius reprehendit consuetudinem nostram? nunquam hæresis vel probri loco obiecit: in Florentino Concilio ne quidem minima intentione attigit: imò si negotium attentè reputemus, ad nos qui maritos nullos recipimus, quæstio de vsu matrimoniij non pertinet?

Restat igitur terriò solus articulus sextus de duabus speciebus: in quo si vobiscum non conspirāt Græci, congruunt certè in re nullā in vniuersum. Atqui in eo Græci magis abeunt ad nos: absunt à vobis longissimè, & primùm ne quidem in significatione vocis conueniunt. Illi enim duas species rectè porrigi sentiunt, & species (*ἕδν*) vocant externas figuras in sensibus apparentes sine vllō subiecto & mutato etiam priori subiecto, quod sustinebat. Vos verò cū species nominatis, non id spectatis

quod intelligunt Græci, sed per species significatis res ipsas, quarum videntur species, id est, panem & vinum: quod omnes cōceditis, & tu præsertim in flebilibus scholijs quibus Apologiam aspersisti, clamas, cūm nomenclaturam specierum vsurpatis, isto sensu nō facere, in quem accipiunt Papistæ. Sed Græci & Latini vocabulo specierum vnam subijciunt notionem & in vnum prorsus modum intelligunt. Itaque vestræ species & Græcorū commune quidem nomen habent: sed res designant infinitè differentes: nec cūm illi de duabus speciebus loquuntur, ad res vestras duas, panem & vinum, sed ad rerum quæ aliquando fuerunt, respiciunt relicta sine subiecto & incurrentia in sensu accidentia. Nulla igitur in duabus speciebus Græcorum & in duabus substantijs vestris convenientia restat, nisi in solo externo sono & in numero: quòd vt vos res duas & subiecta cum accidentibus: sic illi species duas à subiectis secretas: vterque tamen sub communi dubia appellatione specierum exhibent: nisi quòd Græci constanter species nominant: vos timidè: quæ secunda est inter vos dissensio. Postea rursus species Græci in Missæ sacrificio consecratas & post panis (μεταβολήν, ἢ μεταποίησιν, quibus verbis Patriarcha in responso semper vtitur) veram mutationem relictas superstites & factas corpus & sanguinem Christi & tantūm in sacrificio Missæ & per manus sacerdotis, qui, vt ait Patriarcha, signatus canonicè & vocatus ab Episcopo & ordinibus initiatus sit, sub exitum Missæ laicis suis præbent: & vinum nunquam sine aqua vel consecrant vel communicant cum laicis: sæpe vnam speciem diu antè consecratam (προηγιασμένην) solam, præsertim in septimana sancta, & morituris præbent: & in speciebus extra vsum restare sanguinem & corpus Christi existimant. Res verò vestras corpus esse & sanguinem Christi non sinūt, tanquam ab initiato sacerdote non consecratas, sed pro prophano pane & vulgari vino habent: nec omnino in mensis & sodalitatibus vestris

stris corpus & sanguinem Christi agnoscut. Itaque in duabus speciebus conuenitis cum Græcis tantum in similitudine numeri & in strepitu vocis: discrepatis in nouem differentijs maximis: & cum primis in ipsius nominis notatione & in re, quæ nomine significatur: dum vicissim Græci nobiscum concordant in omnibus: in consecratione: transubstantiatione: sacrificio: vini dilutione: veri sacerdotis intercessione: porrigendis ad laicos non pane & vino sed corpore & sanguine Christi: stabilitate corporis & sanguinis in speciebus etiã extra vsum: usurpatione interdum vnius speciei: & summatim in constanti vocabuli & sono & sensu: tantum in numero specierum, quæ à sacerdote porrigendæ sunt, discriminantur à nobis: & interim de vna specie tanquam de absurda & aduersaria scripturæ consuetudine nunquã nobiscum litigant: nunquam inde nos damnant, vt nouem illa in vobis apertè damnant: nunquam hæreseos nobis notam inurunt: nunquam nobis vt Diaboli Synagogæ, sicut Herbrandus mentitur, reclamant: & in Florentino Concilio, cum se Ecclesiamque suam nobiscum iureiurando sociarent, nullum verbum de hac controuersia posuerunt: magis ipsa pacificatione declararunt, esse non magne considerationis differentiã: & stare Ecclesiæ perfectam conjunctionem cum isto posse contrario vnius vel duarum specierum vsum, cum ipsi interdum sint specie vna contenti. Qui igitur in duabus speciebus à vobis diuerticulis nouem: à nobis tantum vno distant: & qui vos varietatesque vestras in illa ipsa controuersia ab aditu cæli & communitate Ecclesiæ depellunt: in nobis verò perpetuam consuetudinem vnius speciei interdum quidem carpunt: nunquam tamen vt hereticam vel exitiosam conscientijs, vel reiectam in sacris literis asperius infectantur: an, qui sic sentiunt, viciniore vobis & magis à nobis esse remoti? & an stare vobiscum contra nos videri possunt? cum non magis pro duabus speciebus pugnent, quàm fecit olim

præfident & licenter errores fabricans, pars nigrae terræ, magister Lutheri & Luthero cōfidente (*Tom. Latino in præfatione*) magnum sectæ præsidium Philippus, cū isto eodem libro, quem Anno 1523 in lucem extrusum Lutherus gloriosus Scurra Anno 1525 (*Tom. 3. Lat. fol. 160.*) ecclesiastico canone dignum sensit, vsum duarum specierum inter res medias & in nostro arbitrio positas referret: & non peccare scriberet, qui sciens libertatis & credens, alterutra signi parte vtatur (*cap. de signis.*) Non enim tum Philippus Sacramenta agnoscebat, nec vocabulum probabat: sed magis signorū noua nuncupatione nouus hæreticus pascebatur. De Luthero enim quid dicam? qui non tantū laudando Philippi spūto sed etiam disertè necessitatem duarum specierum sustulit, & libertatem vtendi vna vel duabus vel neutra cōstituit, vt in re quam Christus necessariò non exigat, & de qua nihil scriptura definiuerit: sed voluerit esse liberum: nec Christus vllò mandato sanxerit: expresserit tantū facto verboque suo: sic enim loquitur, non solū cū ex Papatus implicatōibus nondum se euoluisset: vt Herbrandus delirat, vel vt nos solemus, cū eum totum furore & tenebris Diabolus nondum compleuisset; & cū adhuc an suscitatus à Deo & an Propheta esset (*Tom. 1. Germ. fol. 400 & 401 Anno 21.*) ipse hæsitaret: (*in Latinis epistolis fol. 344. b. & in captiuitate Babylonica & Tom. 1. Germ. fol. 201. & 211. & 219. Annis 19. & 20.*) verū etiam postea cū doctrinam suam esse purum Euangelium Dei atque Christi, & ex Deo & è cælo ductam & à Christo traditam, & omnis hæsitatiōis atque mutationis expertem & constanter veram nec sub vllius vel hominis vel Angeli iudicium subiectam & se Euangelistam esse seruūque Dei, (*Tom. 2. Germ. fol. 44. & 61. & 70. & 73. & 76. & 82. & 106. & 130. & 131. & 133.*) audacior factus insolentissimè gloriaretur. Tum enim cū ista de se prædicaret, eodem anno, eodem libro, cū perfusus Spiritus sancti splendore & præco Cælestis & ex Dei gre-

mio

mio tractæ doctrinæ videri vellet: cùm Biblia non solum legendo percurrisset, sed cõuertisset in linguam Germanicam, & tractationibus suis dilataffet; cùm scripturam aliquoties ad disceptationem istam adhibuisset: tum inquam adhuc vnus speciei vsus sub Papæ dominatu non quidem laudat: tamen cõcedit, & sumere vnã, vbi vnã tantum porrigitur, iubet: imò tanquam à Deo delectus istius controuersie iudex, confirmat, vnã vel duas species non esse simpliciter necessarias, & quod plus fuit, in verbis Cœnæ, negotium totum & millies plus quàm in omnibus speciebus situm esse pugnat, cùm virtus sacramenti tantum contẽplandis verbis non minùs quàm per species hauriatur: Tandem verò horribilem istum fœtorem ibidem (fol. 90.) in mundum inflauit, quem paulò antè meminimus: vt duarum specierum nõ esse tantam necessitatem scriberet, quanta esset inter sacerdotes, monachos & sanctimoniales nubendi. Respõdebit hîc occultator pudendorum Lutheri Herbrandus, ista ex assuetudine ad Papatum & in ebrietate veterum opinionum excidisse prophete suo, cùm ita subito exacuere iudicium & excutere inueteratam sententiam non posset. Diceret aliquid Herbrãdus: primùm si Papistica & ex Papatu suscepta tractaque fuissent omnia quæ primis annis inanissimus homo docuit & postea mutauit: fatum Stoicum: reiectio vocabuli *ὁμοούσιος*: mortalitas anime: sublatio totius ordinis in Ecclesia: & similia infinita. Secundò si ex humano principio per progressionem rationis paulatim doctrinam suam comparasset, & nõ ex cælo verbum Domini & collustrationem vti Euangelista per internã influxionẽ & altiùs quàm ex humana peruestigatione suscepisset Lutherus, idque de se locis superioribus audacissimè non confiteretur. Qui enim sic illuminatur Prophete & Apostoli, non minutatim discunt, sed vnã vice perfectè plenissimeque perfunduntur: præsertim cùm ad lucem veritatis accendendam in cæcum & Idololatriam

tria oppressum mundum mittitur à Deo; vbi nunquam animaduersum fuit, errare Prophetas in religione & in istius rei intelligentia, in qua præferre lumen alijs vt Dei Legati debuerunt: & esset absurdissimū, amandari à Deo Prophetam ad mundum illuminandum: qui iam missus, tum ipse sit obligatus erroribus maximis: tum multa animarum millia quæ cum erroribus ante perfectā illustrationem Prophetæ mortem obierunt, exitio æterno inuoluat. Secundò valeret fortassis Herbrandi effugium, si non ipse Lutherus doctrinam suam non ferre vel mutabilitatem vel iudicium cuiusquam hominis vel Angeli toties tanto ruditu, in libris suis intonuisset: & nisi palàm (*Tom. 2. Latino fol. 519. & 520. & Tom. 2. Germ. fol. 131. & 132. & 133. contra Regem Angliæ*) edixisset, Cœnam Dominicam & alia rerum capita, quas Christianum scire oportet, & quæ docentur in sacris literis, & pertinent ad scripturam vitamque Christianam, & sunt ad salutem necessariæ, sic se tractasse, vt nullus ipsi possit impingere, vnquam aliter sapuisse quàm ab ipso scribendi principio senserit: nunquam cōtradixisse sibi sed sensu eodem ab initio sibi que similem semper perseuerasse, & perseueraturum in æternum in illa sententiâ quam hætenus docuisset: quia Christi & Dei sit immutabilis doctrina: & qui aliter ista docet, quàm ipse fecerit ab initio, esse Dei hostem & filium inferni: tantum in his quæ extra scripturam sunt, & de quibus scriptura nihil habet, variasse & retractasse priores libros & sententias: quæ omnia verba sunt Lutheri, transcrip̄ta fideliter ex vtroque libro.

Vel igitur verum eo loco confitetur, vel finxit falsam & perniciosam rem, Prophetas falsitatis & vates mendacij Lutherus: & siquidē scripsit verum: ad scripturam igitur & ad animæ salutem necessitas duarum specierum non pertinet: & in scriptura nō inest: nec interest, illam à Christianis cognosci: nec attingit vel sacras literas vel Christianam vitam: & in libris posterioribus, in quibus
Luthe-

Lutherus, Vertumnus religionis Lutherus, sententiam priorum librorum mutavit, suo testimonio hostis Dei factus & filius inferni fuit: & similiter Lutherani omnes & ipse Herbrandus & tu Pappé, cum duarum specierum necessitatem tam pugnaci obstinatione contra primum Lutheri sensum vrgeris, damnatis Deum & vos ipsos in adoptionem mancipatis diabolo: quod ego conuictum vobis non facio: fecit Lutherus magister & Propheta vester: cum quo stomachari debetis, non mecum. Si verò Lutherus vanus fuit cum ista scriberet: mentitur igitur turpissimè contra Deum & homines profligatus scurra, cum nihil se mutasse & Christi doctrinam sententiam suam superiorum annorum esse confirmat: omninoque dignus non est, cui perfidè mentienti fides habeatur in re minima: tantoque magis quòd Anno 22, sicut diximus, toties & tot in locis caelestem originem doctrinæ istius consecratur & iudicium Angelorum omniumque mortalium retroponit, nec doctrinam suam vel Angelo vel homini submittit. Rursus enim tum vel verum dixit, vel falsum Lutherus, cum in Dei caelesti missione & traditione doctrinæ tam se petulanter superbeque iactaret. Si verum fuit quod scripsit: nihil igitur in fidei rebus mutare, nihil in doctrina Dei corrigere debuit vel potuit: nec caligine cæcisque nubibus Papatus tum constringebatur cum scriberet: & non solum per glossam impudentiamque suam imponit magistro Luthero iniuriam & contumeliam maximam Herbrandus sed mentitur ipse Lutherus mutabilissimus veterator: qui contra seipsum (*in præfatione primi Lat. Tom. & in 1. Germanico fol. 3. & 4. & 5.*) paulatim se testatur disputando & docendo creuisse & vix ex erroribus emeruisse, primumque vehementer imperitum Antilogias multas scripsisse: & cessisse Papæ in illis, quæ nunc sciat esse detestabiles blasphemias: frequenti meditatione post diuturnam inquisitionem perspexisse quid iustitia Dei esset: errasse & non vno temporis momento

Dd

factum

factum statim doctorem vel tam absolutum vt errare nō
 posset: quæ omnia vel hîc vel illic mentiēs Lutherus ex-
 tremâ ætate Anno 45 effutiuit. Si verò falsum Anno 22
 scripsit Lutherus: impudentissimus igitur scurra fuit Lu-
 therus; qui cū se à Deo illuminatum & missum, prodi-
 disse constantem perpetuamque veritatem, nec à se vn-
 quam dissensisse; nec posse vel ab homine vel ab Angelo
 iudicari doctrinam à se ex cælo susceptam & perlatam in
 mundum Anno 22 clamet: tamen postea plurima à se
 constituta & constabilita per annos reliquos 24 ipse re-
 tractauit & correxit quotidie quousque animam exutam
 corpore, sisteret in inferno: & cū primis quod Anno 22
 liberum à peccato fecerat, vt quisque vnam speciem su-
 mere posset, id tredecim annis pòst in contrariū reflexit
 & (*Tom. Lat. 1. fol. 513.*) apertè inexcusabiles esse pronun-
 ciavit, qui tunc vel cogere vel se cogi sinerent ad omissi-
 onem vnius speciei: de quo agemus in Spiritibus Luth-
 eri. Nihil igitur Herbrandus Lutherum iuuat, cū per ca-
 liginem Papatus inhærentem in Luthero & diffluentem
 paulatim, Antilogias mendacissimi scurræ excusat: ma-
 gis iniurius est in magistrum & mendacij coarguit: & se-
 ctam perdit.

Sed misso Luthero & eius fugituo stipatore Her-
 brando, redeamus ad pensum nostrum: vnde procacitas
 & execranda dissimilitudo Lutheri ex medio cursu auo-
 cavit. Non igitur Græci in istis sex in quibus à nobis dif-
 sentiunt, sentiunt vobiscū: dissident magis à vobis quàm
 à nobis, non semel sed infinitis modis: & vos propter nu-
 ptias Sacerdotum & Monachorum: & propter errores
 in speciebus Cœnæ: & interuersum primatum & impe-
 rium in vos Papæ damnant: nos in iisdem controuersijs
 quanquam non de toto capite, sed in vna circumstantia
 interdum leniter reprehendant, tamen damnant nun-
 quam: & vt dicam vno cumulo, in nulla re vobis contra
 nos fauent: nō solum in illis sex sed in innumerabilibus
 alijs,

alijs, quæ in S. Patrum Græcorum libris sunt, & adhuc hodie in fide & vsu Græcæ Ecclesiæ retinentur. Et ne illa omnia, quæ infinita sunt percenscamus, repetemus tantum breuiter quæ in tribus Ieremiæ Patriarchæ Responsis includuntur, blandimētis vestris & palpationibus expressa: quam vobis gratiam maximam debemus inimicis nostris, cum religio Græcorum, quo in statu hodie esset, apud nos alioquin propemodum propter Chytrai fraudes in ignoratione iaceret, quod vos hostili quidem animo ad ruinofam vestram maleque materiata fulciendam & ad isto tanquam meretricio fuce contra Christi Ecclesiam pingendam sectam, tamen admirabili Dei consilio perfecistis, vt gladius in nos occultè directus, in iugulum vestrum retorqueretur: & deinde constaret omnibus, non solum quid nostra memoria credant Græci sed etiam quam longè disiuncti à vobis, quanto odio hæresin seditionemque vestram detestentur.

Veterum igitur Patrum Græcorum dissimilitudines omnes & pugnas contra fatuitates ineptiasque vestras hoc loco non attingam: inhærebo tantum in illis quæ nobiscum contra vos adhuc hodie in Græcia tum intus in animis credi, tum foris in Ecclesiæ ceremonijs exerceri, ducta & cōtinuata ex primo Ecclesiæ initio per intercessionem laboris vestri cognouimus. Nihil exaggerabo: strictim includam omnia: & tanquam in angusta tabella suspendam ante omnium oculos, quātas quamque multas res Patriarcha Constantinopolitanus in secta vestra damnet. Id enim officij esse munerisque mei visum fuit: tum vt gratia debita vobis pro maximo labore persoluator: tum vt vno aspectu simul varietas inter vos & Græcos: & similitudo nostræ atque Græcæ Ecclesiæ perlustrari, & non solum infelicitas vestra in aperiendis rimis, quas infercire & suere voluistis, sed etiam temeritas effusè rideri & societas deinde tua ab ambienda Græcæ Ecclesiæ affinitate abstrahi possit.

- I. Sanctè igitur Græci primùm sine tergiuersatione credunt tanquam scripturæ consentanea omnia, quæ in septem Oecumenicis Concilijs includuntur, siue fidem & ordinem Ecclesiæ siue mores & disciplinam spectent: & nihil in manus sumendum vel sentiendum esse docent, præter illa quæ à S. Apostolis & Concilijs instituta & ordinata sunt; & pro Iudæ traditoris discipulis habent, qui in re minima discedunt à Concilijs vel minimum cōtra Concilia & Patres in fide variant (*fol. vestrae impress. 57. 85. 139. 142. 213. 214. 215. 216. 217. 264.*)
- II. Deinde, Scripturam non pro hominum intelligentia vel ex priuata dictatione sed tantùm ad sententiam S. Patrum & Conciliorum explicandam: & testimonia S. Patrum in omnem sempiternitatem vera: nec discedendum à Patrum iudicio in intelligenda scriptura: nec Catholicos esse qui faciunt, & nihil boni superextrui, cùm ab obedientia S. Patrum disceditur, existimant (*fol. 56. 77. 85. 112. 113. 116. 138. 142. 201. 216. 234. 250. 251. 252. 260. 263. 264. 368. 369.*)
- III. Tertio, Ecclesiam Christi vnã & publicam faciunt & aspectabilem, & sic paratã vt errare non possit: ne quidem cùm ab hæreticorum procellis concutitur: sed stabilem esse tradunt, fundatam in petra Christi & in ijs in quibus nititur veritas (*fol. 56. 77. 113.*)
- III. Quarto, traditiones Ecclesiæ tum scriptas tum non scriptas recipiunt & fidem nouam abhorrentem à terminis Patrum veterum damnant, & reiectionem traditionum redundare ad contempionem Dei putant, simulque Lutheranorum ex abusione scripturæ ductas opiniones refutant. (*fol. 85. 131. 132. 133. 250. 251. 260. 360. & alijs prioribus locis.*)
- V. Quinto, solam fidem in iustificatione rident: addunt opera & spem atque charitatem, fontem fidei sicut nominant, sine quibus nemo consequitur salutem (*fol. 64. 65. 71. 76. 117. 123. 133. 221. 228. 231. 232. 233. 237.*)

Sexto,

Sextò, fidem rectam cum flagitiosa vita consistere cõ- VI.
que per mortale peccatum non amitti purant: & fidem
illam rectam (quanquam à charitate non cõformatam)
tamen non historicam sed fidem veram in Christum esse
definiunt: nec fiduciam esse sinunt (fol. 69. 76. 233. 234.)

Septimò, fidem alienam ab omni dubitatione requi- VII.
runt, quoad res quæ fide suscipiendæ sunt: tamen istam
securitatem vel præfidentiam, quam Lutherani ex sola
fide habent, euertit funditus: & sine obseruatione man-
datorum omnium ne quidem sperant salutem (65. 68. 76.
231. 236. & infra in articulo nono.)

Octauò, expianda à nobis peccata post Baptismũ ad- VIII.
missa: & eluenda contrarijs virtutibus, exquisita pœni-
tentia, confessione, lacrymis, planctibus & similibus spi-
ritualibus purgationibus multo labore, & certamine,
longo tempore: nec restare expectationem aliam gra-
tiæ: & istam veram esse satisfactionem: & per ista opera
nos dealbari à peccatis vt fiamus mundi, copiosè propo-
nunt (fol. 74. 75. 76. 79. 87. 128. 237.)

Nonò, perfectè impleri mandata & quidem omnia IX.
posse: & vt necessariũ ad salutem & vt caput salutis, præ-
standum esse quicquid mandatum fuit: nec sperandam
salutem sine perfecta impletione mandatorum & sine
bonis operibus & sine perfecta abstinentia à malis: nec
valere ad nos excusandos imbecillitatem humanam: &
summatim tum nos primũ cælesti futuros beatitudine
dignos iudicant, cum perfectè & legitimè & sine inter-
missione vnus mandati perficitur lex, quæ secundum spi-
ritum est, & pro virili parte nostra complentur omnia
quibus præstitis regnum cæleste in scriptura promittitur
& intermissis negatur (fol. 64. 65. 66. 67. 68. 71. 79. 123. 124.
125. 126. 130. 141.)

Decimò, salutem eternam gratiæ diuinę transcribunt; X.
tamen vt quisque mortalium suum studium adiungat;
& simul salutis author sit suæ: & eam ad se meritis suis &

- IV sudoribus trahat: & erectus stet ne in vanum gratiam receperit (fol. 70. 71. 114. 115. 125. 134. 135. 259.)
- XI. Undecimò, sentiunt sperandū in solo Deo: non gloriandum in nostra iustitia: tamen etiam in nostro studio (sed non καθόλου neque Pharisaicè) sic fidendum vt interim ad misericordiam iustitiæque Dei referamus omnia (fol. 70. 71. 125. & locis prioris articuli.)
- XII. Duodecimò, magnis asseuerationibus contendūt neminē trahi sed tantū duci à Deo: & principaliter opus esse gratiæ Dei: tamen concurrere liberum arbitrium in conuersione: & eam non coactè expediri: & omnia subiecta sub Dei esse voluntatem, sed sic, vt nihil decedat arbitrio libero: & voluntatem esse in nobis sitam antegrediente Dei gratia, cuius primæ sint & liberi arbitrij secundæ partes ad salutem: & nullam prorsus inter homines Stoicam esse Lutheranam vim atque violentiam: nec operari Deum in nobis mala: nec omnino vel primo vel secundo loco velle peccatum: nec cogere homines ad viuendum secundum virtutem vel ad peccadum sed relinquere vt liberrimè agant & eligāt vel bonum vel malum, etiam post peccatum Adami (fol. 64. 67. 72. 74. 96. 107. 108. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 133. 224. 225. 226. 227. 228. 365. 366. 367. & 368.)
- XIII. Decimotertiò, prædestinari à Deo neminem ad interitū, nisi eum quem Deus præuiderit obstinatè profecturum in peccando: & tametsi omnia antè cognoscat Deus, tamen non prædestinari illa quæ in nostro arbitrio sunt, arbitrantur & explicant (fol. 227. 228. & locis alijs proximis.)
- XIIII. Decimoquartò, conciliari Deum Eleemosynis & impetrari culpæ remissionē & liberationem à pœna & Diaboli captiuitate: & eleemosynas posse omnia: sic vt nemo sine eleemosynis hæreditatem cælestis beatitudinis sperare debeat: & fructum eleemosynarū etiam ad mortuos perferri, vt cum viui pro mortuis in tribuendis eleemosynis

mosynis liberaliores sunt, soluatur peccata mortuorum vel augeatur merces: & summatim auxilium maximum percipiant mortui, qui in pia fidei confessione è vita excesserunt, tum ex scriptura tum authoritate S. Dionysij Magni & S. Gregorij Theologi constituunt (fol. 87. 90. 92. 93. 94. 105.)

Decimoquintò, Sacramenta septem, nec pauciora XV. nec plura recipiunt: Baptismum: Confirmationem vel Chrisma S. unguenti: diuinam Communionem: Ordinationem: Matrimonium: Pœnitentiam, & Vnctionem extremam vel sacrum oleum: & omnia vel à Christo & in sacris esse literis consignata, vel tradita ab eius discipulis, & vim habere maximam vel ad conferendam peccatorum remissionem vel ad purgandas & saluandas animas: tamen facultatem & vim omnẽ suscipere ex Christi passione (fol. 81.) & veri nominis sacramenta esse sentiunt (à fol. 77. vsque ad fol. 81. & à fol. 238. vsque ad 242. Item fol. 63. & 64.)

Decimosextò, in Baptismo diuino lauacro non tegi XVI. vel obrui peccatum originale, sed deleri sentiunt, vt baptizati ab errore & fordibus peccatorum liberati, efficiantur puri (fol. 63. 64. 78. 238.)

Decimosseptimò, sine Baptismo saluari prorsus ne- XVII. minem, ex scriptura confirmant (fol. 85. & 238.)

Decimooctauò, Pœnitentiam sacramentum & ma- XVIII. gnum Christianorum post baptismum peccantium donum vocant; & huius tres partes faciunt, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem: & absolui intus coram Deo neminem concedunt nisi qui corde contrito confessus, pœnitentiam perfecta obedientia & à vitijs discessione testatam faciat (fol. 64. 81. 87. 130. 241. 242.)

Decimononò, cõfiteri peccata omnia sine intermis- XIX. sione eorum vel dissimulatione, quorũ quidem memoria repeti recordatione possit: sed tantum Sacerdotibus ab Episcopo initiatis iubent ex Basilio (fol. 78. 81. 87. 130.)

Vice-

- XX. Viceſimò, facultatem abſoluendi tantùm permittūt Apoſtoli & illis qui ἀλλήλοδιαδόχως ex continua progrefſione & perpetuo ordine Sacerdotes ab Apoſtoliſ & ſucceſſoribus Epiſcopiſ facti ſunt: Satisfactionem verò (ἰκανοποιίαν) neceſſariam eſſe & per illam elui maculas peccatorum ſentiunt (fol. 78. 87. 128. & alijs articuli octavi loci.)
- XXI. Viceſimoprīmò, non expreſſa in confeſſione peccata cū vel per obliuionem in mentem non veniunt vel per verecundiam non enuntiantur, in abſolutione non includunt: tamen orant pro illiſ ad Deum & confidunt futurum vt Deus miſericordiam impertiatur: quæ verò per malitiam occultantur, putant vergere ad grauiter exulcerandam animam (fol. 87.)
- XXII. Viceſimosecundò, Confirmationem neceſſarium ſacramentum agnoſcunt & maximi faciunt, tanquā emundationem animarum & ſignaculum ſignumque Chriſti & doni Spirituſ ſancti: & originem nominis Chriſtiani: & exiſtimant inde roborari animam, & recuperari primam in Adamo impreſſam imaginem & gratiam: & reddi omnia, quorum iacturam in Adami prolapſione fecimus: ſententiãque ſuam probari tum ex Patribuſ S. Dionyſio & S. Chryſoſtomo, tum ex Concilijs & vſu Eccleſiæ (fol. 63. 78. 238.)
- XXIII. Viceſimotertiò, Ordinationem vel initiationem ſacerdotum (χειροτονίαν vel ἱερῶν τάξιν vel τάξιν τῶν ἱερῶν) ſacramentum maximum in veteri nouoque teſtamento traditum & poteſtatem diuinam in ſummo honore habēt: nec quid ſanctum eſſe vel rectè in Eccleſia adminiſtrari iudicant niſi à ſolo Sacerdote, quē Epiſcopuſ ab alio Epiſcopo creatuſ ducto ab Apoſtoliſ & vſque ad illum Epiſcopum perpetuato ordine per manuſ impoſitionē canonicè ſecundum Eccleſiaſticam traditionem obſignauerit, & conſecrauerit, (fol. 78. 80. 105. 108. 241.)
- XXIIII. Viceſimoquartò, ad ſubeundum officium vllum ſacrum Laico, partes & vias omnes præcidūt: ſic vt ad Epiſcopoſ

scopos vel Sacerdotes creandos vel deligendos externis mundanis vel dominis vel populis locum nullum, suffragium nullum, intercessionem nullam indulgeant: & ab illis vel per illorum fauorem & suffragiū electos, non solum ordinum vsum subire non sinant, sed etiam à societate Christianorū abiungant & mulctent exilio (fol. 105. 106. 107. 108.)

Vicesimoquintò, Gradus & ordines in Ecclesia Metropolitanorum, Archiepiscoporū, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum &c. summa obseruantia sanctissimeque distinguunt: nec transuersum vnguem à Canonum præscripto discedūt: sed Episcopum per Metropolitanum & alios multos Episcopos: Presbyterum, Diaconum & reliquos per Episcopum vnum: Metropolitanum & Archiepiscopum per aliquot Episcopos sine Laicorū adiumento eligunt & consecrant: nec cuiquam docere vel sacrum officiū subire in Ecclesia, nisi isto modo sanctificatum & deuotum Deo & vocatum ab Ecclesia concedunt: præsertim verò hæreticum nullum vel laicum vel ex laico statu repentinò sublatum ad dignitatem Ecclesiasticam in templis suis tolerant (locis ijsdem.)

Vicesimosexto, in istis omnibus ordinandis semper ad primam ætatem Apostolorum respiciunt: vt nemo ordinandi ius habeat nisi Episcopus, qui rursus ab alio Episcopo legitimo, cōtinua retrò ad Apostolos progressionem, dignitatem & officium secundum Canones suscepit (superioribus omnibus locis.)

Vicesimoseptimò, Matrimonium Sacramentum consentur in veteri testamento institutum & stabilitum à Christo, per quod in vitæ nostræ & procreationis primordium importetur εὐλογία gratiaque Dei & purgatio animæ (fol. 77. 78. 79. 80. 241.)

Vicesimo octauò, vt ordinatio vel χειροτονία ad eos pertinet qui abstracti à mundo & Deo dicati sunt: sic nuptias inquit proprias esse Laicorum: & tamen vsum con-

E e iugij

iugij vereris, cuius vinculo obstricti aliqui, progrediuntur ad sacerdotium, ijs qui continere non possunt, nec mandant nec interdicut: magis laudant cū cælibes ad sacerdotium veniunt: tamen factum Sacerdotem vel Monachum vel quemcunque voto continentia obligatum tametsi millies vrantur, coniungere se nuptijs cum mulieribus tanquam rem detestabilem non ferunt, & tales cū in libidine peccant, puniunt & affligunt per poenitentiam (fol. 77. 129. 135. 260.)

XXIX. Vicefimono, Vnctionem extremam vel oleum sacrum inter Sacramenta referunt & figuram agnoscunt diuinæ misericordiæ, ad veniam impetrandam peccatorum, & ad corporis sanandos morbos, & ad redimendos & faciendos sanctos qui à peccatis ad frugem se & in virtutis viam recipiunt (fol. 77. 79. 81. 242.)

XXX. Tricesimò, Eucharistiam & Baptismū cæteris Sacramentis anteponunt: & in Eucharistia disertè contestantur, panem principio in altari positum, esse purum panem sed postea in ipsum corpus (εις αυτό τὸ σῶμα vel εις ἐκεῖνο αὐτὸ τὸ σῶμα) & vinum in ipsum sanguinem Christi (εις αυτό τὸ αἷμα) à legitimo sacerdote reuera (ἀληθῶς καὶ ἐν ἀληθείᾳ, ἀλλ' ὑπερφῶσ ὑπὲρ λόγον καὶ ἐννοίαν) supra naturam & rationem atque intelligentiam conuerti, trāsmutari & transsubstantiari (μεταποιῆσθαι ἢ μεταβάλλεσθαι) sic vt deinde non panis & vinum restent: nec corpus in, sub, vel cum pane, nec sanguis eadem ratione in vino cōtineatur: nec omnino supersint res illæ duæ sed solū corpus & solus sanguis: nec typus corporis vel sanguinis, sed ipsum & propriū (οἰκῆιον) Domini corpus Deificatum, pro nobis traditum, crucifixum, suscitatum ex morte & subiectum in cælum: & ipse Christi proprius sanguis pro nobis effusus: nec hīc tantū nominis sit communitas vel similitudo rationis sed rei identitas: (οὐκ ὀνόμασις κοινωνία μόνον ἢ ἀναλογία ὁμοιότης ἀλλὰ πραγματος ταυτότης:) quanquam interim adhuc panis Domini corporis post consecrationem cognominetur: sed
panis

panis à sacerdote *μυσταγωγούμενος* & factus mysticus (fol. 77. 80. 81. 86. 96. 97. 98. 100. 101. 102. 240. 241.)

Tricesimoprimum, Veteres Patres & præsertim S. Basilium, qui dona vel species *ἀντίτυπα* cognominant, in istam sententiam interpretantur; non quòd non verè corpus esse sanguinemque Christi sentirèt, sed quòd vel ad tempus, quòd cōsecrationem antecedit, vel ad perfectiùs per aspectum in vita æterna quàm hîc in participatione Eucharistiæ, quæ illius tanquam typus sit, fruendum Christum, cogitationem animûque suum referrent (fol. 241.)

Tricesimosecundò, Caput sextum Evangelij S. Ioannis ad venerandum Eucharistiæ sacramentum accōmodant: & cum summa reuerentia & metu ad sumendum accedunt: & dignis qui puram conscientiam & fidem stabilem afferunt, remissionem inde peccatorum & vitam æternam & tum animi, tum corporis integritatem pollicentur: indignis verò qui in infidelitate corpus & sanguinem Christi participant, pœnam æternam minantur (fol. 241.)

Tricesimotertiò, aquam vino miscēt, idemque factitasse Christum & nō vinum solum, sed mistum cum aqua nominasse sanguinem suum scribunt (fol. 80. 81. 103.)

Tricesimoquartò: nō tamen propterea corpus Christi vbique esse: nec deportari de cælo in Eucharistiam: sed manere in cælo statuunt (fol. 86.)

Tricesimoquintò, firmissimè credunt ex Canonibus & historijs Ecclesiasticis, Iacobū fratrem Domini à Christo primum factum esse *ιεράρχην*, & informatum ad omnia Missæ mysteria: & deinde Marcum Sanctum & mysticum sacrificium Missæ sanctificantibus (*ιεραργυκούς*) verbis complexum, reliquisse faciendi totius sacrificij modū: quòd idem & S. Basilius fecerit & S. Chrysostomus: tamen uti per vices Græcos Missis duabus posterioribus (fol. 95. 98. 103. 104.)

Tricesimosexto verò, non solùm Sacramentum *εὐχα-* XXXVI.

ρίσιν sed etiam Sacrificium (ιεργίαν, λειτεργίαν, προσφοράν, θυσίαν) esse volunt: & quidem tremendum (φρικτήν & φρικώδη θυσίαν) & nouum sacrificium ab ipso Christo post legalis paschatis administrationem institutum & celebratum, in quo ipse Christus pro nobis sacrificetur (θύεται) fol. 80. 85. 95. 98. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 109.)

XXXVII.

Tricesimosseptimò: ad sacrificandum vel faciendam Missam neminem admittunt, nisi rectè, more & instituto canonico initiatum Sacerdotem: quem aiunt quāquam scelestum & indignum, nocere quidem sibi; tamen ex opere operato, cum symbolum suum implet, perinde offerre Christum & administrare sacrificium & propagare sanctitatem in circumstantes, ac si S. Petrus vel S. Paulus obtulissent: cum oblatio sit eadē, quam Christus & quam hodie Sacerdotes immolāt: & Deus gratiam suam etiam per ministros indignos cum hominibus communicet & sacra mysteria perficiat: neque Sacerdotis dignitas sed gratia Dei ista omnia operetur (fol. 82. 85. 104. 105.)

XXXVIII.

Tricesimooctauò: Illa de causa etiam indignos Sacerdotes afficiendos honore à populo putant, & ignominiam imponi Deo, cum Sacerdotes dedecorantur: & turbari secundum S. Chrysostomum ordinem Ecclesiae, cum ouis pastorem, filius patrem, tametsi peccet, corrigit (fol. 82. 83. 84. 85.)

XXXIX.

Tricesimononò: per Missam multis modis subleuari & sanctificari Christianos: tum qui circumstant, tum qui absunt: non tantum cum ipsi Sacramentum percipiunt, sed etiam cum Missam audiunt: & eo ipso quod fit sacrificium: & valere Missam ad propitium reddendum Deum, ad obtinendam veniam peccatorum, ad sanctos efficiendos fideles, ad corroborandam fidem, ad magis inflammandam charitatem, & ad adeundam hæreditatem cælestem, cum in ea Christus pro nobis sacrificetur: tamen duplicari sanctificationem cum post auditum Sacrum accedit participatio Sacramenti: sed ad ista omnia
primo

primo loco requiri fidem iudicant (*fol. 95. 96. 99. 100. 104.*)

Quadragesimo: non tantum viuis prodesse Missam sed etiam mortuis, sæpenumero repetunt: nec orari tantum in Missa sed etiam offerri pro mortuis: & ab Apostolis mandatum fuisse sicut tradit S. Chrysostomus, ut in tremendis mysterijs, & in tremendo sacrificio, oretur pro fidelibus defunctis: fructumque maximum inde & sanctimoniam profluere ad mortuos, qui in fide decesserunt: non tantum ex sacrificio, sed etiam, quia præter communicationem sacrificij & orationum Christus incomperato nobis modo se mortuis fruendum & percipiendum in Missa tradat (*fol. 95. 102. 104. 109.*)

Quadragesimoprimum, deuotè sublatis in cælum manibus, tum populum, tum sacerdotes cum tremendum sacrificium proponitur, adesse iubent: & oblationem quidem foris à sacerdote visibiliter sed sacrificium & specierum transmutationem inuisibiliter expediri censent (*fol. 102. 109.*)

Quadragesimosecundò: totam Missam & omnes præcationes, psalmos, & lectiones quæ ante & post consecrationem adhibentur, laudant & occultas interiores significationes exponunt, quemadmodum non solum usum suum per se præstent sed etiam præterea totam Christi œconomiam, natiuitatem, passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem in cælum mysticè adumbrent (*fol. 96. 97. 98. 99. 100.*)

Quadragesimotertiò: Apologiam Lutherana, cum leituriam Græcorum tantum esse gratiarum actionem, & non attinere ad tollendas mortuorum pœnas, & prodesse tantum sumentibus scribit, insimulant mendacij: & ex Græcis Patribus & ex ipsa Missa contrarium probant, & λογικὴν λατρείαν expressè definiunt esse non orationes tantum sed ipsam oblationem & totam (τελετήν) sacram actionem quæ Deo sacrificium exhibet & transmutationem panis & vini efficit (*locis superioribus.*)

- XXXIII.** Quadragesimoquartò: D. Virginē & Sanctos in Missa tum quando species apponuntur, tum quando fit sacrificium, religiosè commemorāt: & tum laudant, tum per eorum intercessionem implorāt misericordiam Dei pro viuis & mortuis & Sanctos ipsos inuocāt in Missa (fol. 102.)
- XXXV.** Quadragesimoquintò, distinguunt inter adorationē *λατρείας* & *σχεσιασ*, & Deum à quo solo vt à principio in nos res bonæ & optabiles omnes influunt, solum *λατρευτικῶσ* inuocant: D. Virginem verò & Angelos atque sanctos *σχετικῶσ*: & inter vtramque adorationem plus intercedere discriminis aiunt quàm inter mēdaciū & veritatem: sic vt tametsi Sanctos intercedere pro se iubeant, tamen semper primo loco ad Deum confugiant, qui solus opitulari possit: vbi etiam omnia quæ ex Decalogo & alijs locis ad elidēdam Sanctorum inuocationem opponuntur, soluunt; & ludificant Lutheranos quòd metuant ne nimium crescat sancta in Diuos propensio & cultus degeneret in Idololatriam, cū contrà per habitum Sanctis honorē honoretur Deus: & collata in Matrem obseruantia progrediatur ad Christum filium (fol. 128. 243. 245. 246. 247. 249. 251. 254. 256.)
- XXXVI.** Quadragesimosexto: Eadem de causa non in Missa tantum sed semper clamant ad D. Virginem & ad cælestes potestates Angelorum & Archangelorum, ad S. Iohannem Baptistam, ad gloriosos Apostolos, Prophetas, Martyres, Confessores, Pastores, doctores œcumenicos & ad ceteros omnes sanctos viros & fœminas: & quidem
 „ certis destinatisque verbis quæ ascribunt: Sanctissima
 „ domina, mater Dei, intercede pro nobis peccatoribus:
 „ omnes cælestes virtutes S. Angelorum & Archangelorum
 „ orate pro nobis: omnes Sancti & Sanctæ intercedite
 „ te pro nobis: omnes Sancti & Sanctæ intercedite pro nobis
 „ peccatoribus: vt gratia sua & inuicta diuina incomprehensibili-
 „ que potestate Crucis propitius Deus nobis
 „ peccatoribus fiat, qui ipsi seruimus & in cōfessione atque
 pœni-

pœnitentia perseueramus, & illuminationē oculorum nostrorum petimus: ne quando obdormiamus in morte & inimicus inualescat cōtra nos (fol. 58. 128. 129. 246. 256.)

Quadragesimoseptimò: Variant preces ad Sanctos: XXXXVII
& interdum, vt diximus, ad ipsos Sanctos conuertunt: interdum Deum precātur, vt propter intercessionem Sanctorum omnium accurrat nobis subsidio & intercīdat laqueos diaboli (fol. 58. 102. 109. 246. 258.)

Quadragesimooctauò: cūm secūdum Cyrillum pro nobis vsque ad extremum iudiciū & in ipso iudicio Sancti etiam mortui, tum pro viuis tum pro mortuis orent; & inde magna sequatur efficacitas, cūm viui: maior tamē cūm mortui Sācti pro nobis vel viuis vel inter pœnitendum mortuis intercedunt: Ad Deū quidem vota omnia dirigūt & à Deo solo tanquam fonte auxilium in omnibus tribulationibus expectāt: sed nihilominus Sanctos omnes mediatores & intercessores faciunt & inuocant non vt Deos vel vt redemptores, sed vt amicos & ministros Dei & patronos totius generis humani qui Dei conspectu & colloquio libero fruuntur: primo quidem loco (ἐξαιρέτως) diuam & totam sanctam, Virginem matrem Domini: postea choros omnes Angelorum & Sanctorum (fol. 95. 109. 111. 128. 129. 243. 244. 246. 247. 251. 256. 369.)

Quadragesimononò: nec solūm vt intercessores inuocant sed etiam vt Patronos qui opitulari nobis per acceptam à Deo facultatem queāt & sēpe iam inuocati fugauerint dæmones & proffigauerint tentationes: & Angeli vocati continuò missi à Deo, tulerint præsidium cōque de lob 42 cap. & alijs locis, refutant Lutheranos qui alienis orationibus non indigent: contenti suis: cūm interim ad Deum satis orari non possit: non quòd Deus indigeat sed vt nos frequentia precandi magis suscitetur ad effugiendum torporem (fol. 111. 243. 247. 251. 369.)

Quinquagesimò: vt per inuocationem, sic etiam ponendis statuis & imaginibus: ædificandis sub eorum nominibus

minibus templis: offerendis fructibus atque donis: colenda eorum memoria: decantandis hymnis venerantur D. Virginem & Angelos & Sanctos: rursus non ut Deos sed scheticè ad amorem testandum nostrum, quo in eos & eorum quoquo modo expressas imagines & testimonia sanctitatis ardemus, quo etiam S. Basilius pingi Christi imaginem iusserit (fol. 109. 128. 242. 243. 244. 253. 254. 256.)

XLV. Quinquagesimoprimum, Imaginem Christi & Sanctorum fabricari, & omnes res à Christo gestas & venerandam Crucem in picturas & simulacra referri: & in templis collocari pro laicorum apertis libris & ad amplificandam gloriam Dei iubent (fol. 245. 249.)

LII. Quinquagesimosecundò, factas Christi & Sanctorum & simul S. Crucis imagines rursus non ut Deos sed ut imagines ministrorum Dei & in quorum animis, corporibus, sepulturis, characteribus, imaginibus, gratia Spiritus sancti, non extincta per mortem adhuc post obitum vigeat, scheticè ad significandam in Christum & Sanctos inclinationem adorant & colunt: Deoque per imagines & Sanctos offerunt adorationem & gloriam: eoque cum ex Basilio honor & contumelia imaginis pertineat ad *πρωτότυπον*, ex sexto Concilio tanquam impios detestantur omnes *εικονομάχοι*, & pro Iudæis habent qui contrarium sentiunt, & imagines non adorant: tantoque magis quod ex eiusmodi adorationibus infiniti cumuli sanationum & beneficiorum in uniuersum genus humanum iactentur quotidie: qua de causa Epiphanius contra Collyridianos orationem ut suppositam & adulterinam, ex Damasceno & ex imaginibus in Ecclesia Epiphanius relictis reijciunt: non quod materiam imaginum sed per imagines & in imaginibus Deum & Sanctos adorandos putent (128. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 251. 252. 254. 255. 256. 369.)

LIII. Quinquagesimotertio: præter imagines, reliquias Sanctorum magna deuotione & obseruantia colunt & ad il-

ad illas proiecti effundunt preces, nec dubitāt multa inde beneficia impertiri hominibus, non solū sanandis corporibus sed etiam illuminandis animis (fol. 243. 244. 269.)

Quinquagesimoquartò: res omnes cōsecratas & Deo deuotas, vt libros euangelicos, discos, calices, thuribula, candelabra, mensas & similia honorant eodem modo: & superiora omnia de inuocatione Sanctorum & adoratione imaginum atque reliquiarum ex Scriptura, ex Concilijs & S. antiquissimis Patribus probant (fol. 250. & locis hactenus ascriptis.) LIIII."

Quinquagesimoquintò: pro mortuis non solū offerunt & rogant in Missæ sacrificio & per dies anniuersarios sed etiam orant priuatim, & liberaliter eleemosynas largiuntur pauperibus: quibus duobus adminiculis credunt solui peccata post obitum, & eos qui in pia confessione & principio pœnitentiæ mortui sunt, leuari infinite: cū solis precibus S. Gregorius Magnus liberauerit animam Traiani Cæsaris Ethnici: & esse muneris officijque nostri, vt istis subsidijs iuueamus mortuos: quod cū dicunt, locum intermedium purgatorium constituunt, vbi maculæ quæ hîc interueniēte morte prorsus elui non potuerunt, per pœnam purgantur (94. 95. 109. 128. 258.) L.V.

Quinquagesimosextò: Quadragesimam magnam & cetera per septimanam & reliquum anni tempus Ieiunia: similiter Vigilias, oblationes ad altare, castigationes carnis & humi dormitiones: similiter dies festos istiusque generis Ecclesiasticos ritus, tanquam ad negotiationem salutis perficiendam necessaria laudant: & quia cōtemni sine æternæ salutis incommodo & distractione Ecclesiasticæ communitatis nec consistere viua veraque fides & timor Dei sine ipsis possunt, obseruari studiosè iubent ad Dei gloriam & sanctorum hominum atque rerum honorem & memoriam & ad animarum vtilitatem (fol. 103. 109. 111. 119. 120. 126. 127. 131. 134. 259. 263.) L.VI.

FF

Quin-

LVII.

Quinquagesimo septimò: Virginitatem & continentiam in libidine, nominant rem Angelicam, cum proprium sit Angelorum, non commisceri nuptijs. Sic laudant monachatus & fraternitates: præsertim verò monasticam vitam ex S. Patribus & cum primis S. Basilio vocant vitam & πολιτείαν perfectam: Angelicam: laudabilem: euangelicam: diuinam: *σαυροφόρον*: positam supra metas humanæ naturæ: beatam: mirabilem: diuino scopo institutam: antiquissimam: commendatam in primis concilijs: sanantem peccata post baptismum admissa: recto itinere progredientem ad cælum: & Monachos discipulos sanctos Christi: ciues cæli: imitatores Cherubim: obseruatores omnium mandatorum Dei: & omnino sic comparatos vt nemo vnquam Christianus vitam monasticam riserit: cum contumelia monachis imposita reijciatur in Deum, & præsertim Sanctimoniales sint sponsæ Christi (*fol. 119. 120. 132. 134. 135. 136. 137. 258. 259. 260. 261. 262.*)

LVIII.

Quinquagesimo octauò: præter tonsuram vt totum caput detonsum sit, quam etiam ex priscis retrò temporibus primitiuæ Ecclesiæ & ex Concilio primo docent, requirunt in Monachis & Sanctimonialibus, primò obedientiam: deinde castitatem: tertio libentibus animis susceptam paupertatem & projectionem diuitiarum, vt nihil proprium possideant: acceptas verò ex hæreditate vel aliunde diuitias mancipent monasterio (*fol. 112. 120. 134. 135. 257. 261. 262.*)

LVIII.

Quinquagesimononò, semel ingressas in vitam monasticam personas vtriusque sexus, quia tãquam ἀναθέματα & in templo Dei suspensa & Deo deuota dona sint, & rebus, concupiscentijs, actionibus mundi omnibus remisissent nuntium, & indixerint bellum: arbitrantur sine sacrilegio & Anathemate non posse vel ad nuptias vel ad recipiendam prioris vitæ cõditionem adijcere animum: & Clericos qui cum Sanctimoniale tanquam cum Christi sponsa cõmiscantur, deponendos ab ordine: Laicos percu-

percutiendos excommunicationis fulmine: vbi simul ascribant quomodo probentur & profiteantur monachi: & vota monastica à nobis præstari possint: pueri etiam ad vouendum admitti & monasticæ personæ communi victu & habitatione contineri, & Sanctimonialia claudi debeant ne vnquam exeant, nisi grauissima causa postulante & cum Abbatisa per benedictionē concedat: tum tamen vt cum vetulis comitatæ statim redeant & foris non pernoctent (*fol. 111. 120. 132. 135. 137. 257. 258. 260.*)

Sexagesimò, in Euangelio mandari à Christo vt propter Deum diuitias vendamus & communicemus cum pauperibus: & mundi spolijs omnibus exuti, accurramus auidè ad cruciferam monachorum vitam: & promereri reiectores diuitiarum, cum propter Deum faciunt, peccatorum veniam & salutem æternam: & locum Matthei 19. & Lucæ 18. (Vende omnia quæ habes & da pauperibus.) simpliciter & propriè secundum verborum positionem intelligendum esse iudicant (*fol. 112. 120. 258.*)

Sexagesimoprimò, in Pœnitentiæ sacramēto includunt vitam monasticam, tanquam perpetuam pœnitentiam, & post baptismum nouam extinctionem peccatorum: & non posse Deum perfectè apprehendi putant nisi ab eo qui mundum renuntiauit: consecrant verò Deo etiam monasteria & semel per Episcopum consecrata (*καθιερωθέντα*) aboleri vel alienari vel ad secularem vsum referri vel res ad monasterium attinentes distrahi nullo modo sinunt: & hereticos qui in his delinquant, ex Concilio quarto pro Christianis non habent (*fol. 121. 242. 260. 262.*)

Sexagesimosecūdò, gratiam quidem & sufficientiam ad consequendum cælum ex Deo ducunt tanquam auctore bonorum omnium: tamen per multos labores & sudores & non per Dei solam & otiosam in nobis gratiam parari possessionem paradisi: & inde pro ratione laborum & operum futurā in extremo iudicio coronam

& gratiam & retributionem præmiorum & honorū estimant (*fol. 66. 71. 237. 259.*)

LXIII. Sexagesimotertiò, Canones Apostolorū à vobis repudiatos, laudibus maximis afficiunt & ad docendam fidem adhibent (*fol. 105. 126. 139. 142. & passim*) & S. Dionysium, fastidium stoliditatis vestræ, elogijs amplissimis cohonestāt: & sanctissimum à S. Paulo informatum & proximum post Apostolos & ab Ecclesia Dei honoratū virum & præstantissimum in rebus diuinis & S. Pauli successorem atque discipulum & Pontificem Athenarum (*fol. 80. 95. 239. 240. 257. & alijs plurimis locis*) cognominant.

LXIII. Sexagesimoquartò, negant disertè, omnia quæ fide
 » complecti debemus, esse tradita in libris sacris: cùm Ec-
 » clesia Christi per gratiam sponsi sui in diuinis dictis &
 » fundamentis proficiens, multa inuenerit & exornauerit:
 » nec scribat omnia S. Paulus: sed quædam etiam discipu-
 » lus eius Dionysius & post illos duos multa alia lumina &
 » doctores Ecclesiæ: quorum iniquum esset reijcere tradi-
 » tiones, non dissidentes à scriptura, tametsi in ea non ex-
 » pressè inscriptas (*fol. 80. 138. 240. & locis antea in primo, secun-
 do, tertio & quarto articulo notatis.*)

LXV. Tandem sexagesimoquintò, vt de Mariæ sempiterna perenni que virginitate (*fol. 61.*) & de Christo non in diuinitate sed in carne passo (*fol. 59.*) & de alijs superiorum confectarijs vel relictis in alijs Græcorum veterum & recentiorum libris quæ infinita supersunt, nihil hîc iam attingamus, apertè Lutheranos vos omnes hæreticos vocant & abutentes scriptura sanctis que Patribus ad libidinem vestram; & non incedentes iuxta Canones sanctorum: & non acquiescentes in S. Conciliorum & Patrum interpretatione scripturæ: & conculcantes ea quæ à S. Patribus tradita sunt, & loquentes præter instituta & recepta: & impjos: alienos ab Ecclesia Dei: & euersores Ecclesiæ Christi: & tãquam Iudæos & Gentiles: qua de causa sententiam in vos & nouitates vestras damnatoriam enun-

enunciant & (συρραπεισται) saltatores esse in vestro ludo, & societate vestra & errore cōprehendi & cum schismatibus vestris, quæ quotidie in numero & malitia augetur, cōmunicare prorsus non cogitant de quorum correctione desperarunt: & quos ludæorum affectatores & minimè beatos putant: & ne quidem literas de controuersis religionis capitibus scriptas recipere volūt: iubent magis vt in vestra via progressi vobis desipiatis & alios molestia liberetis (fol. 128. 141. 142. 250. 256. 260. 262. 263. 264. 350. 369. 370. & vbiq̃ue.)

Hæc igitur ex Responsis Patriarchæ cū blandimentis vestris responderet, visum fuit sub contuitum vnum ponere in lumine publico tanquam relati ex Græcia ludibrii vestri trophæum: vt & Græcorum à vobis sectisque vestris discrepantia, & consensio cum Catholicis sine magno negotio aspectaretur, & cachinnarentur omnes fatuitatem vestram: quòd apud Græcos, quorum voluistis ad longiùs spargèdum errorem aucupari auctoritatem, tam turpiter collocastis laborem, reiecti ab illis & summa cum ignominia iussi manere deinde domi: prorsus vt eodem tempore funestè vobis cecidit Concordiæ negotium, cū coherentes nullo vinculo sectas vestras, vendendis & extorquendis subscriptionibus per mille profectiones & impensas & iniurias & mendacia & violentias frustra in externo vno tegumento tanquam in sacco vno concludere voluistis. Quò magis enim contendistis vt distractiones vestræ obnuberentur & foris color vnus appareret intus infinite pugnantis dissimilitudinis: hoc plus deformitas vestra extracta in lucem & subiecta sub oculos fuit.

Ad istas verò Sexaginta quinque Papisticas Græcorū à vobis fatuitatibusque vestris hostiliter discrepantes sententias cū priora viginti septem discrimina apponentur: primū nonaginta duo maxima crescent inter vos & Græcos dissidia: deinde cū hæc genera in partes quas

in communione sua amplectuntur, rursus diuidentur, & ex antecedentibus ducentur consequentia: tertio, cum reliquæ ex antiquorum Græciæ Patrū & etiam ex recentium scriptorum libris, religionis & ceremoniarum differentiæ conuenient, quantus & quàm innumerabilis cumulus aceruabitur, discordiarum inter vos & Græcos? cum interim in nullo articulo Augustanæ confessionis & in nullo toto inter nos adducto in controuersiam capite uobiscum sentiunt: condemnant uos apertè & iustificationem ex non sola fide: necessitatem & efficaciam operum: occupationem cæli ex nostris meritis: inuocationem Sanctorum: adorationem imaginum: liberum arbitrium: Missas pro uiuis & mortuis: & omnes Antichristianismos atque Idololatrias nostras quales uobis in vertigine & obstinatione uestra uel stolidè uidentur uel sceleratè finguntur, in fidem suam suscipiunt & rectè pro sincero sanctissimo quæ cultu diuini numinis habet: quædam etiam magis, quàm nos, dilatant. An igitur, Pappæ, Lutherani sunt Græci? An & Herbrandus & Hunnius & Chytræus boni uiri sunt? qui cum ipsi communicatas inter Patriarcham & Tubingensem Theologicam societatem literas uel in publicum Anno 84 euulgassent uel sine dubio legissent: tamen adhuc in Thesibus & Epistolis & Præfationibus post Annum 88 ad Græcos receptū querunt, & contra cōscientiam mutuari ab illis Ecclesiæ suæ antiquitatem conantur? tam turpiter de theatro repulsi & publicatione actorum à seipsis de aperto mēdacio reprehensi? Ita sine dubio pudet illos nouitatis ut intus conuicti, cum ab amicis & per ueritatem non possunt, ab hostibus per mendacia surreptum colorem appingāt errori suo: tantum ut auditoribus fucum obiciāt & altiùs infigant sectam. Tu uerò, Pappæ, quod facturum cōfido, ne magis periclitare pudorem tuum: si animam sistere in Dei luce non uis, tamen existimationem tuere, quam apud ciues habes: confitere in controuersijs nostris Pappæ

pistas

pistas esse Græcos & in quibusdam liberaliores & duriores quàm nos sumus: nihil sentire cum Lutheranis nec in vna specie, nec in primatu Papæ, nec in vsu matrimonij in Sacerdotibus: nec si ista cõtra nos essent, propterea Ecclesiam Græcorum damnatricem sectæ vestræ & in reliquis sexcentis dissimilimam conferre minimum momentum ad defendendam confusionem vestram: cum qua nullo vinculo Christianæ societatis Græci nexi & iugati esse volunt. Imò Pappæ, si non omnium sensuum iudicio & ratione te pertinacia orbauit & vincendi studiũ: disce ex sola Græca Ecclesia mendacia magistrorum, & fœditatem erroris. Quĩ enim pores aliter, si peruicaciam sepones? cùm vir intelligens, animo tecum reputabis, si Antichristica doctrina nostra & Papa Antichristus & religio à Pontificibus deprauata & corruptæ sacrę ceremoniæ essent, quemadmodũ accidere potuerit vt per totum orbem terrarum nõ tantũ sub Papæ dominatu, verũ etiam in prouincijs sub iugum Pontificis non subiunctis, fides Catholica eodem pacto peruerteretur, & Romani Antichristi se Tyrannis sine communitate, sine potentia, sine externo adminiculo ad Græcos se iactaret, & venenum infunderent in eorum fidem Pontifices Romani, quos post Gregorium Magnum, vltimum Lutheri Romanum Episcopum de gubernatione Ecclesiarũ suarum reiecerunt. Vel igitur ante sanctũ Gregorium ista omnia credebantur, quæ creduntur à nobis hodie: vel recentia sunt, quæ hodie nobiscum fide sua amplectuntur Græci: & variarunt superiorum temporum fidem posteriores Antichristi & religionem atque sacramenta Christi adulterarunt turpitudine stercoreis sui: vt ex hãra sua sterminus religionis Herbrandus ructat. Verũ si omnia quæ hodie cum Græcis similiter credimus, antiquiora S. Gregorio sunt: primũ quomodo qui post Gregorium vltimum Episcopum Romanum Pontifices successerunt, facti sunt Antichristi, cùm in religione nihil mutarent? fidem Pa-

dem patrum suorum non corrumperent? relinquerent integram? quod in Antichristum Danielis & S. Pauli & S. Ioannis non congruit? nec si verum illud est, potuit quisquam Pontificum qui secuti etatem S. Gregorij sunt, esse Antichristus: nisi fortassis continuatione vt posteriores Antichristi essent priorum discipuli. Sed tum Lutherus mentietur, qui Antichristū & Papam ante S. Gregorium esse non sinit, & in illo Episcoporum seriem claudit: inchoat in Sabiniano vel Bonifacio Imperium Paparum: & ab illo initio fabricat Papas & Antichristos: & negat vel Papam vel Antichristum fuisse S. Gregorium (*Tom. 4. Latin. fol. 721. & 8. Germ. fol. 218. non ita diu ante mortem & profectiōem in infernum Anno 1545.*) Deinde si ante Gregorium Magnum fides in vniuerso mūdo splenduit nostra, cur noua omnia nostra fingitis & scelestam in nos contra cōscientiam intorquetis iniuriam? Rursus si nostra sunt nata post S. Virum, ante quem Antichristus non exitit: quis eodem modo communis Antichristus perdidit Grāciam & Occidentem? & si Romanus Pontifex fuit, quo adiumento potuit? quibus intermedijs vel rebus vel personis? Nam si accidit, postquā abstracta Grācia ab obsequio Pontificis fuit, quomodo propagarunt posteriores Papæ in Grāciam aspersiones nouas? quam non regebant? cui non suppeditabāt doctores? cum qua nullam exercebant consuetudinem? non alebant amicitiam? Si verò ante perfectum schisma Græcorum post S. Gregorium corrupit Antichristus Grāciā & is Papa Romanus fuit: Primum negāt Centuriatores, stolidum pectus: adoleuisse tum Antichristū ad absolutam speciem: sed adhuc creuisse, dum paulatim educatus à multis & corroboratus ætate numeris omnibus perficeretur. Sed quis interim perfectum Antichristum inuexit in Grāciam? & quo pabulo ibi nutritus anteuertit penè Antichristum Romanum? non tantūm doctrinæ similitudine sed etiam appetendo vniuersalis Episcopi titulo?

Deinde

Deinde adiuro Lutheranos vt quàm charam religionem habent suam, demonstrent vnum ex omnibus Pontificibus post S. Gregorium qui literam vnã religionis cõtra Antecessorem variauerit: vel ceremoniam vnã ad contrariam consuetudinem damnatam à S. Gregorio inflexerit. Veram fidem in Christum concedemus Lutheranis, si aliquid istius seriò & constanter ostendent: vel si literã vnã in doctrina Græcæ Ecclesiæ recitabunt quam cõtra superiorum seculorum fidem Pontifex Romanus mutari iusserit. An fortassis duo sunt Antichristi? Vnus, qui Romam: alter qui Græciam infecit? At hoc quàm est absõnum? quàm alienũ ab omnium hominum mentibus? & à communi intelligendi sensu? quod eoufque nemo Lutheranus dicere per verecundiam potuit? obnuntiarì duos in scriptura Antichristos: & eos locis animisque dissidentes & à se mutuò auulsos, cùm Græcus Antichristus hostiliter sæuaret in Romanũ, tamen conspirasse ad vnã religionis imaginem & ad eodẽ exemplo corrupendam in doctrina & ceremonijs fidem? Rursus igitur, Pappè, vel fides facit vel superbia Antichristum. Vtrum respõdebis: vel duo iterum erunt Antichristi: vel vnus vim suam in Græciam & Occidentem proferre vel ante vel post S. Gregoriũ debuit. Vna enim est fides Græcorum & nostra: nisi quod de processione Spiritus sancti & pane fermentato & medio consecrationis nos vestris iudicijs rectè sentimus: errant Græci: nec dissensio ista ad Antichristum attinet si Papa Romanus est Antichristus & tamen in duobus illis sentit vobiscum & cum scriptura. Superbia verò an maior apud Latinos fuit, quàm apud Græcos? an Vniuersalis Episcopi nomen ante Gregorium Magnum non fuit affectatum à Græcis? An igitur Antichristus Græciam nõ prius oppressit quàm Occidentem? & tamen isto tempore pars nulla doctrine inter Græcos & Latinos venerat in controuersiam: fides vna cõmunis erat de articulis: ritibus: ceremonijs omni-

Gg

bus:

bus: nihil vno loco credebatur, quod damnaretur altero. Nihil igitur in fide tum Antichristianum erat: vel si fuit, ex anteriori origine ducendum est Antichristi principium: ante omnes sanctos Patres, quousque de publica Ecclesia Christi monimētum in libris signatum, & positum vestigium fuit. Sic verò, quistandem Antichristus erit? cū Christi Ecclesia iisdem fidei & doctrinæ nutrimentis pasta, eodem in omnibus sensu vsque ad S. Gregorium cresceret in Græcia & Occidente.

Pontificem Romanū ipsi liberatis, cū potestatem supremam in Ecclesias omnes detrahitis & primatū ante S. Gregorium non permittitis: nisi fortè vt Lutherus, sic Papa scriptis libris omnes Ecclesias contaminauit. At is quis fuit? & vbi sunt tum scripti libri? Mittamus, Pappæ, somnia & turbulenta visa nocturna, argumenta stoliditatis vestræ: solidam veritatem inquiramus in luce librorum, in testimonijs hominum, in reliquijs Ecclesiæ. Quis igitur Antichristus Danielis & S. Pauli fuit ante S. Gregorium? Quis primo loco? quo pacto? quibus adminiculis? quibus libris? natus est? sustinuit se? propagauit? creuit? & quomodo similiter in Græcia? Oriente? Occidente? quare adolescentem ad perfectiorem ætatem nō senserunt S. Patres? vel si illorū memoria Antichristus non erat, quomodo iam est? quo indicio? Potentia enim externa & dominatus Antichristum non constituit. Deum patrum suorum non intelliget Antichristus, inquit Daniel (*cap. 11.*) & glorificabit Deum quem non sciuerunt patres eius: faciet discessionem & extolletur secundum D. Paulum supra Deum, & deficiet à fide 2. Thessa. 2. & 1. Timoth. 4: blasphemias in Deum dicet & corrumpet terram, Apocal. 13. & 19. Id cū propriū sit Antichristi istius singularis, de quo hīc tractamus: nullus igitur Pontifex Romanus post S. Gregorium: nullus ante illum, quousque S. Patrum libri & memoriæ proferuntur, Antichristus fuit: cū priorum & posteriorum fides sit vna: Deus vnus:

vnus: sensus vnus in omnibus articulis & controuersijs religionis. Cum fide S. Patrum coniungebant se Pontifices: & horum vicissim illi sequebantur communem & cum tota Ecclesia cōsentientem sententiam. Viceris rursus, Pappo, si in Iustificatione, Missa, Purgatorio, inuocatione Sanctorum, Cēlibatu & Sacramentis quę Herbrandus, fugitiuus seruus & proditor sectę Herbrandus, tanquam capita nostrę abominationis ponit, mutabilitatē in Ecclesia Christi inter antiquos omnes Patres & hodiernos Papistas vel nouitatem vnā importatam à Pontifice declarabis: non mutilandis sed in sensu natiuo relinquendis testimonijs.

Sed illud poteris nunquā: ne quidem si in tot & tam dissimile te Pappo inuertes, in quot se monstra varietatum & portenta dissimilitudinum ante obitum mutauit Lutherus. Nihil in vniuersum, quod suprā diximus, in fide Romana nostrā & superiorum ætatum post S. Gregorium & sanctos reliquos antiquiores Patres continetur, damnatum communiter ab illis: & nihil nos credimus reiectum & refutatum à S. Patribus. Itaque si tum Antichristus non fuit, ne hodie quidem apud nos erit, discipulos illorum & communi fide cōiunctos: nec erit post sanctos Patres Antichristus Pontifex Romanus, accuratē sequens & studio summo retinēs fidem Patrum & pro hac contra vos & reliquos nouatores belligerans: nec erunt Græci, nisi fortassis error de processione Spiritus sancti & fermentato pane & cōsecratione inducant Antichristum: & omnes hæretici atque schismatici sint Antichristi. Tantum enim tribus illis à nobis pugnaciter dissentiant; Speciem vnā non damnant: matrimonium Sacerdotum factum ante sacros ordines non mandant sed tolerant: mallent omnes Clericos esse virgines: primatum sæpenumero Papę Romano tribuerūt & ne iam quidem imperium in vos turbasque vestras adimūt. Illa igitur tria tantum à nobis abiungunt Græcos: & hæresis

atque schismatis ignominia notant: Antichristos non efficiūt: cū in duobus & nonaginta superioribus articulis & in pluribus (qui supersunt à nobis ex alijs libris nondum prolatis) fidem antiquorum Patrum suscipiant quam illi ab Apostolis sumptam in Græcia seminarunt & ad perpetuitatem excoluerunt.

An forsā, Pape, noua rursus illa sunt in Græcis & nobis & non hausta ex fide Patrum? Sed proposui toties & iam concludens repetam: Arrige aures, Pape: attende quid dicam: Plurima ista quæ Græci nobiscum credunt, & pauca residua quæ contra Græcos credimus, vel tradita à sanctis antiquissimis Patribus omnia eodem exemplo, sensu, modo: vel inclusa in uolucro generis: vel ducta ex concessis: vel certè quod in cælum clamo, confutata & damnata ab illis non sunt. Quod nisi pro Græcis & nobis perspicuum & luminosum faciam: perinde ut de scriptura in Epistola secunda contestatus animā consciētiamque meam fui: sic rursus hoc loco iubeo, ut perfidiæ me accuses & neges esse bonum virum. Contende igitur neruos omnes: excita curam, industriam, assiduitatem tuam: nihil intermitte: quia puros & sanctos homines inuocare nec vis nec potes, implora & appella viros perditos, impuros hæreticos: excita ex Acheronte socios: tantū dimitte Græcā Ecclesiam: quæ te sectamque tuam non roborat: sed iugulat: necat: euertit funditus: & cōsistere cum societate Christiani nominis non patitur.

Non igitur solū deinde pro orbo & ab omnibus Ecclesijs deserto Lutheranismō auxilium Græcorum non implorabis, cōsulens honestati tuæ & ex sempiterna Tubingēsiū ignominia factus circumspectior: verū in tuens in magistrōrum tuorum mendacia, quibus oculos vestros perstrinxerunt, & agnoscens vetustatem fidei nostræ & rerum in controuersia positarum confluentem inter nos & Græcos conspirationem, quam te intus agnoscere,

scere, obligatum perspicuitate clarissimæ veritatis non dubito: liberabis ipse innocētiam nostram ab Antichristi suspicione: & seruabis tandem Ementingę sanctissimę pulcherrimęque iuratum iusiurandum: & consociatus cum Christi Ecclesia, fies ex Pappo hæretico Pappus Pappisticus: similis maiorum omnium tuorum: qui annis retro mille vixerunt Christiani sanctorumque Patrum discipuli: & tandem in Christi merito possessor cęli. Vel si luctans cum conscientia & perditę conculcans spem salutis æternę, religionem Christi non suscipies & obstinatę hærebis in errore: tamen ad retinēdam laudem honestatis externę, pro secta tua nunquam exposces auxilium Gręcorum: nec isto inani ariete percuties deinde Ecclesiam Christi frustra que pudorę periclitaberis honoremque tuum.

Magis derelictus à S. Patribus & doctoribus Ecclesiasticis & contradictoribus, & Græcis, per quartum postea caput, quò iam properamus, circumferes diligenter animum, an fortassis apud magnas illas locustas, Hussium, Wiclephum & horum procreatores & propagationes comparatum dispersioni varietati que vestrę præsidium vel relictum textrinum sit, vnde suere laceratam pannosamque sectam & tanquam mendicorum pallium varijs fragmētis texere possis. De eo igitur deinde agemus.

CAPVT QVARTVM, DE HAERETI-
CIS QVOS ANTECESSORES ERRORIS

SVI ET PATRONOS FVISSE

Lutherani putant.

VT suprà contestati sumus, in re nulla quæ aliqui cōsiderationis, & posita inter nos in disquisitione sit, contra nos sentire pro Lutheranis Patrem vllum vel scriptorem receptum Ecclesiasticum: sic nunc in hoc capite confiteri palàm

Gg 3 debe-

debemus, in plurimis congruere cum Lutheranis hæreticos plurimos: & nullum penè fuisse hæreticum, de cuius errore constet; ex quo Lutherus particulam aliquam decerptam non transferret in sectam suam: tamen rursus extitisse nullum in vniuersum in ista immoderata infinitorum hæreticorum libidine, qui omnes Lutheri nugæ credulitate sua comprehenderit & non multis modis à Lutheri tota voragine & huius multiplicatis varietatibus iterum discesserit. Id vt de omnibus hæreticis hîc statim ordine demonstremus: non finit modus Epistolæ: & fiet alio loco plenissimè: Iam verò de præcipuis, de quibus bonam partem spoliolum detraxerunt Lutherani, ostendemus continuò: de Aerio, Iouiniano, Vigilantio, VValdensibus, VViclepho, Hussio: eorum neminem fuisse Lutheranum vel credidisse omnia, quæ de articulis religionis credidit arundo mobilis & corruptor religionis turpissimus Lutherus.

DE AERIO
& AERIANIS.

Equidem quod ad Aerium attinet, liquet clarissimè, antecessorem & magistrum fuisse Lutheri, tantum in quinque capitibus: primò in sententijs sex Arcianis: secundò in sublata distinctione inter Episcopum & Presbyterum: tertio in oratione & oblatione pro mortuis: quartò in ieiunio: quintò in paschate: Rursus discrepasse in reliquis omnibus: & etiã in his ipsis, cum particulariter momenti omnibus ponderantur, constantem nullam inter Aerium & Lutherum esse consensionem.

Arcianus erat Aerius vt testantur S. Basilus, Epiphanius & S. Augustinus: non negant Centuriatores: & quidem *τελειότατος*: quo eum cognomento cohonestat Epiphanius: eoque testimonia in scriptura apposita ad Trinitatem peruertere & nomen Homousij horrere debuit. Lutherus an totus intus Arcianus esset, ignoramus: nisi quòd fundamentum iecit ad melius sustinendam sectam: cum textus scripturæ Esaiæ 9 & 1 Ioan. 5 vel corrumperet vel

ret vel intercideret: & vocem *ὁμοούσιος* damnaret: & S. Trinitati preces adhiberi non ferret & Christum in officio secundum naturam diuinam subijceret patri: & S. Patrum Ecclesie que sententias & statuta ludificaret. Nam quod Esaiæ 9. in Hebreo erat *אלהים*; negabat Lutherus rectè intelligi de Deo & errasse Græcum & Latinum interpretes, qui *אלהים* pro Deo vertissent: cum illa vox apud Hebræos nō semper Deum sed interdum *fortem* significet. Sic igitur Lutherus in vertendis Biblijs non passus est isto loco filium Dei nominari Deum: & gladium qui in Arsanorum iugulum infixus erat, de manibus Catholicorum detrahere voluit: sine vilo pretextu: sine causa quæ mouere intelligētem hominem potuisset.

Falsum enim est, vocabulum *אלהים* cum sine Iod singulariter & sine appositione substantiui nominis scribitur, reperiri aliquo loco scripturæ in quo non referatur ad Deum: & quanquam esset: tamen ad dubitandum tantum, an cap. 9. Esaiæ Deum vel fortem vox *אלהים* notaret, & non ad simpliciter inficiandum sensum alterum valeret: cum verba ambigua, eo ipso quod ambigua sunt, nullam secum causam inferant, cur magis in vnam quàm in aliam sententiam accipiantur, & tantum ex contextu orationis & ex animo scriptoris per cōiecturam sumenda sit significatio. Atqui nulla hīc in verborum coherencia multo quæ minùs in aliorum scripturæ locorum conspiratione comparebat ratio, cur fortis & non Deus esset *אלהים*: & sciebat sine dubio scurra, textus omnes Græcos, Latinos, & Chaldæos loco Hebraici vocabuli reposuisse vocē Dei & nominasse filium Dei, Deum *θεός* *אלהים*: quo Hebræorum & Christianorum consensione reprimi meritò peruicacia & emendari ruditas & mitigari arrogantia Lutheri debuit: præsertim quia ex Hebræo fonte bibendam esse veteris testamenti intelligentiam toties declamat. Nisi igitur ad Arsanismum aperire viam voluit, nihil profecto causæ fuit, cur veterator audacissi-

cissimum nomenclatura Dei Christum despoliaret apud Esaiam & LXX contra scripturæ cōsuetudinem & contra naturam ambiguarum dictionum & contra versiones omnes pro forti & non pro Deo tum intelligeret, tum redderet, libidinosus & petulans vastator scripturæ Lutherus: quod ipse tandem post diuturnam aliquot annorum versionē & versionis suæ (*Tom. 3. German. fol. 183.*) obstinatam defensionem sensit (*Anno 43. Tom. 8. fol. 145.*): & oblitus superiorum annorum & versionum pertinaciam & refutans ipse impudentiam & hebetudinem suam cōtra se fatetur vocabulum LXX cū nomen est proprium, sicut esse cap. 9. Esaiæ in loco controuerso nostro palàm permittit, per vniuersam scripturam esse Deum, summa omnium Hebræorum conspiratione. Verūm quanquam errorē animaduertit: tamen in Biblijs Wittbergæ ante mortem post Annum 43 recusis non correxit, homo sceleratus: & ne quidem hodie admoniti à magistro discipuli corrigunt: sed adhuc pro virili parte tum Christum orbant diuinitatis testimonio, tum nudam ab armis quæ Lutherus surripuit, Ecclesiam Christi confodiendam nouis Arjanis proponunt: & quod omnium est mirabilissimum, non dubitant in ipsū Lutherum præceptorem & extremam illius Anno 43 emissam vocem esse contumeliosi & contra præceptoris auctoritatem defendere versionem. Id igitur primum est in quo sine dubio vel ex cæcitate hebetudineque maxima, vel ex summa vastandi scripturam libidine, vel reuera ad fulciendum Arjanismum cum Arjanis & cum Aerio consentit Lutherus, & huius progenies.

- II. Secundò, Lutherus locum 1 Ioannis 5 (Tres sunt qui testimonium dant in cælo, pater & filius & spiritus sanctus. Et hi tres vnum sunt) ex omnibus Latinis & Germanicis Biblijs erasit: sub isto solo pigmento, quòd non in omnibus Græcis manuscriptis libris extaret. Atqui si ille respectus mouit scurram ad intermittendum tam
aper-

apertum contra Arđanos tamque concinnum testimonium: cur vicissim filius perditionis rem multò minùs necessariam, appendicem orationis dominicæ (Quia tuum est regnũ &c.) tanto feruore in recitationibus omnibus retinendam esse pugnat? quæ in Latinis nostris penè nullis & in Græcis paucissimis libris ponitur? quam S. Cyprianus & S. Hieronymus & S. Augustinus (*lib. de dono perseverantiæ cap. 6.*) in Græcis exemplaribus quæ S. Hieronymus & S. Augustinus cum primis diligenter conquisiuerunt & perlustrarunt, nunquam repererunt? S. Lucas nullo verbo vel Græco vel Latino attigit? cùm contrà locus (*1 Ioannis 5.*) in Latinis innumeris & in multis manuscriptis Græcis & in S. Cypriano legatur antiquissimo scriptore (*lib. de unitate Ecclesiæ.*) Cur igitur, cùm eadem sit ratio, appendix orationis Christi relinquitur in scriptura? tollitur locus S. Ioannis? & cur, si hostis Arđanæ perfidiæ Lutherus non fuit, cùm in cursu sermonis non ferret, non ascripsit ad margiuem? testatus paucis verbis cur faceret? sed nō permisit petulantia Lutheri, qui tanquam prænuntius Antichristi, & Deum & scripturam & cælum & mundum sub arbitrium iudiciumque suum ad corruppendi & variandi libertatem subiecit.

Tertiò, vocem *δμοούσιος*, summo fastidio repudiavit III.
Arđus & ex eo Acrius: quod idem maxima rabie fecit Lutherus homo mutabilissimus, & factorum omnium ignarus asinus: non solùm reiicienda damnandaque voce (*Tom. 2. Latino fol. 407.*) sed etiam vituperandis S. Niceni Concilij Patribus, quòd extra scripturam posuissent vocem prophanam & laudandis Arđanis, quòd interpellassent S. Patres ne vocabulum prophanum & nouum vsurparent in regulis fidei. Sic enim loquitur scurra: & vult ne alijs quàm in scriptura relictis & signatis verbis mysteria fidei explanemus: Addit mendacium horrendum pinguiissimum: à multis præclarissimis Patribus vocabulum (*δμοούσιος*) non fuisse probatum: & S. Hierony-

Hh

mum

mum optasse ut aboleretur ferax veneni vocabulum: quod postremum de S. Hieronymo repetit (*Anno 39. Tom. 7. German. fol. 243.*) & dilatat adhuc impudētius, cum scribit lamentabiles literas dedisse S. Virum ad Damasum Romanum Episcopum & concupiuisse ut eraderetur vox quæ venenum occultaret & offenderet Ardanos: quorū nihil fecit S. Hieronymus: magis nomē (ὁμοούσιος) in illa ipsa epistola collaudavit & habuit pro voce sancta: dubitabat tantum de ὑποστάσεως vocabulo: quo quia δύσταν significari & latere aliquid sub externa nomenclatura iudicabat, refugiebat nomen, quousque Pontifex Romanus auctoritatem interponeret sententiamque suam: in cuius se mandato siue dici siue taceri ὑπόστασιν iuberet, libenter se conquieturum scribit, Papæ tanquam capitis Ecclesiæ Christi & iudicis in religione supremi obseruantissimus. A sinu igitur Lutherus, si epistolam S. Hieronymi legere non potuit: veterator incredibilis fuit, si cum nunquam legisset, tanquam si de libro recenseret, in luce totius mundi clamose proposuit: & post annos octodecim geminauit: tamque longo tempore nec S. viri epistolam aspexit nec ignominiosum errorem sustulit. Alterum verò de non seruanda voce, quæ non iisdem literis pingeretur in scriptura, Antilogus perpetuus & cōtradictor Lutherus (*loco proximo Anno 39.*) contra se mutauit: & permisit rursus quod Anno 21 pugnaciter negauerat ut usurpare nomen liceret, cuius significatio ex scriptura duceretur, tametsi nomen ipsum in literis sacris non extaret: tamen quia errorem nondum professus est, & videri vult in omnibus suis stabilis, & ex cælo illuminatus Doctor; & crudele mendacium in S. Hieronymum amplificauit: nos vacillantem & prodigiose secum pugnantem hominem ex errore non euoluemus.

IIII. Quartò ut Arqus: sic Lutherus Trinitatem non inuocat: & precationem quam nos Trinitati adhibemus,

(S. Tri-

(*S. Trinitas, vnus Deus, miserere nostri.*) de Litanía sua de-
leit: & omnes orandi modos ad singulares Dei vnus per-
sonas: nullum ad vnã tribus personis distinctã natu-
ram direxit: tanquam si hostis Trinitatis esset: vel vnum
in tribus personis Deum non crederet: crederet tan-
tùm tres personas.

Quintò fecit Arçus Christi personam simpliciter in-
feriorem & minorem patre. Id Lutherus non sic abso-
lutè sensit: tamen expressè scribit filij personam inferi-
orem esse patre, non natura seu essentia sed authoritate
(*Tom. 7. Germ. fol. 119.*) & errasse putat S. Patres erraticus
veterator, cùm locum 14. Ioannis (*Pater maior me est.*)
ad naturam humanam accommodant. Ille enim imme-
mor quòd symbolum Athanasij, vt Apostolici symboli
defensionem (*Anno 38. Tom. 6. Germ. fol. 536.*) magnis lau-
dibus affecisset, ad totam personam Christi reuocat &
totum Christum ratione officij minorem patre fuisse
contendit: illudens interim S. Augustino & Patribus,
qui per imbecillitatem iudicij veritatem non perspexe-
rint: quod idem in locis communibus Anno 36. Witte-
bergæ publicatis adhuc apertiùs confirmat Philippus,
cùm ait Filium missum à patre accepisse authoritatem à
patre sicut missus à mittente potestatem accipit: & sic
patrem esse maiorem filio, quia missus sit & acceperit fi-
lius à patre authoritatem eoque sit patre minor, non
natura sed officio. VVirtenbergenses verò sumptam à
Luthero delirationem longiùs adhuc propagãt & mul-
tiplicant: cùm secundum naturam vtranque Christum
pro nobis ad patrem intercedere, & simul interpellare
Spiritus sanctum arbitrantur: & sine dissimulatione
subijciunt patri filium & sanctum Spiritum. Nec enim
preces fundere ad alium & gemere & exaudiri potest
nisi subiectus & inferior. Exciderit ineptis hominibus
contumeliosa in Deum & scripturam sententia per im-
prudenciam: tamen quis Catholicus equo animo ferret?

& non vel Arjanos esse Lutheranos vel inclinare similitudine opinionum & ponendis primis rudimentis ad Arjanismum diceret?

VI. In his igitur quinque : & deinde in sexto quod de Arjanis Theodoretus (*lib. 2. cap. 31. Ecclesiast. historia*) recitat, quomodo nihil habuerint antiquius quàm despiciere S. Patres & septa omnia conuellere legum & constitutionum Ecclesiasticarum, & nouare totam ceremoniarum religionem : in his inquam Lutherani cum Arjanis omnibus in genere & consequenter cum Aerio nõ quidem in vniuersum sed tamen propinquitate locutionũ & collusione sententiarum congruunt.

Supersunt verò alia quatuor : Aerij propria : primum quòd Aerijs inter Episcopum & Presbyterum discrimen inter suos tolleret, qua eadem fatuitate oppressi Lutherani, quia vocabulum Episcopi ex natura vocis & intentione prima ad Presbyterorum officium applicari potest : putant similiter quoad secundam intentionem & Ecclesiasticum vsum vocis non discriminari Presbyteros & Episcopos : abusi per incredibilem temeritatem scriptura & aspernati S. Patrum & Conciliorum explicationes. Sed rursus Aerijs qui in re vna cõsentit cum Lutheranis, in infinitis eiusdem rei particulis continuò dissentit. Relinquebat enim Aerijs distinctos Presbyteros, Diaconos, & aliorum ordinum ministros : baptismum & sacramenta omnia per Presbyteros & non per Diaconos conferri sinebat : non confundebat cum sacerdotibus laicos : probabat ordinationem : nec vel laicum vel non ordinatum admittebat ad presbyterium : Missæ sacrificium quod *προσφορὰν* & *οἰκονομίαν τῆς λατρείας* vocat, ne quidem Diaconis permittebat : nec dissimulabat, quamquam Episcopum ipse cum Presbytero adæquaret, tamen fuisse ante se in tota Ecclesia morem antiquissimum vt differrent : in quibus omnibus in eadem controuersia, in eodem capite discessionem ab Aerio, hereticus ab hæretico

retico facit Lutherus: qui omnes ordines euertit & ex Ecclesia proijcit: baptismum & sacramenta omnia sine discrimine per laicos administrat & manibus laicorum calicem porrigit: sacerdotes & laicos vno in gradu & loco habet: ordinationes intermittit & ministris vtitur non ordinatis: Missam infectatur: coenam suam per Diaconos & laicos distribuit inter ciues: & negat ferri à scriptura & Deo sacerdotum & laicorum distinctionem: nomen Presbyteri in comunem primum sensum reflectit: nec considerat, trāsata de plebeio vsu vocabula Episcopi, Presbyteri & omnium ordinum ad nouas esse in Ecclesia significationes: cumque Superintendentes à prædicantibus dignitate & officio contra vulgarem verborum intelligentiam separet, inter Episcopum & Presbyterum stolidus truncus & hæreticus Aerij hæretici dissimilimus nihil discriminat: cum vtrinque si vulgaris & verbis impositus primus sensus spectetur, æquabiliter & Presbyter sit Episcopus & Prædicator Superintendens.

Secundò non passus fuit Aerius vt in Missa recitarentur defunctorum nomina nec omnino vt pro illis qui de vita demigrarunt, funderentur ad Deum preces & exhiberentur oblationes: quod vir stolidus frustra fieri putabat & valere ad augendam in mūdo neglectiōem pietatis. Si enim, inquit, mortui iuuantur viuorum precibus, nemo igitur sit pius: bonum opus nullum faciat sed comparet amicos quoquo modo potest vel pecunia vel autoritate & ante obitum iubeat vt pro se orent ne quid illic patiat vel ne pro maximis hinc commissis peccatis subeat iudicium: prorsus eodem modo vt Lutherus: vterque tamen mendacissimè: cum scirent non orari pro illis qui totam ætatem vixissent in despicientia Dei & contemptiōe sanctitatis, sed qui in fide & vsu sacramentorum & charitate & communitate Ecclesiæ antequam à vitijs perfectè se purgassent, amiserunt vitā. Tantum igitur per mendacia vterque sententiā Ecclesiæ ca-

lumniari sciens voluit: & tamen discrepant rursus & ab Aerio Lutherani & à se ipsis. In Apologia enim Latina, qua contegere sordes & vlcera cōfusionis obducere voluerunt, palàm eloquuntur, non patrocinari se Aerio nec prohibere orationem pro mortuis sed credere contra Aerium, orationes pro mortuis non esse inutiles (*in cap. de vocabulis Missæ*) folio, Pappe, tuę editionis 184. & 185. Id verò cū per simulationē inuerecundi homines non negent, tamen quod ex cōcessis necessariò sequitur, non concedunt: nec per stoliditatem intelligunt, si precibus nostris subleuentur mortui, non profectò futuros vel in cælo vel in inferno: quo vtroque loco fructum ex nostris precibus capere nullum possunt. Erunt igitur in intermedio loco, nondum vel recepti in possessionem cęli vel reiecti in infernum. Rursus in Germanica editione emolliuntur superiora omnia: de vtilitate & permissio-
ne orationum pro mortuis apponitur verbum nullum: nec adimitur patrociniū Aerio: sed simpliciter sententiam Aerij non attinere ad nostram cōtrouersiam significatur obscurissimè. Tanta est sectariorum incōstantia, vt quod heri in conspectu totius Imperij tanquam regulam & fundamentum fidei & purum Euangelium gloriose obiectarunt, hodie vel retractent vel nouis tenebris occultent, vel in alium intorqueāt sensum: nec tantū cum magistro & authore sectæ discipuli pugnent sed inter se discrepēt: & sicut Tertullianus antiquissimus scriptor in libro de præscriptione prudētissimè docet, etiam
 » à regulis suis inter se variant dum vnusquisque perinde
 » suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de
 » suo arbitrio ille composuit, qui tradidit: vt agnoscat
 » naturam suam & originis suæ morem profectus rei. Sic Lutherus primū Anno 23. in concione de diuite & Lazaro quæ adhuc restat in Postilla, dubitabar, rectè ne an vitio & errore pro mortuis intercederetur: tamen quia ex scriptura quid animis post obitum accideret,

deret, & an extremam iudicij diuini sententiam susceperint, non constaret, voluit vt cuique relinqueretur liberum, nec peccare putarentur qui vel orarent vel intermitterent: tantum vt semel vel bis fieret: & non nimis frequentatis precibus obtunderetur Deus: quod à Deo fastidiri & indicium esse incredulitatis si quis sæpe rem vnã in precibus ad Deum inculcet, clamat vociferator impius (*in Postille loco dicto Tomo 2. Germ. folio 453. & Tom. 3. fol. 512. Anno 22. & 23. & 28.*) Licebat igitur illis annis per Lutherum; tamen cum hæsitatione: siquidem isto loco versarentur animæ, vbi leuatio contingeret, implorare pro mortuis Deum. Verum Anno 30 in Comitijs in defensione confessionis in oculis totius mundi dubitationem tacuerunt: tantum non prohiberi à se orationes pro mortuis nec defendi Aerium qui inutiles orationes esse credidisset, ascribunt: cætera dissimulant & sic verba concinnant ac si sine dubio fructuosas preces pro mortuis esse sinerent & sentirent contra Aerium. Rursus quod Lutherani Apologiæ fabri se facere bis disertè negant: Centuriatores contra fabros fratres Aerio (*Cent. 4. fol. 401. Anno 60.*) palàm patrocinantur: & nisi circumstantijs alijs, quæ ab Epiphano & S. Augustino non commemorantur, inuoluta implicataque sit Aerij sententia, non pugnare cum sacris literis, cõfirmant: & adhuc regulæ suæ negligētior VVitenbergensium factio dum veteres à R^{do} P. Belarminio & Hansonio patefactas vanitates nouis infinitè multiplicatis mendacijs obtegere conantur, & eorum princeps Herbrandus patrocinium Aerij non iam obscurè vel hæsitanter sed apertè cõtra Patres suos arripiunt: & solum Arsanismum in Aerio culpant si Arsanus fuisset: dubitat enim contra testes sanctissimos per summam inuerecundiam Herbrandus: cetera in Aerio laudant omnes vt fabricata appositè ad scripturam: & rident Patres qui notam hæresis inusserint Aerio. Nec sufficit ista Lutherano-

norum

norum mutabilitas: sustentant fluctuationes suas & nutriunt nouis fabulis: & quòd preces Philippus & Lutherus expressè nominant & præsertim Lutherus destinatis certisq̃ue verbis orandi modum præscribit (*locis superioribus*): id deformes calumniatores ad interiorè animi affectionem distorquent contra Philippum, Apologiam & Lutherum. Philippus enim & Augustana sodalitas patrocinari Aerio non volunt & se facere constanter negant. Atqui Aerius non de latebris & affectione cordis, sed disertè de externis ad Deum fuis precibus & oblationibus Missæ loquitur. Aut igitur maximus veterator fuit VVirtenbergicis Philippus & tunc Aerio patrocinatur cùm negat: aut si vir bonus fuit, ad illam certè significationem orationis respexit, quam intendebat Aerius. Nominat autem Aerius recitationem publicam mortuorum in Ecclesia & in Missa: nominat (εὐχὴν περὶ τῶν τεθνεώτων) orationem pro mortuis, & quidem talem quam profecturi ex vita mandabant suis, & qua se iuuari credebant, vt in altera vita non cruciarentur: nominat (δέησιν) precationem ad Deum adhibitā: nominat πόντισιν τῆς οἰκονομίας: nominat oblationem pro mortuis vt Epiphanius & S. Augustinus recensent. De eiusmodi igitur orationibus & oblationibus sensit contra Ecclesiam Aerius: & de illis reprehensus est à S. Patribus: non de votis & suspirijs internis: & de iisdem loqui Philippus in partu vanissimæ Apologiæ debuit si scurra non fuit. Lutherus verò sine dissimulatione non tantùm optandam salutem mortuis sed offerendas pro illis preces monet, orandiq̃ue modum simul significat & post vnā atque alteram implorationem exaudiri nos testatur. Verba illius sunt:

„ Dieweil nun vngewiß ist vnd wir nicht wissen ob
 „ die Seel verurtheilt sey/ ist nicht sünd daß du für sie bittest/
 „ Aber auff die weiß daß du es vngewiß lasset bleiben/ vnd sprichst
 „ also: Lieber Gott/ ist die Seel in dem stand daß ihr noch
 „ zuhelffen ist/ so bitt ich wollest ihr genedig seyn. (*in ascriptis*
supe-

superioribus tribus locis. Id est, Quia incompertum est, & ne-
 scimus an iudicata anima sit, non peccas cum pro illa
 oras: sed sic vt relinquantur incertum, & in istum modum
 dicas: Rogo te DEVS optime vt animæ, si in tali statu
 est vt iuuari possit, sis propitius. Hæc Lutherus adhuc
 Anno 28: imò Anno 44, cum Postilla Wittenbergæ de
 nouo publicaretur: dubitans quidem pro libidine sua:
 tamen non optans sed orans: & sic intellexit in Apolo-
 gia Philippus & confessus est Purgatorium: vel certè vt
 de statu animarum, sic de Purgatorio illius confectario
 cum magistro dubitauit: eo quæ VVirtenbergici impu-
 denter mentiuntur qui Philippi & Aerij pro mortuis ef-
 fusas orationes, tantum vota viuentiũ & affectiones ani-
 morum esse contra fulgorem lucis publicæ, contra præ-
 ceptores suos, contra normã fidei, contra conscientiam,
 contra Centuriatores, hæretici contra hæreticos, fratres
 contra fratres, filij contra patres & matres contendunt.
 Rursus enim vel de orationibus vel de votis tantum &
 optionibus vituperauit Ecclesiam Aerius: & siquidem
 non vota sed preces reprehedit, cur VVirtenbergici con-
 tra se & contra internum animi sensum tantum menda-
 cium euouerunt? vel si vota tantum & non orationes
 Aerius insectatus fuit, cum illi vota probent, quomodo
 hæreticus non fuit Aerius? & cur illum à quo dissentiunt,
 isto eodem libro pro heretico non agnoscunt? Cur Her-
 brandus alio loco contra se societatemque suam confi-
 tetur orationes & preces pro defunctis vocasse in dubi-
 tationem Aerium? Et omnino cur Aerius non sensit quod
 Epiphanius ipsius Aerij & deinde suis verbis sensisse scri-
 bit? & testatur S. Augustinus? Aerij enim verba sunt vt
 recitat Epiphanius: Nihil boni faciat viuus, sed compa-
 ret amicos aliquos quocunque vult modo quos vel pe-
 cunia vel vt amicos permoueat in obitu: & orabunt pro
 ipso VT NIHIL ILLIC PATIATVR & vt com-
 missa insanabilia peccata nõ excutiantur: quod Epipha-

nus adhuc maiore perspicuitate illuminat, cum ad elidendam Aerij stoliditatem nihil esse putat fructuosius, nihil comodius, nihil admirabilius quam quod nominatur in Ecclesia: non tantum ut viuere apud Deum & supersites nec prorsus deletos esse qui à nobis discesserunt, significetur, sed etiam quod tamen non semper totam molem peccatorum tollat, tamen omnino iuuet oratio mortuos cum pro ijs qui peccauerunt sicut facile in hoc mundo tum voluntate tum imprudentia prolabimur, Deum inclamamus pro misericordia (*ὕπερ ἁμαρτωλῶν δεόμενοι θεοῦ ὑπὲρ ἐλέους.*) Non igitur vota sed preces impugnavit Aerius & quidem apertissime preces tales que ad mortuorum per Dei misericordiam tollendos cruciatus tum in Missa, tum extra eam emittuntur ad Deum. Quia verò non patrocinator Aerio Apologia Augustana & architectus fabule Philippus: sentiunt igitur contra Aerium: & volunt orandum esse pro mortuis, eoque simul constituunt Purgatorium.

Nec priuatas tantum preces vituperavit Aerius: sustulit & priuatas & publicas: & cum precibus profligauit oblationem & sacrificium. Nam quod vel per infinitam malitiam vel per incredibilem ignorantiam & in Apologia Philippus cum coniurata sociorum manu & Herbradus in nugis Germanicis inficiantur, pertinere Aerij hæresin ad oblationem pro mortuis tantumque referri ad nudas à sacrificijs abiunctas preces: mendacium maximum est, similem priori, cum expressè S. Augustinus de Aerio commemoret & in illius hæresi ponat, quod negauerit, orare vel offerre pro mortuis oblationem oportere: & similiter Epiphanius palam perspicuis verbis eloquatur fuisse ab Aerio in Ecclesie consuetudine damnatum non tantum quod oretur sed etiam quod offeratur pro mortuis: *εὐχεται γὰρ ὁ ζῶν ἢ ἀικονομίαν ἐποιήσει, τὶ ὠφελιθῆσεται ὁ τεθνεώσ: id est, oret viuēs vel ἀικονομίαν fecerit, quid leuabitur mortuus?*

tuus ē

tuus? In quem eundem sensum paulò antè percontatur Acrius, qua de causa nominentur nomina mortuorum? Id verò in Missæ sacrificio facere solebat Ecclesia, vt testatur tum S. Augustinus *tractatu 84. in Ioannem & serm. 32. de verbis Apostoli. & lib. de cura pro mortuis cap. 1. & 4. & 8*: tum S. Chrysostomus *serm. 3. in epist. ad Philippenses*. Morè igitur publicè Ecclesiæ per quem mortuos in Missa suo loco commemorabat & non solùm orabat pro illis sed etiam offerebat sacrificiũ & id se facere profitebatur, sicut loquitur S. Augustinus, calumniabatur Acrius: non hærebat in solis priuatis orationibus: quod Græca recitata ex libris Aerij verba perspicuè probant: cùm duo quæ pro mortuis præstari consueuerunt recenset & inter se discriminat: *εὐχεσθαι ἢ ποιῆναι ὀικονομίαν*: orare vel facere sacrum. Id enim esse *ποιῆναι ὀικονομίαν* liquet primùm ex versione S. Augustini qui sic interpretatus fuit: deinde ex ipso Epiphaniò qui tum hîc distinguit *ὀικονομίαν* ab oratione: tum non multò antè, *ποιῆναι ὀικονομίαν τῆς λατρείας* accommodat ad Episcopi & Presbyteri officium & eorũ vult esse proprium. Si igitur munus Episcopi & Presbyteri est, *ποιῆναι ὀικονομίαν* & ad eos solos pertinet: deinde si differt ab oratione: tertio si ad mortuos iuuãdos adhibetur in Ecclesia: quarto si complectitur mortuorum commemorationem: quæ omnia & Acrius & Epiphanius in vna *ὀικονομία* nomẽ clatura coniungunt: ecquænam res alia per *ὀικονομίαν* hoc loco designari quàm sacrificium Missæ potest? quod in hæresi Meletij *ἱερουργίαν* sed in oratione cõpendiosa (*συντόμῳ λόγῳ*) sub finem expressè rursus *ὀικονομίαν* nominat: remq; totam pulcherrimè collustrat cùm ait: *ἐπὶ τελευτησάντων ἐξ ὀνόματος τὰς μνήμας ποιῶνται προσευχὰς τελούντες καὶ λατρείας καὶ ὀικονομίας*; id est, defunctorũ memorias Christiani nominatim agunt & preces & cultus diuinos & dispensationes (*ὀικονομίας*) perficiunt: quo loco nihil aptius ad explanãdam Aerij sententiam & quid positum in Ecclesiæ consuetudine reprehenderit, proferri posset: quemadmodum si-

militer eum ibidem inquit: *ἐν τισὶ δὲ τόποις λατρεία οἰκονομίας ἐν τῇ πέμπτῃ γίνεται ὥρα ἐνάτη &c. ἐν ἄλλοις δὲ τόποις οὐ γίνεται λατρεία τῆς οἰκονομίας ἢ μόνον ἐπιφωσκούσα τῆς κυριακῆς*, id est, in quibusdam locis cultus œconomix in quinta fit, hora nona (in alijs verò nō fit cultus œconomix, nisi solūm illucescente Dominica) clarissimè quid per *οἰκονομίαν* intelligat, testatum relinquit. Sed quid opus est occupari in conquirenda significatione vocabuli & in peruestigāda sententia Aerij: cū Epiphanius in Anacephalæosi rem totam sic illuminet, vt & Apologia omniumque Lutheranorum effrenatam lasciuiam coerceat & impudentiam eorum qui deinde de Aërio dubitare volunt, perspicuo verborū fulgore conuincat. Nihil enim isto loco de orationibus quas Aërius vituperauerit sed tantūm de oblationibus loquitur: & sensisse Aërium cōfirmat, (*μὴ δὲν προσφέρῃν περὶ τῶν κεκοιμημένων*) nō esse OFFERENDVM PRO DORMIENTIBVS: Vbi quod in libro nominauerat *οἰκονομίαν*, hīc per (*προσφοράν*) oblationē explicat & notiori vocabulo somnatori Apologia Philippo & honoris sui contemptori Herbrando & tibi, Pappe, cæco eorum & præstigijs Lutheri illaqueato discipulo mendacium flagitiosum in os & calamum retorquet.

Est igitur *οἰκονομία* vel *οἰκονομία* τῆς λατρείας vel λατρεία τῆς *οἰκονομίας* Epiphanio, angustissimum sanctissimumque Missæ sacrificium: & sustulit Aërius non tantūm orationes *εὐχὰς, προσευχὰς, δεήσεις* sed etiam (*οἰκονομίας & προσφοράς*) oblationes pro mortuis & commemorationes eorum ad altare Dei & vniuersam Ecclesiæ Catholicæ sanctimoniam quam in subleuandis tum mortuis tenebat: errantque turpissimè Lutherani cū vel accusationem Aerij ad sacrificium pro mortuis pertinere negant: vel Apologiam in probandis orationibus pro mortuis non spectasse ad preces sed ad latentes affectiones animi & ad vota mentiuntur. Atque ista vna in re quot rursus mendacia? pugnæ? varietates? impudentiæ coaceruantur à
Luthe-

Lutheranis? Dicam breuiter in vna complexione: vt miretur lector flagitiosam inuicendiã hæreticorum. Primum mendacium est Herbrandi: hæere in nobis crimen quod Acrius patronus Lutheranorum obiecit ætatis suæ Catholicis & nostros adhuc hodie, sicut Acrius recitat, cohortari suos in concionibus, vt in vitæ huius cursu abijciant studium virtutis: tantumque in curam istam incumbant quemadmodum morituri pecunia parent vel constituent amicos qui orent ne mortui in vita altera pœnam pro peccatis subeant. Id tantum tamque scelestum mendacium est vt solum existimariõnem vniversam Herbrandi & sectæ Lutheranæ nõ commaculet, sed vna oppressione deleat. Secundum mendacium est commune omnium: cum oblationes pro mortuis vrgeri à nobis fingunt ad ventrem pascendum. Tertium Herbrandi & aliorum tum mendacium est tum discrepantia: quòd interdum Arçanum fuisse Acrium ex Epiphanio concedunt; (*Herbrandus contra quæstiones Reuerendi P. Schereri fol. 113.*) deinde rursus obscurat & in dubitatione ponunt (*in sartoria defensione miserè consuti pallij fol. 20.*) Quartum iterum est Herbrandi: qui Acrium non solum propter quatuor quæ diximus, sed propter Arçanismum à S. Augustino & Epiphanio inter hæreticos ascriptum & damnatum, dissentiens à cõscientia sua cõstituit.

Arçanum fuisse Acrium liquet clarissimè cõtra omnium dubitatorum hæsitaciones: sed eam ob causam nec S. Augustinus nec Epiphanius hæreticum Acrium fecerunt: cum iam antè in Arçanæ sectæ inuolucro inclusus & cum Magistro propter Arçanismum damnatus esset: Alioquin quid opus erat, abstractum ab Arço, cum quo consentiebat, collocare in singulari capite Acrium? & ab eo tanquam à principio ducere sectam nouam? Non igitur vt asseclam & assensorem sectæ veteris sed tantum vt authorem nouæ delirationis, & (*περιττότερον δογματίζοντα,* vt Epiphanius inquit) lōgius opinionibus nouis euagan-

tem, qui aliquid contra antecessores suos nouasset, posuerunt Aeriū: sicut Epiphanius cū Arsanū fuisse cōmemorasset, nō Arsanismū isto capite refutauit sed tantū quatuor capita, in quibus dissidēs à Catholicis & à magistro, nouis stimulis infoderat Ecclesiam. Quintū turbulentum iterum & dissimile secumque non consistēs turpissimū mendacium ad omnes sed primū ad Apologiam pertinet: cū Aeriū non contra orationes sed contra oblationes pro mortuis pugnasē fingunt: & sententiam ex Epiphanio hausisse videri volunt, nugatores ineptissimi. Sextum est Wirtebergicorū proprium: Philip-pum cū de Aerio loqueretur & orationes vtilēs esse sinneret, non ad cōmunem notationem quam vox habet, sed ad vota & interiores affectus intendisse animū, & deflexisse de natiuo sensu dictionem vsitatam. Septimum proprium rursus Herbrandi est: Apologiam dum patrociniū Aerio suū accommodare non cogitat, non ad rem propositā que tum disceptabatur, & quam ipsa Apologia bis nominat, & ab Epiphanio reprehensam in Aerio fuisse testatur, sed ad Arsanismū respexisse, de quo tum nihil fuit quæsītū: & cuius mentionē non attigit Apologia. Epiphanius testatur (*sic Apologia*) Aerium sensisse quōd orationes pro mortuis sint inutiles. Id reprehēdit. Nec nos Aerio patrociniamur. Reputēt igitur Lutherani turpitudinem falsitatis Herbrandi: & existiment secum, quid homini tribuendū sit; qui sententiā proximē antegressam abrumpit & magistrū suū fabrumque confusionis mauult scurrā & asinum facere quā confiteri, quod res est, & quod sine leuitate extrema dissimulari non potest. Octauum & Nonum & Decimū mendacia, partim communia, partim priuata sunt propugnatoris Herbrandi: recitationē mortuorum fuisse S. Augustini ætate tantū cōmemorationem & gratiarum actionē: posteriores verō & præsertim S. Gregoriū, ex hebetudine, & ex diaboli dictatione, cū, quid offerre esset, non per-

perspicerent, transfuisse ad sacrificiū: cū ipse Acrius apud Epiphaniū & præterea S. Augustinus & Epiphanius iisdem locis contrariū clarissimè testentur. Acrius enim expressè, quid in Ecclesiæ cōsuetudine carpat, magnis & significatibus verbis ascribit, cū finē orationis ad quem spectatur, calumnians quidē, tamen non obscurè proponit, & orari inquit pro mortuis, vt nihil post mortem in altera vita patiātur, nec propter insanabilia in cursu præsentis vitæ patrata peccata sub disquisitionē subijciantur: quo quid potest esse illustrius? Augustinus verò in questione 2. ad Dulcitium & in Sermonē 32. de verbis Apostol. & in libro de cura pro mortuis, supplicationes pro mortuis: mortuorum in precibus sacerdotis ad altare commendationes: orationes: oblationes pro spiritibus dormientiū: centies inculcat & fructum quem suppeditant, palàm ascribit: nimirum vt profint defunctis: vt releuentur animæ defunctorum: vt verè adiuuentur mortui: vt acquiratur spiritibus requies: quæ omnia S. Vir in libris passim interponit: Addit expressè tract. 84. in Ioannem, Sanctos mortuos ad mensam Domini non commemorari vt cæteros: vt etiam pro illis oretur sed magis vt ipsi pro nobis orent. Sic Epiphanius in eo capite, de quo agitur & in loco quem Herbrandus (*contra questiones fol. 112.*) inchoat sed in medio cursu malitiosè resorbet, continuò publicè cōcedit, prodesse preces viuorum mortuis etiam si totam culpam non tollant: & pro peccatoribus in clamari misericordiam Dei: pro sanctis vero gratias agi: quæ omnia quia sciebat & legerat clamor in totū mundum, FLAGITIOSVM CALVMNIATOREM ET BONVM VIRVM NON ESSE HERBRANDVM: qui cū contra conscientiam, contra cælū & solem occultaret Epiphaniij verba, & quid pater optimus intēderet, perspectū haberet: tamen ad contrariā sententiam tacēdo textu contorsit: & quod vix crederēt Lutherani, subiēcit, id quod scribit Epiphanius

nius

nus reprehēdi à nullo. Atqui tū, cur inficiatur Herbrandus orationes pro mortuis? cur oblationes? cur purgatoriū? nisi fortè de mutilata, nō de tota sentētia Epiphaniij loquitur: sed id cuius est pudoris? & an incredibilis veterator nō erit Herbrādus? Vndecimū multiplicatio est prioris ab eodē patre Herbrando; Monicā matrem S. Augustini nihil petijisse nisi vt inter sanctos patres nomē eius in cœna ad gratias agendas Deo recenseretur. ô cœlum ô terra: istos homines ferri in cōmunis lucis vsura. S. Augustinus disertè & matrē recitat petijisse vt vbicunque futuri essent filij, matris meminissent ad altare Dei, & quomodo satisfactū mandato sit expectationiq; matris, explicat: cū inquit pro matre oblatū esse sacrificiū pretij nostri, & se tum gratiam habuisse Deo pro sanctè gesta vita, tum pro peccatis illius post mortē rogasse vt si quæ restarēt, dimitterentur: quō etiā omnes qui libros illius legent, precibus sollicitat vt orent: & causam ascribit, vt vberius matri præstetur in multorum orationibus, quod egressura ex corpore postulauerat à filio. Quid igitur cogitauit Herbrādus cū oblatū fuisse PRO MATRE: & interuenisse preces ad ignoscendū peccatis mortuæ negaret? & dissimilitudinē nostræ & antiquorū oblationis fabricaretur? & tam arrogantē fingeret S. matronā vt inter Excellentes sanctos & reponi se & prædicari iuberet, nec exspectaret de se iudiciū Ecclesiæ? Increpet te Deus, Herbrāde. Duodecimum, decimum tertium, decimum quartū & decimum quintum mēdacia attingunt Lutheranos omnes: Lutheranā celebrationē cœnæ nominasse veteres sacrificiū, nec sub istā vocē subijci notionē aliam quā solam distributionē specierum: & S. Augustinum dubitasse de Purgatorio: & tantū duo reliquisse loca, in quibus animę ante extremū iudicium cōmorentur; & apud patres ex Platone vel diaboli nocturna illusionē creuisse Purgatoriū: quas nebulas ego iam in veteri contra Herbrandū bello, vnde tam turpiter profugit, dilic-

difficili. Decimum sextum tandem mendaciū & tanquam aliorum complementū est: quòd concessis superioribus nostris omnibus, & tamen inde nō rectè arbitrantur inferri purgatoriū: quę postrema est in hoc loco Lutheranorum ridicula iā satis exagitata stultitia. Tot igitur & plura quę tēdio fatuitatū iam non tractabimus ad defendendum Aeriū & ad excusandā Apologiam & ad conglutinandas Lutheri & Lutheranorū dissimilimas varietates cōportanda fuerunt mendacia, vt se ex implicatione, inquam ex Philippi audacia societas influxit, euoluerent. Interim & cōflictus suos quo in sese & in magistros mutuò sauiunt, in maiori lumine collocāt: & simul ne quidem ab Acrio seiunari demonstrant: si oblationem pro mortuis non euertit & mortuos ad altare Domini in sacrificio recitauit Acrius; quod facere debuit si simpliciter preces tantū negauit Acrius: cū Lutherus & ab eo procreati discipuli, nec Missam nec in illa commemorationem mortuorum, nec oblationem admittant: preces vel cum dubitatione relinquunt, vel sine dubitatione concedant, vel orationes tanquam vota non prohibeant. Ne quidem igitur in ista controuersia Acrius Lutheranus prorsus est: sed sumptam ab Arzano hæretico peruersitatem multò longiūs & ad multò turpiorem fœditatem extulerunt Lutherani. de quo satis hactenus.

Tertiò in ieiunio similiter Lutherani simij sunt Acrij: & quēadmodum ille mādāta statis diebus & per totā Ecclesiā consentaneè celebrata ieiunia dānauit: sic Lutherus ex initijs Acrij primū progressus, ieiunia profligauit: tamen nec eodē modo nec ex ijsdem rationibus. Acrius enim solā furori suo libertatem Christianā prætexebat: Lutherus verò simul spē meriti, quam de ieiunijs Ecclesia Christi ex sponsi benignitate cōprehendit, libidinosè reiecit, & inde calumniandi occasionē arripuit. Deinde volebat Acrius vt interdū ieiunaretur: idq; factis in ho-

minū conspectu præstitit : & sæpe cum suis quarta die ieiunitati operā cum Catholicis dedit: Lutherani verò ab annis iam septuāginta sex, quā diu secta peruagata per mundū fuit, liberè se p arbitrio facturos spōdent: tamen nullū adhuc eousq; posuerunt exemplū. Tertio Aeriani simul ἀποτακτικὸν τρόπον vt Epiphanius ait, vel vt ex Philastrio & alijs S. Augustinus explicat & ipse Philastrius cōfirmat, abstinentiā in re propria nulla possidenda & in vitandis cibis & nuptijs sectabantur: tamen simul ad despectiōnē Christianorum diffuebant luxu, cū in Ecclesia ieiunandū esset: Lutherani de vita renūtiatoria & cōmunitate possessionū & abstinentia vel in victu vel in matrimonijs nunq̄ cogitant: in posteriori tantū parte in Luxuria & deuorādis carnibus imitātur Aerianos. Quarto in ieiunio cum Aerio nihil participare Lutheranos, mētiens quidē, tamen contra seipsum scribit Herbrandus: & Aerianorū crapulā putat à suis esse alienissimam. Rursus igitur & similes & dissimiles Aerianorū sunt Lutherani & illis multò peiores: vt nihil dicā de nouis Herbrādi & aliorū maximis decē in re vna mendacijs. 1. Montanum secundum Eusebiū solennium esse ieiuniorū authorem: quod in os Herbrandi reieci; (*in Analyfi fol. 191.*) Secundò, quæ Ecclesia ad ornatū & ordinē constituit, esse traditiones hominū de quibus Christus agat Matth. 15. Tertio Ecclesiā non habere facultatē mandandi vt res tradita in literis sacris certo tempore à Christianis pariter omnibus obseruetur. Quarto ieiunia ordine distributa & cōmuniter atq; cōsentienter ab omnibus Christianis frequentata nominari à S. Paulo diabolicā doctrinā: quod diabolus per calamū Herbrādi administrū fraudis suæ in mundum euomuit. Quintò meritū ieiunij pugnare cum passione Christi & esse Antichristianismū. 6. verum & perfectū ieiunium cōsistere in sola interiori abstinentia à vitijs. 7. cū ab usio Ieiunij culpatur à Deo, reprehendi ieiunium. 8. ieiunia Catholicorum & præsertim Ecclesiastico-

flico-

sticorum esse crapulas, & cum ventres inferiuntur piscibus & vino, sperari à nobis ex Ieiunio meritum. 9. dissimilitudinem ieiunandi in prima Ecclesia valere ad ieiunium tollendum vniuersum. Decimò abstinentiam à carnibus non esse vllò modo ieiunium. quæ hîc non exaggerabo: & attentè expectabo vt prodiens aliquis Goliath Lutheranus gladium insani oris in me vibret, & ista confirmari iubeat. Tum enim omnia tractabo fusiùs: sufficiat iam dissimilitudinem artigisse breuiter quæ inter Aerium & Lutheranos intercurrit.

Quartò, vt nos ex Aerio tandè expediamus, Paschatis celebritatem iudicauit alienam à Christianis: cum Pascha nostrū Christus immolatus semel sit: antiquum autem pascha ad Iudæos & nō ad Christianos pertineat: vbi paulò modestiores sunt Lutherani & propter tranquillitatem seruandum esse paschatis festum asserunt: tamen ne cuiquam sit fraudi si sine offensione violet. Nec igitur cum Aerio prorsus conueniunt qui tanquam Iudaicam fabulam nullo modo tulit: nec in principio suo inhærent Lutherani: cum propter partam à Christo libertatem ad certum ieiunium astringi neminem patiuntur ne quidem si pro re libera habeatur: Tamen rursus ad festorum obseruationem, etiam cum sine scriptura imponuntur ab Ecclesia & non mandantur in libris sacris, ipsi se propter ordinem & pacem obligant: tantum ne peccent qui sine scandalo legem dissoluunt. Cur autem ordo & pax retinet festa? non retinet ieiunia? ne quidem adhibita correctione? & ne quidem istius modi ieiunia quæ in scriptura iubentur?

Sed concludamus Aeriū: & clamemus, Pappè, quanta in sex prioribus cū Arçanis omnibus: & in postremis quatuor cum solo Aerio cōuenire Lutherani: & ex illis particulas opinionū surripuisse Lutherus ad coagmērandam furialē sectā & ad omnibus flāmis inferni incēdendū mūdū videtur: tamē in capite toto nullo solidè cōsentire

cū eo Lutherū qui semper aliquid adiecerit: detrax erit, amplificaerit: imminuerit: correxerit: sic vt per fugiū in Arjanis & in Acrio residuum vobis relictum nullum sit.

Tametsi verò cum Acrio (de Arjanismo enim minus estis solliciti) in vniuersum opinio cōgrueret doctrinaq; vestra: quid inde premij Pape? quid leuamēti expectares? Nimirū Arjanus vnus & pro heretico reiectus & condēnatus à S. Patribus stare cōtra omnes Catholicos pro Lutheranis? & diceret testimoniū contra Ecclesiā Christi? Et hereticus publicus quid de ordinū distinctione in Ecclesia, quid de oblatione & oratione pro mortuis, quid de ieiunio, quid de paschate sentiendū ex sacris literis esset, intellexisset in tenebris erroris & in laqueis Diaboli perfectiūs & puriūs? quàm potuerunt rectores Ecclesiæ & Catholici patres in lumine Spiritus sancti? & in amore Christi? & errasset vniuersa Ecclesia? non errassent heretici? Quid, Pape, in animo tuo intus sentis? cogita an probabile, an simile vero, an in sola humana nondum illuminata intelligentia credibile sit, consentaneam esse scripturæ sententiā quæ primū à damnato heretico excogitata & sparsa: à nullo Catholico recepta sed per summā detestationē reiecta semper fuit? & rectè intelligi ab hereticis sacras literas ad istū sensum, quē Catholici & sancti maximiq; viri & martyres Christi non perspexerunt? id est, patefecisse Diabolū & libidinē tumultuantis humanę rationis veritatē, quam collustratio Spiritus sancti opertā caligine & obscuratā tenebris reliquerit in S. Patribus & viuīs Christi mēbris? & acutiūs vidisse veritatem & intellexisse planiūs scripturam hereticū in nocte Diaboli quàm potuerūt sancti in luce Dei & Ecclesię? Nihil igitur vobis, nihil sectæ vestræ opitulatur hereticus Acrius, cū vobis cū cōspirat: perdit magis & damnat & erroris conuincit. Audi enim Pape quid dicam & quid consulēs imbecillitati tuæ, inclusum in forma argumentationis de Acrio considerandū tibi relinqā: vt intuens
in per-

in perspicuitatem ratiocinationis non iam te à sodalitate Aerij sed à mendacijs Lutheranis libera. Audi igitur.

Quæcunque sententia cùm in tota Ecclesia valeret reprehensa ab hæretico primùm: sed à Catholicis retenta semper defensaque fuit: cuius falsitatem hæretici perspexerunt: Catholicus nullus perspexit: ea assentiens scripturæ & vera Christi que doctrina est: falsa non est: tametsi falsa esse & dissidere à scriptura dicatur.

Atqui tales sunt sententiæ S. Patrum: de ordinum distinctione: de oblationibus & orationibus pro mortuis: de solennibus ieiunijs: de paschate: in quibus primus Aerius hæreticus animaduertit falsitatem & aperuit: quam S. Patres non solum ruditate sua non assequerantur, sed etiam quò magis impugnabat Aerius, hoc maiori studio defendebat.

Veræ igitur sunt & cum scriptura conuenientes S. Patrum & nostræ sententiæ: & falsæ sunt fatuitates Aerij & vestræ: & vestræ quidem tantò magis quò ex Aerij initijs primùm progressæ, deinde à vobis ad maiorem absurditatem cumulatae & prouectæ multò longiùs sunt: vbi nihil vos subleuat tametsi totam scripturam ad sententias singulas maximis literis ascriberetis.

Illud interim concoque, Pappè, & consue tum Aerium, tum ab eo profectas delirationes dimitte: tamen conuoca socios: suscita curas omnium: iube vt acies ingeniorum & lectionum memorias & vim studiorum tecum congregent, an pigmentum aliquod reperiri possit quod vlcus vestrum non quidem sanet sed tamen te-

DE IOVI-
NIANO.

gat & externa aliqua dignitate cohonestet.

Quod verò de Acrio ostendi, id eodem penè modo ad Iouinianum pertinet. Nam vobiscum virginitatem adæquat matrimonijs eoque calibatam & præterea ieiunia meritaq; tollit: sed rursus à vobis in multis discedit: secutus vt Centuriatores ex S. Hieronymo referunt, hæreticum Basilidem: & peruertens scripturā & factus apertus etiā à vobis repudiatus hæreticus: cū omnia peccata esse æqualia: semel baptizatos non relabi in peccatum: & virginem non permansisse Diuam Mariā impurus Manichæus doceret. Vester igitur totus non est: & rursus quanquam esset, tamen quia hæreticus & reiectus ab Ecclesia fuit & tum Augustana confessio & Apologia cum illo iunctæ esse non volunt, tum Centuriatores hæresin apertè confitentur & tu, Pape, inter hæreticos in indice ponis: nullum vobis etiam in illis, in quibus vobiscū sentit, ferret præsidium: iugularet magis totam sectam vestram tanquam inuentam & excultam ab hæretico & vituperatam à S. Patribus & tota Ecclesia Catholica quæ tum erat.

Interim cum Herbrando congruit propiùs Iouinianus, quàm cum Lutheranis alijs. Nouum enim errorem viciniorē Iouiniani stultitiæ reuocauit ex inferno Herbrandus, & dilatauit infans senex turpitudinem sectæ; & petulans filius cōfectum deletumque bellum resuscitauit contra matrem: cū in puerili concussione turpiter coherentis Lutherani pallij, meritum prorsus nullū permitteret; immemor fidei suæ & oblitus, quæ admodum mater Apologia quæ primo cōpressa Augustæ & rursus grauidata VVittebergæ Lutheri & Philippi nouis mēdacijs post comitia statim Augustana fuit, in tua Pape, editione fol. 64 operibus fidelium proponi & promitti præmia: meritoria esse bona opera nō remissionis peccatorum sed aliorum præmiorum corporalium & spiritualium in hac vita & post hanc vitam: & habituros singulos mercedem iuxta suū laborem: & mereri iustificatos magna

gna

gna præmia concedat: quæ omnia liberaliter semel tantum largitur Apologia impressa prima: reliquæ rursus occultant: Herbrandus iam palam eripit: & contra normam sectæ totam vim meriti nostri enervat, & vel matrem Apologiam veteris stupri accusat vel ipse nouum matri stuprū offert: delirus & cæcus hæreticus: qui quid meritum in nobis sit: & quo respectu consistat: & quo pacto non attenuet sed augeat meritum Christi: ne quidem cum maximis literis inscriptum est in scriptura, intelligere vel per ruditatem non potest, vel non vult per malitiam: quod postremum est credibilius propter perpetuas corruptelas quæ in libris illius sunt: cum testimonium nullum Patrū sine deprauatione recitat vnquam: & hoc ipso loco integram S. Augustini sententiam non ponit: quod si fecisset, aperuisset vanitatem erroris sui. Non enim S. Vir coronari in nobis à Deo dona sua tantum scripsit: sed eadem dona continuò sine interpositione vocis vllius MERITA NOSTRA nominauit: quo sensu Catholici omnes ex merito Christi & beneficentia Dei tanquam ex fonte merita nostra deriuant & Christi plenitudine nutriunt: nec tanquam nostra vel tanquam ex nobis nata valere sinūt. Verum in omnibus vel incidere atque mutilare veritatem vel omnino peruertere Lutherani debent: vt tum hîc Herbrandus, tum alibi Augustana mater omnium vanitatum Apologia & post eam tota VVirtenbergensium concinnatorū societas contra P. Belarminiū & Hansonium præclarè de eodem Iouiniano mentiuntur, cum eius ætate legem de perpetuo cælibatu sancitā fuisse negant. Sic enim Apologia sine testimonio: VVirtebergensis verò congregatio ex Socratis lib. 5. cap. 21. proponit: in quo rursus quot mendacia concurrāt, breuiter animo perlustremus. Primum nihil dicā de Paphnutio quem in delicijs habent: ex cuius ore apud Socratem & Sozomenū Niceæ in cōcilio profecta publica vox, de quâ tot triūphos hætenus egerūt Lutherani,

rani, damnat omnes in sacerdotio consociatas nuptias: & testatur antiquam esse & diu ante cōcilium multoque diutius ante Iouinianum antegressam Ecclesiæ traditionem (παράδοσις) vt sine vxoribus facti clerici perpetuò sint cælibes: Deinde non attingam concilium Ancyranum, quod clericos omnes maiorū ordinum, nisi in prima ordinatione disertè repugnent, ad degendā in perpetuo cælibatu vitam astringit: Nec Neocæsariense, quod presbyteros, si vxores ducant, ab ordine deponit: nec Nicenum, quod ne quidem ascititiā mulierem sacerdoti relinquit: nec Romanū, quod aperte vetat ne sacerdotes vel subdiaconi cogitationē vllam de nuptijs suscipiāt: quæ omnia octuaginta & septuaginta & sexaginta annis Iouiniani ætatem antecesserunt: nec cælibatum monachorum qui trecentis annis & amplius ante Iouinianū in Ecclesia floruit: nec similia cōmemorabo, quæ in magna luce historiarum & scriptorū versantur. Tertio nihil de Epiphaniō ascribam, Iouiniani equali, qui aperte canonis meminit: & peccare contra Canonē sacerdotes qui vxoribus vtuntur, confitetur: Nihil etiā de Iustiniano Imperatore: qui quāquam posterior Iouiniano, tamen canonem Nicenū (in *Aurbent. const.* 123.) pro cælibatu interpretatur & ne quidem prius ductas vxores clericis superiorum graduum (*constitut.* 6.) permittit: nisi etiā ipsæ castitatem eligant: & ab Episcopis simpliciter omnē remouet foeminarū consuetudinē & vsum; idque se facere secundū sacros Canones passim gloriatur. Ista igitur omnia prætermittā: agam propius cū impudentia Lutheranorū, vt melius aspectetur mendaciū. Siricium Papā Osiāder vnus ex ista societate sine dissimulatione fatetur & clamāt Centuriatores & vociferantur Lutherani omnes, primum omnium interdixisse sacerdotibus cōiugium. Id si verū est; cū vixerit Siricius Romæ cum Iouiniano & cum Anathemate percussim cū socijs eiecerit ex Ecclesia: qua frōte, etate Iouiniani nullā de cælibatu extitisse legē mentitur Apologia? descen-

defendunt VVirttembergenses: tantoque magis quòd Iouinianus apud S. Hieronymum ipse Lutheranis iugulū totum incidit, cūm profiteretur Episcopum esse nō posse, qui in Episcopatu progignat liberos: Mendacium igitur primum est Apologia, quòd ætate Iouiniani nullam de cælibatu perpetuo latam legem, nec damnatum fuisse tunc matrimonium Sacerdotum tanta asseueratione contendit: cūm id diu factum ante Concilium Nicenum sub initium nascētis Ecclesiæ, & tantūm cūm per hominum negligentiam intermitteretur, suscitatum rursus summa religione grauitateq; maxima à Siricio in oculis Iouiniani Romæ, & receptum esset in omnibus Orientis, Aegypti & Apostolicæ Sedis Ecclesijs, vt S. Hieronymus lib. 2. contra Vigilantium meminit: & repetit bis in Apologia pro libris cōtra Iouinianum, cūm Episcopos ait & Presbyteros & Diaconos non adhiberi ad sacerdotium, nisi virgines sint vel vidui, vel certè post sacerdotium **I N A E T E R N V M** pudici, & castrent se ab vxoribus vt virginum castitatem imitentur: quanquam interim conqueritur lib. 1. contra Iouinianum accidere per canonum neglectiōē & raritatem virginum, vt interdum initiētur mariti: cūm alioquin contingere foeminas sacerdotibus, qui ad perpetuas orationes destinati sunt, non liceat: & præsertim cum muliere comprehensus Episcopus pro more istius ætatis non vt virteneatur, sed vt adulter damnetur. An igitur lex adhuc imposita & decretum constitutum nullum de sacerdotum cælibatu fuit?

Secundum mendacium, refutatum ab ipsis VVirtbergicis ponitur eodem loco in Apologia: cōiugia sacerdotum non esse hæresin Iouiniani, nec inuexisse nuptias in Ecclesiam Iouinianum. Etsi enim, quod S. Hieronymus innuit, non concessit Episcopis nubendi licentiam, rudis vir, & nō attendens quid diceret: tamē quia Papa Siricius pudicitia aduersarium, & magistrum luxuriæ, & peruersorem continentia veteris & noui Testamenti: S. Ambro-

L1

fius

sius, & qui cum illo erant Episcopi, violatorem castitatis,
 & detractorem virginitatis, & turbatorem ordinum om-
 nium nuncupât; deinde quia matrimonium Iouinianus
 sine differētia adæquabat virginitati, & laxabat vota; iam-
 que paucos Sacerdotes, & præsertim Sanctimoniales æta-
 te affectas, ad foeditatē sectæ pellexerat, vt profugientes ex
 monasterijs accurrerent ad nuptias: & nisi cōtinuò res in
 notitiam Pontificis influxisset, sine dubio corda multorū
 simpliciū, sicut Siricius loquitur, quæ sagitta sua vulnera-
 uerat, traxisset in ruīnam: tertio cū Iouinianus ipse, nō
 quòd votum magni faceret, sed quòd nuptiarū molestias
 ægrè ferret, abstineret à coniugio: quomodo matrimonia
 sacerdotum, quæ Siricius publica lege profligauerat, non
 concessit? Et quomodo alienum ab hæresi illius coniugiū
 Sacerdotum fuit? tametsi nulla lex de perpetuo cælibatu
 extitisset: & tantū, sicut ex Socrate VVirtenbergici refe-
 runt, illustres omnes Presbyteri & Episcopi in Oriente,
 sponte sua abstraxissent se à nuptijs? si enim non legem,
 tamen consuetudinem omnium ILLVSTRIVM sa-
 cerdotum, tum in Oriente, tum sub Sede Romana Apo-
 stolica turbasset: & viam ad nuptias, contra morem pu-
 blicum, aperuisset Iouinianus: omninoq; pertineret ad e-
 ius hæresin coniugium sacerdotum: non quòd primus au-
 thor esset, sed quòd tractam à Basilide, & rursus confopi-
 tam ab Ecclesia lasciniam renocasset ex sepulcro, & tran-
 stulisset ad nouam vsurpationem. Verū non tantū ar-
 bitrarium liberumq; cuiq; sed fixa descriptaq; lex ab Apo-
 stolis, & renouata à Cōcilijs, & Romanis Pōtificibus fuit,
 ne nuptias sacerdotes inirent: idq; Iouinianus abrogauit,
 nihil inter matrimonium & virginitatem discriminans,
 & incidens vota, & ad laudem virginitatis attollens nu-
 ptias. In hæresi igitur Iouiniani includitur coniugium
 sacerdotum: & docuit Presbyterorum nuptias, vt VVir-
 teti-

tenbergici disertè profitentur, & damnatus est Iovinianus à Siricio propter Clericorū connubia: tum directè & apertè in lege communi: tum consequenter in Epistola ad Ambrosium.

Ad illa verò fulcienda Apologiæ mendacia, quot falsitates novas, quot in propria viscera pugnas & sæuitias comminiscuntur VVirtēbergici? quot fabulas apponunt, vt matris deformitatem appictis fucis inobscurent? Primum inquit, Ecclesiam nunquam prohibuisse coniugium Clericorum: fecisse Antichristum Papam: nec Ecclesiam consensisse Græcam: quæ tria sunt illigata & in-nixa in paucis verbis, putida mendacia maxima: vbi, quod primum sub nomine Catholicæ Ecclesiæ diuerticulum ad elabendum quærunt, ridendum magis quàm confutandum est: cum Apologia non de Ecclesia, quæ Lutheranorum libidini Catholica videretur, sed in genere de totius mundi ambitu, & de tota per orbem terrarum fusa Christi Ecclesia loquatur: & absolutè neget, extitisset um vllum de coelibatu mandatum: quod sæpe iam confutauimus. Nec verum simpliciter est dissensisse Ecclesiam Græcam, quæ, vt diximus, nuptias Sacerdotum laudauit nunquam: permisit tantum priorum nuptiarum vsum: non semper: nec statim post Apostolos, sed post Sanctos multos Patres, labante iam & extabescente veteris deuotionis studio: & cum virgines, multiplicatis Ecclesijs, non sufficerent: vt Epiphanius & Sanctus Hieronymus indicant. Quod verò ab Antichristo Papa originem nouæ, consuetudinis confectantur, quàm est puerile? cum ex testimonio Socratis, quod mutilatum apponunt, liquidò conset, fuisse per Thessaliam, Macedoniam & Hellada sancitam legem publicam, vt qui cum vxore concumberet Clericus priuaretur officio. Prohibuit igitur Ecclesia, quæ per Thessaliam & Græciam erat, coniugium. An igitur illi ab Antichristo Papa corru-

pti: & an potentia illius iugoque repressi fecerunt? At quis Antichristus Papa fuit, qui contaminauit Græciam, & in partem regni proferre dominatum potuit? non potuit in Orientem totum? Quis igitur tandem fuit? quo nomine? An Siricius? qui Osiandro & Lutheranis primus interuertit Clericorum connubia? Sed quid accidet Luthero, qui Antichristorum initium orditur à Bonifacio Papa? terminat Episcopos Romanos in Gregorio Magno, Siricij post annos ducentos successore? Antichristus igitur Papa per vim in Græcia non prohibuit: fecit Ecclesia Catholica: tum iussa ab Apostolis: tum commonita rursus à capite Ecclesiæ Papa Romano: si quando Clerici infossi à carnis stimulis in seruanda veteri traditione vacillarēt. Falsa igitur tria sunt, quæ VVirtenbergici ad sustinendā matris Apologiæ ruinam tanquā fulcra fabulæ subiecerunt: vt similiter quartò & quintò mentiuntur cū à S. Hieronymo & à patribus Societatis Iesu interdicti castitatē concludunt, & Paphnutio affingunt, quasi castitatem definiuisset esse matrimonium: quod si fecisset, virginitatem, quam in definitione castitatis non esset complexus, à castitate seiunxisset: quod certè non voluit fictus à Socrate & Sozomeno Paphnutius, sed tantum cōmixtionem viri cum vxore legitima castitatem esse dixit: non vt matrimonium castitatis, sed vt matrimonij castitas genus esset: & tum à virginitate, tum à matrimonio participaretur castitas: quod tamen consideratè posuit: nec ad omne matrimonium accommodauit castitatem, sed ad matrimonium solum vxoris legitimæ: negauit verò statim legitimam esse vxorem quam duceret Sacerdos. Non igitur S. Hieronymum & Iesuitas, sed VVirtenbergenses fratres pudere maximæ falsitatis & impudentis mendacij debet: qui tot vanitatibus tamen non contenti attexunt adhuc plura: quæ breuiter percurremus. Addunt enim sextò & septimò, S. Gregorium absoluisse presbyteros à voto, quod coacti vel imprudentes emiserūt in ætate prima, cū ser-
uare

trare grandiores facti nō possent: & esse S. Vlrici Epistolam quæ circumfertur: quod vtrumque monstrum confecimus in capite primo: nec hīc aliud repetimus, nisi magno cum animi horrore mirari nos VVirtenbergensium vel proiectionem & audaciam, vel hebetudinem & stuporem in mentiendo: quōd Epistolam, quam diu antè Centuriatores focij, repressi clarissimo historiarum splendore eripuerunt S. Vlrico, & transtulerunt in alterum Huldricum non Sanctum, adhuc contentiosè pugnant, esse S. Vlrici: & fabulas, quæ in Epistola de S. Gregorio interponuntur, habent pro historijs. O prodigia: ò cælum: ò terra: vivere nostra ætate, qui res tam incredibiliter absurdas docent & credunt.

Sic octauò & nonò contra solem meridianum oblitū honestatis & ruboris clamant, tolli ab Imperatore in Nouellis (*constitutione si. ne à mulieribus*) vota continētia, cum iusiurandum tantum impium, quo se mulieres ad sequendam perpetuò vitam meretriciam publicam obligauerāt, irritum esse iuberet: item vota quæ in scriptura & apud Gratianum, Isidorū, S. Hieronymum & Bedam, & in Concilio Ilibertino rejiciuntur, esse vota nostra monastica: cū nos eadem eodem modo cum sanctis viris & Concilijs dicamus omnia: & illi à nobis sumpta & in librum suum intrusa, per extremam fraudem contra nos & pro turpitudine sua inflectant. Nec enim nos aduersarium Deo & comparatum ad exitium hominis iusiurandum admittimus, vel ratum esse sinimus: nec per vim expressum nisi cū corroborato per ætatem iudicio, ante 25. annum non reuocant: cetera verò quanquam imprudenter facta, tamen cū Ecclesiaste (*cap. 5.*) seruanda esse constituimus: quibus omnibus nullum in vota nostra, de quibus cum Lutheranis disceptamus, importatur impedimentum: declaratur tantum immoderata calumniandi & mentiendi licentia in Lutheranis, tantoq; magis cū inuerecundi homines decimò & vndecimò & duodecimò fingunt, non requiri à

Deo vota continentię: nec plus virginitatem placere Deo
quàm nuptias: nec præstari ab homine posse castitatem:
cùm ipse Saluator mandet, vt qui capere possunt capiant:
& S. Paulus cùm orationi incumbendum est, iubeat inter
coniuges intermitteri concubitum: sine dubio verò, quod
sine impedimento & attentè orandi facultatem suppeditat,
& honestius est, plus placeat Deo, quàm quod multis
ad rem istam sanctè obeundam implicatum atq; obstructum
est difficultatibus: qua de causa in Testamento veteri
honestis maritis Deus non indulgit: vt vel legis promulgationi
interessent (*Exo. 19.*) vel panem propositionis in cibo
sumerent (*1. Samue. 21.*) vel sacrificia facerēt, (*Luc. 1.*) nisi
aliquandiu cū legitimis vxoribus nō se commiscuissent,
Quod verò alienam à viribus Christiani hominis, & non
subiectam sub arbitrium proprium nostrū, qui renati per
baptismum, & illustrati à Spiritu S. sumus, castitatem esse
tum VVirtenbergici, tum ceteri Lutherani arbitrantur,
quàm est ridiculum: cùm Christus Eunuchos nominet,
in quib. nec natura, nec vis externa, sed voluntas propria,
& amor regni cęlestis, cùm ad nuptias apti & habiles essēt,
lasciuiam carnis obruit, & deleuit libidinem: & præterea
quisq; Christianus possit omnia in Deo, qui eum confortat:
præsertim cùm sine singulari Spiritus S. gratia Philosophi
Ethnici Platonici, & ciues multi Romani, & puellę Vestales
sine libidine vixerint continentissimè: & crudelis hostis
virginitatis Lutherus (*in li. meretricio de vita coniugali*)
contra se concedat, posse diffluētē luxuria, & omnibus
flammis incensum maritum refrenare carnis petulantiam,
& carere concubitu propter vnā domesticā calamitatem,
tātū cū vxorem domi cum diuturna inualetudine
conflictantem habet. Id verò si inter infinita mendacia
semel verum dixit Lutherus: si morbus vxoris ignes
ardentis & libidinosi viri restinguit: cur non idem
præstaret oratio? & castigatio carnis? & consideratio æter-
nę vitę? & perpetuò nobiscum, si oculos aperiemus, circū-
plicate, non vxoris, sed nostrę susceptę ex peccatis ærūnę?

Et

Et omnino quid Lutherani cogitāt, cū ad viduas, filias, & vxores suas reflectunt oculos: cū illarum vident in viduitate, virginitate, & maritorum absentia vel morbis in annum saepe decimum solitudinē: quid enim an interim non vruntur? At si sine viris nō resistitur vstioni, an igitur stupri damnant: an contumeliam istam filiabus & viduis & vxoribus & propinquis imponūt? Si verò in decimum annum, cū retardantur, reprimere surgentes flammās possunt, cur non possunt in annum vicesimum? Et si iniuriam possunt, cur non possunt alie, quæ se libentibus animis & sponte sua sub suaue Christi iugum, abstractæ à mundanis illecebris, sub miserunt? Si amor absentis mariti ardorem & æstum vxoris vincit, cur idem non faceret amor cæli & Christi: ò fatuitas! ò cæcitas!

Sed progrediuntur adhuc longius VVirtembergici, & per mendacium decimum tertium negant, quod contra Apologiam & se concesserant: propter coniugia Sacerdotum damnatum esse Iouinianum: cū contrarium paulo ante recitent, & tribuant S. Hieronym. quasi falsò insinulasset Iouinianum, quòd docendo coniugium sacerdotum laxauerit frena libidini. Si verò coniugium sacerdotum docuit, cur non propterea à Siricio damnatore nuptiarum in sacerdotibus, damnatus fuit laudator nuptiarum Iouinianus? Rursus non docuerit apertè, & mentiantur VVirtembergici: an idcirco cū propter contemptiōnem virginitatis, & amplificationem matrimonij, & dissolutionem votorum damnaretur, non damnatus fuit propter coniugia sacerdotum? An opus erat, cū antecedens reiectum damnatumque fuisset, damnari in specie consequens, quod ex illo fluit, & in eius comprehensione renetur inclusum: vt qui virginitatem tollit, eo ipso confirmet nuptias. Sed de eo superius egimus.

Vt autem hætenus tredecim vanitates, quas ad rem vnam contulerunt, deteximus: sic superest adhuc vnum ad eandem occupationem applicatum mendacium:

quod

quod numero erit decimum quartum: cū ex Socrate recitant & continuo peruertunt: illustres omnes presbyteros in Oriente & etiam Episcopos, modò ipsi voluerint, nulla lege coactos abstinere ab vxoribus: Sed multos dum Episcopatum gerunt suscipere liberos ex vxore legitima. Non dicam non coherere cum textu, istā extra ordinem de matrimonio interiectam & positam alieno loco particulam, tanquam auulsam ab animo calamoque Socratis: nec ascribam discrepantiam scriptorum in nominando consuetudinis authore: quem Græcus Socrates Theodorum clericum Tribes: Grynæus interpres & alij Heliodorum Tricensem Episcopum vocant: Tantū repetam, quod suprā dixi, multis mendacijs aspersisse Socratem historiā, & in hoc ipso capite de rebus quæ tū, cū vitam teneret, vsuenerunt & in omnium auribus atque oculis habebant, ter esse publicè turpissimeq; mentitum: cū Pascha pro cuiusque loci arbitratu sine lata lege celebrari: cū Romæ tribus tantū septimanis ante Pascha ieiunari, excepta Dominica & Sabbatho: cū ibidē in Sabbathis ieiunitati operam non dari scriberet. Istorum enim trium horribilem falsitatem coarguunt tum Nicenum Concilium, tum omnes istius ætatis S. Patres. S. Augustinus, S. Ambrosius, Epiphanius, S. Leo, S. Gregorius, S. Athanasius & Eusebius. Vt igitur Paschatis celebritati legem nullam per mendacium relinquit: sic eodem modo Episcopos Orientis non lege iussos sed propria voluntate abstinere ab vxoribus in Episcopatu: alios verò in ipsius Episcopatus administratione implicatos re vxoria gignere liberos fingit: contra Cōcilium Nicenum, in quo canon interponitur: & contra Epiphanium, qui canonem meminit, & in presbyteris ex immoderata procacitate vsu veteris matrimonij contra canonem penè lacrymans cōfitemur: negat tamen de Episcopis: Interim contra VVirtenbergicos & Grynæum testatur Socrates, illustres omnes Orientis presbyteros & Episcopos cum vxoribus non commisceri:
& per

& per Theſſaliam, Macedoniam & Helladem exui dignitate clericos, & auocari ab vſu ordinum, qui in complexu mulierum viuunt. Itaq; legem in Oriente negat Socrates: non negat in locis alijs: tamen ſimul illuſtres omnes Presbyteros & Episcopos abſtinere libenter à nuptijs & vxoribus teſtatur: & Lutheranos, qui ad Antichriſti Tyrannidē principium cælibatus reiſciunt, teſtimonio ſuo vulnerat: quanquam interim bis mentitur apertiffimè: primùm cū per Orientem ſine lege floruiſſe apud Presbyteros & Episcopos continentix laudem; deinde cū Episcopos auxiſſe familiam liberis ex legitimis vxoribus in Episcopatu ſcribit. Recordari Siricij ſenis memoriam, qui Anno 398. è vita diſceſſit, potuit adoleſcens Socrates, qui compleuit hiftoriam Anno 439. nec in vicinitate temporū & publicè geſtæ rei per totam Eccleſiam peruagata perſpicuitate ignorauit, quid Romæ caput Eccleſiæ conſtituiſſet, & per Italiam & Hiſpaniam grauiffimè mandaſſet: præſertim non ſolum Siricium, ſed ſucceſſores illius plurimos, Anaſtaſium, Innocentium, Zoſimum, Bonifacium & Cæleſtinum nominet. Verùm hoſtis religionis Catholice & Paparum propter ſtadium, quo in Nouatum fragrabat, cūm doleret Eccleſiarum ſuarum factum Romæ excidium, & vlciſci Paparum deuotionem laudabilem non poſſet, in eam incumbendum curam exiſtimauit, vt quoquo modo res Catholicas criminaretur, & quid reuera factum eſſet vel obſcuraret ſilentio, vel peruerteret calumnijs: & ſimul leges publicas Niceni & aliorum Conciliorum diſſimularet hæreticus peſſimus: vt in hoc loco Canonem cōſtitutum Niceæ & repetitum à Siricio non ſolum ſubſtituit, ſed etiam per impudentiam maximam obſcurè inſiciari & aſcribere mendacium alterum de Episcoporum in Oriente nuptijs non dubitauit: quod tamen exemplo nullo docere potuit; & refutant conſentienter Patres & hiftoriæ omnes. Interim tolerabilior eſt Socrates, quàm Lutherani: & modeſtior, quàm VVirtenbergici & Gry-

Mm

næus:

næus: cùm tantùm de vsu nuptiarum sermocinetur, quæ ante susceptionem ordinis facta, & non in statu Ecclesiastico coniuncta sunt: VVirtenbergici verò concubitum cum prius ducta vxore, ad omnia matrimonia noua & vetera dilatant: & tanquam si Socrates de ducēdis, & nō tantùm de vtendis vxoribus ageret, sic ad marginem extra textum appingit Grynæus, corruptor librorum Gryneus, libera fuisse sacerdotum Orientalium matrimonia: quòd idem per caniculos innuunt VVirtenbergici: tamen tam audacter, vt Grynæus, non enunciant.

Reliqua, quæ supersunt, in re vna mendacia innumerabilia, reijciam in librum, quem de mendacijs Augustanæ Confessionis & Apologiæ, & de mendaciorum suscepta à VVirtenbergenfibus defensione diu inchoatū, nondum absolui. Tot igitur rursus mendacijs veritatem per hæreticorum deprauata testimonia, & per scripturæ & aliorum librorum peruersiones obscurare: & vicissim sectam illuminare suam voluerunt Lutherani: quanquam interim se suamque consuetudinem funditus istis omnibus euerti damnarique sentiebant. Nos verò, dimissis Lutheranorum vanitatibus, redeamus ad Iouinianum, & concludamus, non in omnibus cum Lutheranis conuenisse Iouinianum: sed tantùm in quatuor: præsertim cum Herbrando, Iouiniani amico, & hoste S. Patrum. Nam cū Augustana Apologia vix in duobus concordat: si matri vestræ impertienda fides est: quæ nec merita, vt Herbrandus, profligat; nec matrimonium virginitati adæquat, sed, vt donum tenuius, retroponit nuptias, & tanquam præstātius præfert virginitatem. (fol. 163.) In reliquis omnibus vel fidem Catholicam nostram secutus Iouinianus fuit: vel vt à nobis, sic etiam à delirationibus vestris deflexit, & fatuitates nouas, à quibus vtrinque abhorremus, profeminavit: tantò felicior Luthero, quòd citius, vt inquit Sanctus Vir Augustinus, incendium eius, cùm primas adhuc flammæ in Ecclesiam iactaret, restinctum & oppres-

& oppressum fuit. Nihil igitur autoritas vobis Iouiniani commodat: nisi gloriosum vobis & honorificum esse iudicatis, quod spolia nonnulla detracta de hæretico, quem viuum & mortuum tota Ecclesia Catholica vituperauit, & vos ipsi damnatis, accommodatis ad sectam vestram: & nō totius Iouiniani, sed aliquot particularum hæretici Iouiniani sectatores videri vultis.

Pergamus igitur ad Vigilantium: qui in paucis istis, DE VI-
 quæ in Ecclesia totius, & in Sanctorum Patrum puritate GILAN
 reprehendit, pertinax & præfidens homo, vobis nullo TIO.
 pacto subsidio venit: siue rectè, siue vitiosè sentiat. Qui
 enim in articulis tribus vel quatuor vobiscum iungitur,
 an is continuò vel Lutheranus erit, vel firmabit con-
 gregationem Lutheranam? Erat Vigilantius in cæteris
 omnibus sacerdos Catholicus, & congruebat nobiscum:
 tantum factus insolentior, vir imperitus, Martyrum re-
 liquijs honesta integumenta, & cereos, & externum ho-
 norem, & ad eorum sepulchra vigilias, inuidebat: & San-
 ctos, vel in sinum Abrahamæ, vel in locum refrigerij, vel
 sub aram Dei reclusos, istis locis tanquam vinculis illiga-
 bat, nec impartire fructum iam vllum mundo credebat:
 continentiam Sacerdotum, & monachorum solitudinē
 ludificabat: & diuitias non simul omnes abijciendas, sed
 paulatim in pauperes distribuendas docebat: eaq; non ex
 scriptura, nec ex Ecclesia, sed (vt S. Hieron. cōfirmat) ex li-
 bris Apocryphis, & tumultuoso ingenio domi suscepta pa-
 riebatur publicè in lucem: & partum deinde educabat, & pa-
 scebat calūnijs. An igitur ille vobis patrociniabitur, in pau-
 cis illis consentiens, & dissentiens in infinitis alijs? & non
 tam vicinus vobis, quàm sunt vel Cingliani, vel Anaba-
 ptistæ? Deinde placeat ille vobis, tanquam vetus præfultor
 noui ludi vestri: tamen non obtinebitis, quod intendi-
 tis. Nec enim an in quibusdam arrideant vobis hæretici
 disquirimus: sed an hæreticus aliquis totam istam va-
 riatam & intextam particulis quamplurimis coagmen-
 M m 2 tatio-

tationem doctrinæ vestræ probauerit vnquã? & an quod vos creditis, crediderit vniuersum? in quindecim sæculis? in interuallo temporis longissimo? per orbem terrarũ & gentium omnium quousq; solis lumine collustratur mûdus? Vigilantius igitur, qui in paucis vobiscum errauit, & in plurimis Catholicam fidem contra vos retinuit, nihil vobis opitulatur: tantoque minus, quod tu in indice sexto inter hæreticos illum & phanaticos reponis: meliori v. s. iudicio quàm Lutherus, qui sanctiorem facit (*in Conc. de Exaltation. S. Crucis*) S. Hieronymo, & vellet iacere libros S. viri contra Vigilantium obrutos & deletos obliuione perpetua, ferus & furens aper in Ecclesiam & Sanctos Dei.

Hæreticus fuit Vigilantius, obstinatè sine scriptura sentiens contra Ecclesiam totam: vt tu rectè statuis: eoque causam rursus vestram non sustineret, tametsi vestra crederet omnia. Quòd verò miser Herbrandus arbitratur hæreticorum sententias non idcirco hæreticas esse, quod ab hæreticis proficiscuntur: sed requiri cum primis ad efficiendam hæresin vt clarissimè commonstretur non congruere cum scriptura: plenum est ridiculæ falsitatis. Non enim videt imbecillus senex, quæ hæretici non sumpta à Catholicis, sed à se inuenta credunt, eo ipso esse hæretica & dissentanea scripturæ: cum contingere possit nunquã, sicut diximus, vt hæreticus animalis homo, & à Deo non illuminatus intelligat scripturam: & multò minus vt abstrusam atque reconditam à Spiritu Sancto in scriptura veritatem purius intelligat in nocte caligineque Sathanae, quàm potuerunt S. Patres in societate Ecclesiæ & lumine Christi: eoque necesse sit, quæ ab hæreticis constituuntur, non animaduersa à viris orthodoxis, continuò sine interpellatione, & sine inspectione bibliorum esse falsissima, & scripturæ aduersaria. Nihil adijciam de Ecclesia & verbi Diuini reciprocatione, vt nec vera sit Ecclesia sine verbo, nec verum verbum contra Ecclesiam. Pugna-

ret

ret enim verbum cum verbo, & mentiretur scriptura, si fundamētum & columna veritatis in illis erraret, in quibus non errant portæ inferorum: vel si scripturæ veritas teneretur ab hæreticis, qui extra Ecclesiam sunt: & peregrinaretur ab Ecclesia: id est, si lumen Dei non in lumine videretur, sed in tenebris: & summam si partim vera, partim falsa esset scriptura, & eius quædam testimonia in cōtrouersijs valerent pro hæreticis: reliqua de perpetua & gubernata à Spiritu Sancto & nunquam errante Ecclesia pondus nullum haberent pro Catholicis. Sed vera est vniuersa scriptura: nullo verbo, nullo puncto falsa: tamē vera solūm & luminosa in Ecclesia: non cū legitur: non cū priuatim flectitur & reflectitur: non cū vel obiter vel laboriosè percurritur litera: sed cū sicut insinuatione Spiritus S. à sanctis viris traditur, sic eiusdem adiumento explicatur à sanctis viris in Ecclesia (2. *Petr.* 1.) cū oculi à Deo aperiuntur & declarantur Sermones Dei (*Psal.* 118.) cū ad suscipiendum externum Dei lumen intus lumen accenditur à Deo nouum (*Psal.* 35.) cū aratio instituitur in vitula Samsonis (*Iud.* 14.) cū prædicatur fides ab illis quos misit Ecclesia (*Ro.* 10.): Alioquin cū hæretici, Caluista, Lutherani & alij sexcenties peruagantur per scripturam: & cū sexcenta pro vna controuersia testimonia de libris sacris tanquā spolia ad se transferunt, & cū oēs libros complent scriptura: profectò plus non præstant quàm si cæcus accensas mille faces præferret cæcis: & dum illuminare se & alios vellet, non solūm in tenebris relinqueret, sed inconsiderata luminum tractatione perureret & affligeret magis. Nisi igitur primū omnium spiritualem se, & videndi sensu à Spiritu Sancto præditum, id est, in Ecclesia Catholica esse, & participare in ea Spiritum Sanctum ostendat, qui de religione disputat: ne quidem audiri, sed vt tenebricosus erro & delirus somniator rideri & condemnari debet: & cū de hæreticis sit clarissimum, non esse spirituales, nec collustratos à Spiritu Sancto: sine

vlla adhibita scriptura, eo ipso qđ hæretici sunt, concludendū statim est, quod sine testimonio & assensione Ecclesiæ, & contra viros Sanctos, Ecclesiæ ciues, & quidem sub specie & inuolucro blandientis scripturæ proponunt, falsum, & vanum esse, & commentitium, & contrarium scripturæ: nec aliquid restare causæ, cur præterea ex scriptura refutentur. Errat igitur Herbrandus: nec opus est hæreticorum, quos vna quidem in re fuisse hæreticos liquet, ex proprio delirio suscepta somnia refellere per scripturam: ne quidem cū cæci sub lumine scripturæ contra Sanctos Patres præsidium quærunt. Vigilantius verò non eo tantum, sed etiã quòd vestra omnia non probet, nec tamen ab Ecclesia Catholica, quantum factum à vobis fuit, fecerit diuortium, secessionem vestram nihil subleuat: & adhuc verum est, nullum eouque hæreticum in omnibus consensisse vobiscum: & nullius vnquam hominis tam longè iactatam fuisse petulantiam, quousque infinita vestra proiecta fuit impudentia. Tamen antequam Vigilantium dimittamus, crassa duo Apologiæ vestræ de illo negotio mendacia breuiter attingemus: Affirmat enim primū, in libris S. Hieronymi contra Vigilantium nullam extare syllabam de inuocatione Sanctorum: addit Herbrandus, magis conuelli & refutari: Deinde veteres scriptores ante S. Gregorium non meminisse inuocationem, quod idem patres vel matres VVirttembergensium maiori turpitudine defendunt, & nouis mendacijs ventrem meretricium veterem Eslingicum rursus ingrauidant. An verò nullam syllabam S. Hierony. de Sanctorum inuocatione posuit? cū præsidia omnia, quibus ad inuocationem vtimur, in eo libro commemorat: & Sanctos testatur nō affixos loco, sed vt spiritus liberè per orbem permeantes, (quadam ratione) vbiq; esse cum Christo: & assistentes ante conspectum throni, & comitantes Christum, & participes atq; conscios omniū, quæ in celo & terra geruntur, orare multo magis, quam

quàm fecerunt in terris; non communiter pro vniuersa complexione totius Ecclesiæ, sed discriminatim pro singulis? An igitur qui ista initia & antecedentia, in quorum inuolucro res tota inhæret, publicè confitetur, syllabam rei nullam attingit? materialem certè nullam. Sed an qui rudem hominem truncum nominat, quia nulla asini syllaba in exteriori pictura legitur, propterea non significatur asinus sub nomenclatura trunci? Cur igitur in re seria propter Grammaticam syllabam negatis inesse in libro memoriam inuocationis? O syllabarum sectores. Nec enim rem vnquam damnauit S. Hiero. & cum adorationem in libr. contra Vigilantium Sanctis abnuuit, non respexit vel ad inuocationem, de qua tum non egit, vel ad adorationem communem, quæ incuruatio corporis est, & nõ solùm Deo, sed Angelis & hominibus passim in scriptura, & præsertim locis 49. tribuitur: sed vt seipsum explicat, tantùm honorem Deo debitum in Sanctos conferri non paritur: ne, vt inquit, homo putetur Deus. Alioquin enim in libro contra Vigilantium omnia, quæ cum inuocatione Sanctorum cohærent, & ex quibus illa dimanauit, simul vno cumulo interponit: & alio loco cineres adorat Ioannis Baptistæ, & adorat lambitque lignum Crucis, (*epist. 17. & 25.*) & in vita Hilarionis Constantem deuotam mulierem laudat, quod ad sepulchrum S. Hilarionis noctu vigilans, quasi cum præsentem AD AD-
 IUVANDAS ORATIONES SVAS sermocinare-
 tur: & in epistola vigesima quinta ad Paulam testatur, “
 mortuam Blesillam filiam Paulæ orare pro matre in cœ-
 lo, & impetrare remissionem peccatorum pro se Hiero-
 nymo: & in Epistol. 27. ipse Paulam post obitum inuocat,
 vt senectutem suam inuuet orationibus. Quo simul secundum mendacium confusionis, & execrabile mendacium confutatur: cum veteres antegressos Sanctum Gregorium Magnum Patres non meminisse Sanctorum inuocationis scribit. Id verò quàm sit impudens falsitas,
 iam

iam primùm quibusdam S. Hieronymi locis: supersunt enim plura: patefecimus.

Deinde liquet ex S. Chrysoftomo, qui Imperatores inquit complecti sepulchra Apostolorũ, & SUPPLICARE vt pro se apud Deum intercedant: & preces ad mortuos illos tanquam PROTECTORES REGVM ORBIS TERRAE fundere, (66. homilia ad populum Antiochenum.) & stantes ad sepulchra Sanctorũ supplices obsecrare mortuos Sanctos, vt sibi apud Deum subsidio veniant, & petere ab eis PATROCINIUM (in hom. 26. in Epist. ad Cor.) vt ipse ad S. Petrum & Paulum clamat: orate pro nobis sine intermissione, & explete repromissiones vestras (in ora. Encomiast. & in Liturg.) & Apostolos omnes vigiles præfectos Ecclesiæ Constantinopolitanæ vocat, qui miraculis etiam post mortem tanquã viui carent homines, & beneficia conferant (in homilia in 12. Apostolos) quod idem in locis plurimis, quæ in primo capite nominauimus, frequenter vir sanctus.

Tertiò perspicuum est ex S. Amb. qui Angelos & Martyres obsecrari vt pro peccatis nostris rogent, & adhiberi tanquam intercessores infirmitatis nostræ iubet, (in lib. de viduis) & apertè scribit vbiq; inuocari S. Martyrem Nazarium, & vbiq; exaudire Deum, qui inuocatur in Martyre (serm. 93.) & petit suffragia Mariæ, & intercessionem Apostolorum, & preces Martyrum, & orationes Confessorum (ora. 2. ante Missam.)

Sic quartò Lutheranæ Apologiæ & VVirtenbergensium arrogantia retunditur, & in fauces eorum reijcitur mendacium ab Augustino, cum (in lib. 22. cap. 8. de ciuitate Dei) factorem pauperem pro vestimentis orantem ad triginta Martyres, & exauditum commemorat: & in cap. 9. palam confitetur, impetrari ista nobis per orantes Martyres, quorum etiam interdum Spiritus orantibus assistant: & in lib. 21. c. 27. commendat ipse se Sanctis, & iubet meminisse sui: & (tract. octuagesimo quarto in Ioannem) in Missa compellat.

pellat Sanctos, vt pro nobis orent, & (*libr. de cura pro mortuis*) vult vt mortuorum amicorum animas Sanctis, quorum reliquias in templis colimus, tanquam PATRONIS SVSCEPTIS apud Dominum adiuuandas orando commendemus: quod ter repetit.

Quintò redarguit vanitatem Apologiæ Sanctus Leo, qui ambienda Sanctorum suffragia Martyrum & Apostolorum, (*sermone quinto de Epiphania Domini*) & orationibus atque MERITIS Sancti Petri nos per omnia adiuuari ad impetrandam Dei misericordiam (*serm. quarto de ieiunio Pentecostes*) & ad obtinendam Dei misericordiam semper nos iuuari SPECIALIVM PATRONORVM orationibus, vt quantum pro peccatis deprimimur, tantum APOSTOLICIS MERITIS erigamur, (*sermone primo in natal. Apostolor.*) & adhuc sine dubio pacere S. Petrum Ecclesiam, & exequi Christi mandatum, confirmando nos exhortationibus, & orando perpetuò pro nobis, ne tentatione superemur, (*serm. secundo ibidem*) & oratione PATROCINIOQVE S. Laurentij adiuuari nos sine cessatione (*serm. de Sancto Laurentio*) tradit: & gratos nos Deo esse iubet, vt B. Petrus & omnes SANCTI, qui nobis in multis tribulationibus AFFVERVNT, obsecrationes sacerdotum pro Ecclesia apud misericordem Dominum adiuuare dignentur.

Ipse sextò totius orbis Imperator Iustinianus, suo & totius Ecclesiæ nomine Lutheranorum inuerecundiam refutat, (*in C. de officio Præfecti Prator. Africa*) cùm sexaginta annis ante S. Gregorium, deprecantem se fatetur exorare Deum Sanctæ & gloriosæ semper Virginis & Dei Genitricis Mariæ precibus.

In quem eundem modum septimò Prudentius indignos nos putat, quos Christus exaudiat: eoque patronos Martyres directè multis exemplis inuocat, & se audiri ad impartendum auxilium petit: & ad sepulchra sua Sanctos PATRONOS MVNDI fructuosè inuocari

Nn

semper,

semper, & audire Sanctos quid petamus, & statim deferre ad Deum preces, & frustrari nos nunquam sentit: (*in Hymnis omnibus de coronis.*)

Vt octauò S. Paulinus preces adhibet Sanctis, & Prophetas, Apostolos, Martyres, & singulariter Sanct. Felicem supplex implorat. Quanquam verò Patres adhuc supersunt, ad minimum viginti, qui S. Gregorio antiquiores, Lutheranorum in mentiendò lasciuam damnant: tamen non video cur in epistola & in re publicis libris contestata sim yberior: cum ipsi Centuriatores nos liberent, qui tum Augustanæ Apologiæ, tum VVirttembergensium proteruitatem in asserendo mendacio clarissimè refellunt: & in ætate post Christum statim tertia non obscura Sanctorum inuocationis indicia, quæ in libris SS. Patrum, in Origene, Cypriano, & Eusebio luceant, & eorum ad Sanctos directas preces, & impetrata præsidia recitant: In centuria verò quarta adhuc apertius Sancti Athanasij nostræ similitam orationem emissam ad D. Virginem: & eodem modo Sancti Nazianzeni ad Sanctum Cyprianum Sanctumque Basilium: & Sancti Ambrosij ad S. Mariam, & omnes Sanctos: & Prudentij ad S. Laurentium, & 18. Martyres, & Vincentium, & Cassianum destinatas preces percensent: & ascribunt mandata Sancti Athanasij, Sancti Basilij, Sancti Ambrosij & Ephremij, quibus conuertere preces ad Sanctos iubemur: quod multo copiosius faciunt in centuria quinta: & Sanctum Chrysoctomum, S. Augustinum, S. Leonem, & Theodoretum, & Paulinum, & Sedulium, & Maximū, & Theodulum insimulant perditum homines erroris in inuocandis Sanctis: & ascribunt testimonia, quibus tum pro auxilio inclamarunt ipsi Sanctos: tum eos vt HOMINVM DV- CES, CVSTODES, PRINCIPES, PROPVGNATORES inuocandos ab omnibus censuerunt.

Mirari igitur iure debemus impudentiam extremam VVirttembergensium: cum Centuriatores societate cum illis

illis iuncti à trecentesimo anno vsq; ad Sanctum Gregorium, per quatuor pene secula, continuos octodecim Patres maximos contra Apologiam nominent, qui Sanctos mortuos inuocarunt: & inuocandos docuerunt: & ad eam rem commonuerunt suos: cur adhuc anno 87. annis 25. post sextæ centuriæ editionem, cum centurias legissent, cum vanitatem mendacij in centurijs detectam & inscriptam in communi luce aspexissent, cum à conscientijs intus reprehenderentur: tamen oblitim animã & pudorem, non solum postulant à Patrib. Societatis Iesu, vt verba Patrum apponant: sed etiam, tanquam rem mentitam, & quæ ostendi in libris non possit, in honestè calumnientur: contra fœderatos socios: contra publicam conscientiam: contra communem omnium scriptorum lucem. Id verò si impudentia & vanitas non est, ecquidnam in mundo erit impudentia & vanitas? Tamen quia nos & hîc exultantem Apologiæ & Vvirtenbergenis in falsitate maxima licentiam satis repressimus, & parati sumus, si pugnaiores erunt, ad multo magis extrahendum in lucem mōstrosū mendacium: sinemus interim dimicare inter se fratres Flaccianos & Vvirtenbergicos: & nos Vigilantium, vix centesima parte Lutheranum, eoque centies meliorem hæreticum Luthero, & qui in reliquis ipsum Lutherum, si viueret, execraretur, dimitemus cum Lutheranis: tantum vt constet, Vigilantium nō fidei totius Lutheranæ, sed particularum quarundam socium non attinere ad Ecclesiam Lutheri.

Vt verò Lutheranus non est Vigilantius: sic nec VValdenses sunt: quanquam propius cum Lutheranis coniuncti. Nec enim Lutherani omnia VValdensium, nec VValdenses veteres omnia Lutheranorum probant: Noui verò VValdenses, vt tum Lutherus, tum Sleidanus recitant, post Lutheri receptas in mundo furias, ampliores consecuti erroris dilatationem, discesserunt à maiorum sententia, amplexi Lutheranismum: qui

ad nos, qui vetustatem sectæ perquirimus, hoc loco non attinent. Veteres igitur, de quibus hîc tractamus, primùm paupertatem & despicientiam abiectiōemque diuitiarum professi, & in certum monasticæ vitæ modum inclusi, vt Vrspergensis ex recenti memoria percenset, cùm à Summo Pontifice confirmationem lasciui ordinis non impetrarent, facti iratiores, vt difficultatem Pontificis vlciscerentur, mirabiles & cum ipsâ natura pugnantēs opiniones occultè sparserunt: tamen paupertatem coluerunt semper, & manuum labore victum compararunt: & possessionem rei alicuius propriæ non concesserunt: vnde Apostolicos se cognominarunt, tanquam Apostolorum veros & perfectissimos affectatores: præsertim verò iusserunt vt sacerdotes & monachi, quos in societate sua ferebant, non in otio de præbendis & decimis, multoque minus de possessionibus proprijs, sed vt aliquo manuario opificio, sartorio, sutorio, textorio, vel simili vitam sustinerent: prorsus vt assolent Anabaptistæ: & vt olim VVitenbergæ fecerunt Philippus, Carlstadius, & alij Lutheri socij. In reliquis, in quibus omnibus vicinissimè ad Anabaptistas appropinquant, & horū magis quàm Lutheranorum doctrinam sequuntur, quanta fuit confusio? cùm infantes nec credere, nec per baptismum saluari sentirent? & sæpè intermisso baptisimo, tantum manus imponerent infantibus? cùm malo sacerdoti facultatem audiendi confessionem, vel absoluendi, vel consecrandi non relinquerent? cùm Transsubstantiationem & Missam quidē non negarent, & tres Ordines in Ecclesia, Episcoporum, Diaconorum & Subdiaconorum agnoscerent, tamen etiam mulieribus & laicis potestatem conficiendi Corpus Christi, & absoluendi, & concionandi, si verba Christi integra tenerent, impertirent? & eorum, si purè viuerent, administrationem anteferrent ministerio impurorum sacerdotum? cùm templa dānarent, inclusa muris, tanquam aliena ab habitatione Dei, & anteferrent

hor-

horrea? & domi in cubiculis & in hortis administrarent
 Sacramenta, etiam nudi, vestiti sola interiori camisia, &
 ex vulgaribus poculis? cum canendi consuetudinem in
 Ecclesia ridiculè diuexarent? cum in Coena pro libidine
 vel labruscæ succum, vel acetum pro vino adhiberent?
 vel panem in vino tinctum offerrent? cum Parochiarum
 distinctiones in populo & prouincia profligarent? cum
 simulatè ad Catholicorū Missas & Cōmuniones & Con-
 fessiones sine conscientia offensioe suos admitterent? cū
 signum crucis horrerent? cū matrimonium à fornica-
 tione vix distinguerent? & cū maritum cum vxore sine
 spe sobolis concumbentem peccare mortaliter: homines
 verò continentes non peccare dicerent, si superioribus
 corporis locis mamillas nudas mulierum premerent, &
 infingerent oscula, & complecterentur foeminas, quod to-
 tum externæ lasciuia negotium charitatem nominabāt?
 cū nullam orationem nisi Dominicam vsurparent? re-
 iicerent Symbolum Apostolicum? & Litaniam, & excom-
 municationes Ecclesiae? cū decimarum solutionē pro-
 fus antiquarent? riderent miracula Sanctorum, & San-
 ctos nullos, præter solos Apostolos, esse sinerent? cū
 iuramenta omnia à Christianis tanquam detestabilia re-
 mouerent? nec quoquo modo iurarent, eoque abstine-
 rent à negotiationibus? & paucis contenti non quæ-
 rent diuitias? cū & ipsi & mulieres eorum ne quidem
 (VERE vel CERTÈ) ad confirmandam verita-
 tem dicerent? cū statum Regum, & Principum, & iu-
 dicia omnia, & Magistratus, & animaduersiones in ho-
 mines sceleratos vno furiali impetu è mundo, & ex mor-
 talium societate depellerent? Eorum verò, Pappè, an
 quicquam vos ferre, & an eiusmodi scurrarum confor-
 tio teneri, & religione sociari possitis? nisi fortè pu-
 tabis iniuriam fieri VValdensibus, cū de tot sceleri-
 bus & portentis accusantur? Sed conuincet te Scripto-
 res omnes veteres, & ipse Princeps mentiendi & cor-

rumpēdi libros Flacius: qui in ridiculo Catalogo ista pro-
 pmodum omnia ex alijs recenset, & negare, vt maxi-
 mē vellet impudentissimus inficiator, non potest: tur-
 pis Flacius: qui in catalogo VValdensem authorem An-
 no millesimo centesimo septuagesimo, & penē Sanctum
 facit, & ab Apostolis ducit: & tum Concilio Tolosano,
 tum gladijs & bellis agitatum sectam clamat: in centurijs
 verò, vbi tantum lumen collocari, & cōmemorari per-
 secutiones & Concilia, ad illuminandam sectam, & ad in-
 de patrocinandum Lutheranismō vehementer opus e-
 rat, quasi si VValdo nullus vnquam fuisset, sic omnia dis-
 simulat: tantū Concilium vnum Romanum, quod
 contra VValdenses sententiam dixerit, breuiter attingit:
 fortē quod ipse tam scelestam, & rursus inter se innume-
 rabiliter discriptam societatem non libenter adnumera-
 ret hæreticis: nec posset Catholicis: eoque reticere, &
 vetera mendacia resorbere mallet, quā in maiorem lu-
 dificationem abijcere suam & sodalium VValdensium
 doctrinam. Ab his igitur quid tu solatij, quid subsidij
 sperabis Pappē, quorum posteriores discipulos multo pri-
 mis magistris factos meliores, & viciniore vobis Luthe-
 rus (*Tom. 2. Germ. fol. 208. 209. & 210.*) tanquam semipon-
 tifices in credendis septem Sacramentis, & in Iustificatio-
 ne per fidem & opera vituperat, & vt isto loco, sic etiam
 (*Tom. 4. fol. 329.*) ludificatores Dei & verbi diuini vocat:
 & errores alios ascribit, quod Corpus Christi in Cœna
 non constituent: infantibus fidem nullam assignent: bo-
 nas literas & artes negligant; manu victū quærant: quan-
 quam consensione quorundam articulorum delentus
 veterator, rursus blanditias ad illaqueandos simplices he-
 reticas interponit, & cū modum loquendi, quo vtun-
 tur, non recipit, tamen authores non reijcit. (*Tomo sexto,
 folio 113.*) Verū sunt isti Bohemici noui VValdenses
 VValdensium veterū dissimilimi: & vt nullo publico
 loco, nisi in Bohemia, & in Alpibus ante Mediolanum
 & Pire-

& Pirenæis exercuisse Flacius ministerium Ecclesiasticum, & docuisse palàm doctrinam confitetur, sic nullus cum altero cohaesit: author quisque nouæ, & vel amplificator, vel corruptor prioris ab alijs haustæ vanitatis. Itaque nullum ab antiquis VValdensibus ventum pro sectæ vestræ nauigio colligetis: & tametsi in istius vos daretis consilij viam, nunquam nos vobis eiusmodi soliditatem inuideremus: sineremus magis, quorum vos opiniones hostiliter in Confessione sub Anabaptistarum & Donatistarum nominibus damnastis, & qui ipsi vos damnant, in vestram Ecclesiam frustra transferri: vt interim magis nouitates & varietates vestras aperirent: ad vnitatem enim vel vetustatem sectæ nihilo plus opitulabuntur vnquam, quàm nunc faciunt Anabaptistæ, & Donatistæ, & Cingliani: quorum illi fatuitates omnes in vno cumulo complectuntur.

De VViclepho docerè eodem modo dissensionem ab Ecclesia vestra: nisi Augustana confusio, & Apologia me subleuarent, & VViclephum in articulo 8. (*fol. impressionis tuae 7. & 101.*) apertè condemnarent, & (*fol. 145.*) nominarent planè furentem VViclephum. Cum furioso igitur & phanatico homine, quem Lutherus per contumeliam spinosum, & somniatorem, & deceptum in Scriptura, & Cinglianum (*Tomo tertio folio quadringentesimo octuagesimo quinto, & sequentibus*) vocat, & sic in Coena reijcit, vt potius cum Papistis credere Transsubstantiationem, quàm cum VViclepho nudum panem constituerit, (*ibidem folio quadringentesimo nonagesimo tertio*) non speramus vos matris vestræ filios, in ignominiam matris, inituros esse societatem, vel ab illius insania tracturos continuationem Ecclesiæ: Alioquin sine magno negotio ascriberemus omnia, quæ contra vos docuit VViclephus: cum in Coena crederet nudum panem & vinum: & negaret Corpus & Sanguinem Christi: cum per sacerdotem oppressum mortali peccato inficiaretur vel Baptismum rectè

rectè conferri, vel alia Sacramenta administrari: & peccare censeret, qui à malis sacerdotibus sumunt Sacramenta: cùm Ecclesiasticos non sineret tenere proprium, vel possessiones, nec colligere decimas: cùm in genere nec Principem ciuilem, nec Episcopum agnosceret, qui uiueret in peccato mortali: cùm S. Augustinum, S. Benedictum, & S. Bernhardum damnaret, propter actam in paupertate monasticam vitam: cùm absolutam rerum omnium necessitatem, & Stoicum fatum, quod Lutherus in primo feruore insaniam cum VViclepho docuit, & postea in confessione occultè dimisit, in Ecclesiam inferret: cùm studia & scholas publicas, & collationes graduum tanquam res diabolicas, & incommodas Ecclesiæ, prorsus vt Lutherus primis annis fecit, detestaretur: cùm Confessione in Ecclesia fructum nullum tribueret: cùm ciues potestate armarer ad corrigendos dominos suos, qui delinquant: cùm errasse diceret Principes, qui Ecclesias locupletarunt; cùm omnes Ordines à Diabolo duceret: cùm vnam speciem in Ecclesia relinqueret: duas non affectaret: nec nostram Iustificationis doctrinam carperet: cum quibus vniuersis consistere secta doctrinaque vestra non potest; non solum quod contumeliosè in Confessione cum execratione reiecerit: sed etiam quod si rursus admitteret, necesse esset Calvinismum, & Anabaptismum, contra quos tam funestum & acerbum bellum geritis, simul in communitatem fidei, & in vnam sodalitatē referri. Non igitur sentiemus à furioso VViclepho vos vllū suffragium conquisturos credulitati vestræ: & ob istam causam missum faciemus VViclephum.

DE HVSSIO. Hussius verò, in quo tam gloriosè triumphatis, quo quæso pudore, qua conscientia Lutheranus fuisse, & attinguisse ad Ecclesiam vestram confingitur? Qui enim in nullo toto capite, & in re vniuersa nulla cum Luthero conspirat: damnat in septuaginta quatuor articulis maximis: an is vllò sensu inter homines intelligentes

tes & ratione præditos haberi debet pro Lutherano? Atqui talis est Hussius, in rebus omnibus discrepans à vobis: consentiens in nulla: quod in parallelis, quæ ad calcem tertiæ huius Epistolæ apposui, clarissimè demonstro: & triumphum vobis decerno; non si omnia parallela, sed si vnicum solum conuelletis, & sententiam Hussij apto vno testimonio traducetis ad partem contrariam. Quatuor ferè sunt capita errorum Hussij. Primum de Prædestinatione & Prædestinatis, quod sectam vestram non attingit. Secundum de indulgentijs, quas non simpliciter, nec ista insania repudiavit Hussius, vt vos soletis: tantùm nimium dilatari, & ad res alienas impartiri sensit. Tertium de Vicario CHRISTI & capite Ecclesiæ Pontifice Romano: in quo rursus non absolutè reiecit Papam Hussius, sed tantùm cum impurè & vitiosè viuit: alioquin concessit, quousque vitæ sanctimoniam tuetur esse caput Ecclesiæ, & Sancti Petri successorem, & Vicarium in terris Christi: quod totum nobis furoribusque vestris non arridet. Quartum de duabus speciebus: in quo diuortium à vobis longissimum fecit Hussius. De speciebus enim, in quibus de substantia panis & vini nihil restat, loquitur Hussius: nec pro pane & vino dimicat, sed pro speciebus duabus commutatis in corpus & sanguinem CHRISTI: secundò non vrit duas species pro omnibus in vniuersum, sed tantùm pro illis, qui per libidinem suam, quam sensum interiorem conscientia vocat, vna specie contenti esse non vellent. Nihil igitur in istis quatuor inter vos & illum conuenit: execraretur ipse nouationes vestras, si viueret. In alijs autem, qui supersunt, religionis articulis maximis: iustificatione, formata & per charitatem operantis fidei: sacrificio Missæ; inuocatione Sanctorum: purgatorio: cælibatu Sacerdotum: virginitate: orationibus pro mortuis; Transubstantiatione: adoratione specierum; negatione Vbiquitatis: cultu reliquiarum & imaginum;

Oo

ginum;

ginum;meritis nostrorum operum,quantus & quàm grauis est Papista?assensor purissimus sententiæ nostræ:& malitiæ vestræ accusator in totius vitæ decursu,& in itinere cùm duceretur ad supplicium?quo non propter insanias vestras affectus fuit: sed quod in superioribus quatuor capitibus, quanquam multo astrictius & modestius quàm vos, tamen contra scripturam & Ecclesiam pugnaciter obstinateque sentiret, & flabello intemperantis hæreticæque linguæ tum miseras infinitas animas inuolueret æterno exitio, tum suscitaret seditiones, & turbaret orbis terrarum pacem: nec auocari à furore posset.

Hæreticus igitur tantum in illis quatuor fuit Hussius, in quibus perstitit & subiuit meritum supplicium: reliqua, de quibus accusabatur, vel dimisit ante mortem, vel magis negauit: & mortuus est in confessione constanti septuaginta quatuor articulorum, in quibus nobiscum in Idololatrijs, quales vobis somniantibus & furentibus hominibus videntur, consensit: Idololatra tantus quanti nos sumus, si insaniam vestræ Euangelium Christi sunt. Res enim quatuor, in quibus à Christo, & Ecclesia, & nobis discessit, inter Idololatrias hætenus nondum retulistis. Nec vos iterum sic elabi per somnia vestra sinemus: vel quod ante exitum è vita factus sit in progressionem doctrinæ illuminatior: vel quod in ipso mortis vestibulo se correxerit. Nam quæ in parallelis ponimus, non tantum primis annis credidit, sed constanter & in carcere, & in supplicio, cùm ignes accensi vitam & vocem intercluderent, retinuit: sacrum fecit: purgatorium, Transsubstantiationem, Sanctorum inuocationem, operum merita, potestatem Papæ, Indulgentias doctrina & exemplis defendit ante iudicium, horis paucis ante obitum: cõtrarium verbum nullum vsque ad infelicem animæ & corporis mortem renunciauit: significationem nullam mutationis reliquit. Quod verò de postrema morientis illuminatione

minatione fingitis, id sepe iam confutatum solidè, repressumque grauiissimè fuit: nec illuminatus Hussius moriès fuit, nisi flammis & ignibus supplicij: Tamè si figmentum vestrum vobis valeret, cur non etiam eodem modo liceret mentiri nobis? mortuum esse in omnibus Papistam Hussium, cum in reliquis semper maneret constans: in quatuor hæreticis articulis in rogo conuerteretur à Spiritu Sancto? Sed mittamus nugas: nec implicemus nos mendacijs vestris. Hæreticus pessimus fuit Hussius viuès & moriens in capitibus quatuor, de quibus etiam à vobis discrepauit, ab hæreticis pessimis hæreticus melior: in reliquis nihil variauit foris externis indicijs Catholicam fidem, sed vt vixit, sic in flamma occubuit, sectator doctrinæ Evangelicæ Papisticæ nostræ. Nihil igitur vobis Hussius prodest: fatuitatibus vestris non succurrit: in nullo sensu vobiscum: in plurimis nobiscum congruit, damnator in omnibus Lutheranismi: quod ipse Flacius in Catalogo non dissimulat, cum Thaboritas Hussij posteros ipso Hussio puriores fuisse confitetur: nec potest impudentia vestra vel verbis satis explicari, vel comprehendi animo: quod vestram ex Hussij Ecclesia audetis arrogantes homines ducere Ecclesiam, & ex doctrina doctrinam: contra solem meridianum: contra conscientias: contra Magistrum Lutherum: qui non tantum vos ab Hussio, sed à VViclepho, VValdensibus, & cæteris, qui in Germaniã venerunt, hæreticis exclusit: & se nescire scripsit (*in Concione in festo Ascensionis, impressa Anno vigesimo tertio VVitenberga*.) AN GERMANIA VNQVAM VERBVM DEI AVDIVERIT: quanquam constet audiuisse verbum Papæ. Sic enim ibi furiosus Lutherus, & (*in altera Concione in Dominica Inuocavit*) effutiuit se ILLVM ESSE, CUI PRIMVM DEVS REVELAVERIT, ET QVEM PRIMVM DEVS IN ISTA STATIONE COLLOCAVERIT, AD ANNUNCIANDVM SVIS VERBVM

DEI: ET (*Tom. 2. fol. 44.*) ESSE SERIO VERVM, QVOD PRAE ALIIS DATVM SIT VVITTENBERGENSIBVS, VT PRIMAM ET PVRAM FACIEM EVANGELII ASPICERENT: nec principiò ad Hussium respectum vllum habuit, sed detraxit ex cœlo, sine vlllo humano ministerio nouitates suas: & planius atque purius quàm quisque post Apostolos Iustificationem, & magistratus officium, & alia docuit, (*in Postilla proposita in templo, & Tom. tertio fol. trecentesimo decimosexto, & passim*) factus à Deo Euangelista Christi, & cœlestis Doctor, (*Tom. secundo locis supra scriptis*) & Angelus, vel Magdalena ad sepulchrum Christi, (*Tom. secundo fol. quadragesimo quarto*) nec à penè nongentis annis ante atatem suam concedit fuisse quenquam, qui contra Papatu idololatrias vel concionatus sit, vel scripserit. (*Tom. sexto fol. quadringentesimo octuagesimo primo.*) Si verò primus Lutherus fuit, qui verbum Dei in Germania prædicauit: non igitur fuerunt, vel VValdenses, VViclephus, Hussius, vel eorum discipuli: qui si non verbum Dei, sed vel Papæ, vel suum Germanis prodiderunt, cum Luthero verbi DEI præcone connecti iungi que non possunt: vbi fortassis, vt Magistrum excuses, interpellabis sermocinari Lutherum de publica libera doctrina: non de occulta, quam reliqui antecessores Lutheri repressi à Tyrannis clam profeminauerint. Atqui Lutherus (*eodem loco, & Tom. secundo German. folio trecentesimo quadragesimo quarto.*) Euangelium non agnoscit, quod clam in angulis, sed quod palàm in omnium oculis & auribus annunciatur, vt saxa & ligna, si audiendi sensum haberent, audire possent. Occultum igitur superiorum hominum verbum Euangelium Christi Luthero non fuit. Deinde Flacius ex Germanicis scriptoribus contra se & Lutherum recitat, VValdenses concionatos publicè in Hala Sueuiæ, in Ringoia, in Episcopatu Moguntino, in Pomerania, Marchia,

Marchia, & cæt. & infectatos Papam non vna hominis atate, sed longius. Aut igitur Flacius & historici mentiuntur: vel pondus nullum habet interpellatio tua.

Nec Tertio Lutherus tum cum ista scriberet, florebat vel pace, vel Principum patrocínio: & multi illius emissarij discipuli æquè ac VValdenses penetrabant domos, & in multis Prouincijs infundebant clam venenum in lasciuientes monachos, & in prurientes ciues, & cum primis in curiosas mulierculas, per quas ductas varijs desiderijs propagabant errorem. Quarto non de libertate concionandi loquebatur Lutherus, sed nunquam auditum esse Dei verbum in Germania, & sibi primum reuelatum, & se primum in ista statione positum dicebat. Nihil igitur efficit Pappè, cum sic purgas fordentem Lutherum: & quanquam Lutherus non in istum sensum intellexisset, tamen Lutherani non fuerunt vel VValdenses, vel VViclephus, vel Hussius: & hic prorsus nullo modo: ne quidem si Lutheranis rumpan- tur ilia. Stant contra vos parallela, & stabunt post Lutheranismi non ita longinquam euerfionem: & contra vanitates vestras in totius mundi auribus loquentur, NON FVISSE HVSSIVM MAGIS LV- THERANVM QVAM FVIT ARRIVS: NEC ECCLESIAM, QVAM HVSSIVS INCHOAVIT, ATTINERE MAGIS AD ECCLESIAM LVTHERI QVAM ATTINET ARRIANA. Hæc igitur omnia clamabunt parallela, multo meliora, & ad nominis notationem magis apposita, quàm tua: & quod de Hussij Lutheranismi excogitatis, probabunt esse mendacium, & Hussium, eiusque sectam, à vobis, sectaque vestra longissimè discriminabunt: & pudorem vobis nullum residuum esse sinent: si tamen vestigium vobis & hilum restat pudoris, non ciuibus sectæ, sed Theologis Magi-

stris: qui non tantum in religione iniuriam Hussio infertis, sed etiam in externa narratione: cum & scurram Lutherum, & veteratorem Flacium, & omnes penè narratores non pudet, ad magis inflandam vanitatem mentiri prophetiam: tanquam si ex ore morituri Hussij suscepta fuisset. assari tum anserem, sed venturum centum decursis annis cygnum, quem melius cantantem nemo sit assaturus. Id enim Pape ubi est? in quo auctore? libro? folio? in quo delirio? somnio? furore? tamen dic testimonium: vel confitere pudendam esse fabulam: & ut Epistolam Sancti Vdalrici, & suffragia alia, ad regendam societatis nuditatem, tanquam ficus folia, fabricarunt, sic finxisse prophetiam istam Thrasones magistros tuos: cum in Sancto Dauide haberent (*Psalmo vigesimo nono*) Prophetiam veriolem: ubi vaticinatus Propheta maximus, non cygnum, sed A P R V M, V E L S V E M D E S Y L V A, exterminatorem vineæ Dei nuncupauit Lutherum, & singularem ferum Calvinum: quæ & verior & Spiritus Sancti est prophetia: propiusque conuenit in Lutherum, qui in sylua Hercinia, ubi non cygni, sed apri nascuntur, editus in lucem, & profusus in mundum fuit: & ut aper vastauit, ut sus sordidauit omnia: & ut originis atque naturæ memoriam testimoniumque relinqueret, semper S T E R C O R A tum in ore & calamo continuit, tum magnis frustis vomuit in aerem & libros: ut ostenderet non cygni, sed apri & suis ad se naturam attinere, perfecteque compleri Spiritus Sancti vaticinationem. Verum satis excussimus Hussium.

Superfunt ante Hussium & VValdenses hæretici quamplurimi, Petrobrusiani, Henriciani, Albigenfes, Abailardiani, & similes, varijs ætatibus ex inferno, ad arrodendam sementem Ecclesiæ Christi, extrusæ in terram scorpionicæ locustæ: Sed quia Epistola fusiolem tractatio-

stationem non concedit, permitto tibi vt deinde, quos commodum erit, nomines, & cum illis vel iunctam, vel ab illis ductam perpetuitatem Ecclesiæ tuæ significes. Semper enim de selectis tuis rursus ostendam duo: primò non omnia sentire vobiscum, eoque ad vos non spectare: abiunctos à vobis in articulis maximis: partim nostris, partim alienis: quos confessio mater prodigiosa vestra, & eius versicolor mirabiliter variatum pallium Apologia reiiciunt, detestantur, damnant: propter quos eosdem vobis in ludo vestro non placent saltatores Anabaptistæ, Schvvenckfeldici, Calvinistæ: Secundò, patronos tuos & præultores quoscunque deliges, vel de suo post multas Ecclesiæ ætates sine vlla priorum seculorum conuenientia ex nouis initijs finxisse hæreses nouas, vel recepisse traditas ab alijs antiquioribus hæreticis: sic vt sententia, quæ nobis erit contraria, & blandietur vobis, nunquam à Catholico, sed semper ab hæretico, & quidem à vobis ipsis reiecto hæretico inchoata: vicissim repressa à prima origine per Patres & scriptores Catholicos sit: quo pacto rursus erit hæretica, & scripturæ aduersa, & falsa. Illa igitur duo patefaciam de omnibus: & quoties tu hæreticos, qui in paucis congruunt, in plurimis disident, ad inferienda foramina hiantis nouitatis vestræ congregabis: toties ego assistens ad latus tuum, primùm retrudam continuò in infernum, vnde venerunt, & in rimis vestris inhærere non patiar: quòd toti vestri non sint, & vt quædam vestra credunt, sic repudient multa, & societatem vestram recusent: deinde tametsi vestri essent, tamen monstrabo in primo ortu fluxisse errorem à damnatis hæreticis, & non placuisse Catholico cuiquam post Apostolos. Cum repetes, nihil te offendi quòd non in vniuersum assentiantur: & culpam in Antichristum

stum inflectes: iterum vanitatem in os reijciam, & ostendam primùm, si sine discrimine hæreticos veteres, qui Ecclesiam Catholicam reprehenderunt, & quædam vobis consentaneè crediderunt, complicabis cum Luthero: nihil futurum esse causæ, cur non omnes hæreticos antiquos, & cur non eadem ratione novos Calvinistas, & Schvvenckfeldicos, & Anabaptistas, qui partem maximam participant credulitatis vestræ, in sectæ inuolucrum recipiatis: Secundò perditè mentiri Lutherum, „ cum ait: Ecclesiam nunquam dissentire à Christo spon-
 „ so, nec mutare traditum ab eo verbum, (*Tomò quinto fol.*
 „ *292.*) nec arundinem esse, sed columnam & firmamen-
 „ tum veritatis: nec vacillare, nec mentiri, & totam esse san-
 „ ctam in fide, & quæ vnicum mendacium, vel doctrinam
 „ vnã falsam tradit, non esse Christi Ecclesiam, sed dia-
 „ boli: & totam esse simul falsam, cum in vna parte errat,
 „ vel mentitur, vel in tenebris hæret: & tametsi peccet in
 „ vita, tamen in fide nunquam hallucinari, & nunquam
 „ errare Ecclesiam Christi: nec manere in Ecclesia, qui do-
 „ ctrinam fidemque Christi purissimè non docent. (*Tomò*
septimo folio 416. 417. 418. Anno 41.) In quibus si scurra
 non fuit Lutherus, & se priorisque vitæ pernicitiam &
 contumelias in Christi Ecclesiam non integro quin-
 quennio ante mortem rectè correxit, quomodo hære-
 ticos errantes, & inquinatos detestabilibus multis for-
 dibus, & vt breuiter dicam, non tam puros, vt vos esse vul-
 tis, credemus fuisse Ecclesiam Christi? & mendacij coar-
 guemus Lutherum? vel si Ecclesia vera non fuit, quo-
 modo vestram subleuabit? & quomodo vestra erit?
 An nec vestra vera est Ecclesia, vel rursus si talium
 hæreticorum Ecclesia non errauit, an igitur vestra ab
 illa dissentiens errat? an errauit antegressa ante illos
 Ecclesia, quæ sic non sensit? An errauit nulla? et-
 iam cum erraret? cum contra reliquas sentiret? an
 eadem Ecclesia, & tota vera, & tota falsa est? sequuntur
 enim

enim omnia ex positione Lutheri & ex tuo, Pappæ, prætextu.

Tertiò si Antichristum clamabis potentia & dominatu subegisse & contaminasse Christi Ecclesiam: repetam principio priora omnia & negabo ex Luthero, sic sordidatam erroribus Ecclesiam, non fuisse Ecclesiam Christi, quæ tota semper esse pura & luminosa in fidei confessione debet: Deinde vobiscum negabo vim externam & crudelitatem Papæ sub S. Patribus vsque ad Gregorium Magnum: Eousque verò quis Antichristus turpificauit puritatem doctrinæ? quibus armis? blanditijs? & quis somnus oppressit, quæ vis cõtraria perculit & infirmavit Spiritum sanctum vt cùm pax esset, non subministraret pupillis suis vel fidem rectam ad iustitiam vel cõfessionem oris ad salutem? Sed adhuc negabo supplicij, ignibus, gladijs consopiri vel absterreri Christianos vt liberè Christum ore & ministerio non confiteantur: Dicam diaboli esse non Christi Ecclesiam quæ tota tacet & errores publicos nõ redarguit: negabo ascendere pollutionem Antichristi ad munditiam Ecclesiæ vt tota sit impura omnibus locis, membris, temporibus: Probabo omnia non solùm ex scriptura: sed etiam ex monstro religionum Luthero: ex verbis scurræ quæ nulla inficiatione tolles, nulla corruptela peruerteres: nisi Magistrum tuum infixum implicatũque scelestissimis mendacijs ingratus discipulus & degener filius derelinques ad sempiternam sectæ torius ignominiam & euersionem.

Fecissem iam, nisi in secunda Epistola satis essent fusè cumulateque tractata: & nisi integram aciem, cùm ad tres Epistolas respondebis, vel cùm alius doctus vir, non simius sutorius Magistellus faciet, aliquãdo educere pro gloria Dei cogitarem: quò multa differo, & tanquam rudes theses tum longiùs ducendas & ornandas maiori lumine propono.

Modò tu diligenter interim circumspectes quos contra

P p

tra

tra me sistas in conflictu. Sed quicumque erunt, quod de Acrio, Iouiniano, Vigilatio, VValdensibus, VViclepho & Hussio perspicuum testatumque reliqui: ostendam ut dixi de omnibus quos nominare & coniungere & continuare, tecum collibebit: vestros non esse: non magis quam sunt Calvinistæ & Anabaptistæ & Schvvenckfeldici: non credere voraginem totam vestram: hostes esse & exterminatores Lutheranismi: nec æquiores vobis quam nobis: nec si aliter affecti essent, opitulari causæ vestræ, sensum scripturæ non susceptum à Catholicis sed vel serò tandem natum in vertigine hominis vnus, vel rursus sumptum ab hæretico alio in quo initium consistat erroris: quod declarabo de omnibus: excipiam nullum: & nisi faciam, triumphabis, Pape, de victoria & de vetustate Lutheranismi, meque leuitatis insimulabis.

Sic igitur summam & quartam Epistolæ & tria priora capita concludam: Aperi aures: Attolle caput, Pape: Attende diligenter quid dicam. Nullus Pater, scriptor nullus Scholasticus, nullus reprehensor Papæ: nullus hereticus: & in genere adultus publicus nullus vir vel fœmina quousque Christi Ecclesia mille quingentis annis per orbem terrarum vel subiecta sub Gentiles & pressa per violentiam hereticorum & Tyrannorum fuit, vel defensa à principibus Catholicis floruit pace: nullus inquam notus & relictus in mortalium memoria recordationeque nostra, maiorum vel minorum gentium homo, nullus Catholicus, hæreticus nullus extitit vnquam qui speciem vniuersam stultitiæ vestræ, quam Lutherus quotidie variatam tandem morte sua, non determinauit sed distractam in mille dissimilitudines abrupt &

p̄it & discipulis magis laniandam reliquit, vel crederet vel à quoquam ætate sua credi sciret: quod ipse Lutherus non negat cùm (Tom. 6. fol. 484.) post interpositum detestabile Diabolicū de religionis in S. Bernhardi conuersione mendacium disertè scribit; Sub Papatu in omnibus templis nullam fuisse de fide in Christum puram publicam concionem ex scriptura: & quicūque in Papatu conseruati sunt, tantū CLAM & OCCVLTE fuisse per Spiritū sanctum in morte conseruatos. Nullam igitur Ecclesiā publicam, nullum publicum Christianum, nullum cū vitam teneret & valeret sensibus sed tantū occultos morientes multos non cœtus sed singulares sparsim disiectos homines agnouit Lutherus quamdiu Papatus per nouem, sicut alibi numerat, ætates floruit: eoq̄ue ante nos conclusionem nostram enuntiatione sua comprobauit.

Verū ne sola sit conclusio: adijciemus de liberalitate nostra Corollarium tāquam illius pedissequum: & concludemus secundò, vt ante Lutherum Lutheranus nullus fuit, sic post abreptum Lutherum superesse iam profus neminem, qui hoc totum quod ille vel per vicissitudines vel ante obitum credidit, sine varietate credat: imò vt dicam leniùs: qui confusionem, quam ex alio Lutheri voluit & penicillo petulantia suæ poliuit obstetrix Philippus, & pallio Apologia amiciuit, isto sensu & modo cum plicis omnibus recipiat, sicut tum magistri intellexerunt: quāquam interim multas particulas partim similiter, partim diuersè ab hæreticis varijs mutatum esse Lutherum & ex ijs omnibus adiectione propriarum fatuitatum contexuisse turpitudinem, quam Lutheranismum vocant, non negamus.

Detractis verò publicis confessoribus religio-
 nis, restant deinde soli muti infantes & in ca-
 ligine demersi occulti: de quibus breuissimè
 agemus.

Abruptam & fatiscentem per totum Papatum & in-
 finitos annos Ecclesiam, primùm omnium Lutherus in-
 teriectis baptizatis infantibus obstruendam & colligan-
 dam esse censuit (*Tom. 5. fol. 145.*) Imitati sunt Lutherum
 discipuli: & tãdem infelix Hunnius Apostatæ patris hæ-
 reticus filius: ille Hunnius qui contra Apologiam, inte-
 gumentũ confusionis Augustanæ (*articulo septimo*) agrum
 Matthæi 13 non mundum sed Ecclesiam esse putat: & me
 consentientem cum Apologia ridiculè criminatur, stul-
 tus calumniator Lutheranæ Apologiæ. Is igitur inter cæ-
 teras indignissimas responso stultas scurrilitates, imperi-
 tus totius Theologiæ & peruersor historiarum atque Pa-
 trum, ex incredibili hebetudine vehementer sibi placet:
 & quasi tendiculas fabrè fecisset, quibus cõstringere nos
 ad confitendam Lutheranorum cum Catholica Eccle-
 sia coniunctionem posset, sic pueriliter exultat. Nam vel
 valere baptismum factum à Lutheranis vel non valere
 scribit: & nobis optionẽ deligendi tribuit. Audiatur mun-
 dus acumen incredibile. Atqui valere ex eo concludit,
 quòd infantes à Lutheranis baptizati non rursus à nobis
 adhibentur ad baptismum. Concludit igitur Hunnius
 indetria: vnum cum Luthero, in mortuis ante rationis
 vsum infantibus fuisse sub Papatu Ecclesiam & eiusmodi
 solos infantes, quorum multæ fuerint myriades, tametsi
 nullus adultus rectè credidisset, satis esse ad constituen-
 dam Ecclesiam Christi: Reliqua duo ex primo & vnum
 rursus ex altero supra Lutherum progressus infert: ni-
 mirum latiùs patere Catholicam quàm Romanam Ec-
 clesiam:

clesiam: cùm Romana tantùm ad pontificios, Catholica ad omnes baptizatos referatur: Deinde Lutheranum cœtum quanquam à Papatu separetur, tamen non propterea separari ab Ecclesia Catholica, cuius sit multò maior amplitudo, quàm Papatus. Quis non obstupesceret solertiam Hunnij? Iube Pappo clamare fratrem tuum *εὐρημα, εὐρημα*: vt ille quondam fecit exiliens è balneo, propter inuentionem Mathematicæ dubitationis immoderatè gestiens Philosophus. Tamen aciem acerrimam & incredibilem perspicaciam examinemus parum in Hunnio: & principio conclusionem primam, communem Hunnio cum Luthero & Lutheranis. Percontanti igitur Papistæ qui ante nos fuerint Ecclesia vera Christi, rectè responderi putant, fuisse infantes. Infans profectò responsio ab infantibus Lutheranis pro infantibus mortuis: ad alia cepæ: non aliter, quàm si tempore Ardanorum interrogatus Catholicus aliquis qui tum essent vera Christi Ecclesia, dixisset esse infantes Ardanorum: vel si hodie Lutheranus quærenti quinam constituerent Ecclesiam Christi, responderet infantes esse Calvinistarum & Catholicorum. An verò non meritò cachinno maximo exhiberetur? Nec enim qui Ecclesiam quærit, quærit infantes: qui Ecclesiam per baptismi sacramentum tantùm participant & definitionem totam Ecclesiæ non perficiunt: sed interrogat de sparsorum per totum orbem hominum societate, in qua Euangelium rectè docetur & rectè administrantur sacramenta vt matris tuæ confusionis verbis vtat. In ista igitur societate insunt quidem infantes, cooptati per baptismum: tamen Ecclesiam soli non constituunt: nec accidet vnquam vt vsque ad infantes restinguatur Ecclesia tota, & in illis solis consistat. Blasphemia est maxima: turpitudine Lutheranorum contra scripturam & contra Christum, qui Ecclesiam suam vult esse perpetuam: non solum in infantibus qui sunt minùs principalis & extrema

pars Ecclesiæ: sed in adultis vtentibus ratione qui tum custodes & doctores esse & præcones (*Esaiæ 62. Hier. 33. Matthæi 24. Ephes. 4.*): tum doceri omnia mandata & veritatem omnem (*Esaiæ 2. Matthæi 28. Ioannis 16.*): & confiteri Christum (*Matthæi 10. Rom. 10.*): & baptizare conferreque & participare sacramenta possunt; quorū nihil ad infantes primas Ecclesię plantas & per baptismum facta mēbra pertinet. Asini igitur sunt, qui cūm Ecclesiam nominare iubentur, præclare se rem fecisse iudicāt, cūm infantes nominant. Quid verò de Elia dicent? quem inepti homines & præsertim Schmidlinus in Eslingensibus cōcionibus sic solū in toto mundo relictū fuisse purum Dei cultorem scurriliter mentiūtur, vt si interrogaretur an vllum alium præter se in orbe terrarum sciret, scurra Schmidlinus negaturū Eliā scripserit? Cur enim tametsi nullum nouisset, non, vt Lutherus & Hūnius, nominare posset infantes & eorum qui circumcisi in regno Israelis essent, myriades plurimas? cur rursus si infantes Ecclesiam sustinent, solum se relictum conqueritur Elias? non quòd verum sit & Elias vnquam existimauerit, solum se vel in mundo vel in Israele superesse ciuem Ecclesiæ & feruum Dei: (est enim falsissimum, cūm vicinum totum Iudæ regnum & in eo summam dignitatem atque puritatem religionis meminisset & in Israele centum ab Abdia in cauernis inclusos Prophetas (3 Reg. 8.) & populū à se paulò antè miraculo conuersum ad laudandum Deum & ad interficiendos Baalitas recordaretur Elias, nec aliter se solum diceret quàm (*cap. 18.*) inter Prophetas & (*cap. 19.*) inter publicos religionis propugnatores.) sed quòd Lutherani per errorem & malitiam contra apertissimam scripturam solum fuisse fingant. Tamen sit verum, quod est mentitum: & fuerit solus inter adultos Elias: quomodo verū igitur dixit Elias cūm se solum essebis repetit? & prætermittit infantes, si infantes constituunt Ecclesiam? & cur non vt Lutherani nobiscum,
 sic

sic Elias cum Deo æquè liberaliter egit? & non se solum sed multa millia infantum commemoravit, cum ostendere vellet Ecclesiam?

Sunt pars Ecclesiæ infantes & prima tanquam virgulta ex quibus arbores proceræ nascuntur: tamen nemo vir intelligens cum de Ecclesia Christi quæritur, respondet de solis infantibus. Deinde quanquam sic commodè responderetur: ecquidnam momenti vel ponderis haberet ad fouendum Lutheranismum? Quid enim si infantes sub Papatu fuerunt tota Christi Ecclesia: an igitur fuerunt Lutherani? & an Ecclesia eorum fuit Lutherana? At qua necessitate? cuius mediæ connexionē? Baptismo inferebantur Papistarum liberi in Ecclesiam veram. Ergo ista Ecclesia vera fuit Lutherana. Ergo Hunnius est lapis: Lutherus asinus: baculus angulus. O disputatores. Cōcedamus errasse Patres papistas: solos infantes retinuisse Ecclesiam veram: Cur autem sequitur infantum veram Ecclesiam fuisse Ecclesiam Lutheri? cur non fuit Arii? Cinglij? Schvvenckfeldij? Fortassis quia vestra vera est. At hoc positum est in quæstione. Cur igitur adhuc Lutherana fuit? An quia fuit? An Hunnius est stipes quia stipes? hæreticus quia hæreticus? sed instabit: Vbi ratus est baptismus, ibi esse Ecclesiam & baptismum non dispensari nisi intra Ecclesiam: sic enim loquitur rudis Theologus Hunnius. At primùm nihil efficit. Nec enim si vera Ecclesia fuit in Papatu & inter infantes: propterea fuit Lutherana. Secundò mentitur publicè contra principium Theologiæ. In Turcia posset Turca alienissimus ab Ecclesia Christi si in verbis inhæreret & baptismum quoquo modo intenderet, baptizare infantem, isque Lutheranis valeret baptismus, An igitur in Turcia & isto loco esset Ecclesia? & an hic baptismus consecraretur intra Ecclesiam? At quam illam? ubi esset Turca solus & infans nondum baptizatus Turcicus? Deinde Lutherus per Diabolicam furorem diabolo baptizandi

zandi potestatem & efficaciam tribuit (*Tom. 6. fol. 99. & 180.*)
 An igitur inter Diabolum & baptizatum erit Ecclesia?
 Et an intra Ecclesiam baptizat & pertinet ad Ecclesiam
 Diabolus? Sed insanit diabolicè Lutherus: & nihil in-
 telligit Hunnius. Valet & sanctus est baptismus extra Ec-
 clesiam & foris ut inquit vir sanctus: sicut vasa sancta
 templi & arca Dei etiam inter gentiles in mensa Baby-
 lonici regis & in agro Philistino retinuerunt veterem san-
 ctimoniam: non quod ibi sit Ecclesia: sed quod Christus
 author & effector baptismi non solum intra sed etiam ex-
 tra Ecclesiam Catholicam, cum verba Ecclesie à Christo
 relicta & ex cœlesti fonte fluentia sine ludibrio recensentur,
 ipse præsens sanctificet sacramentum & baptizatum,
 si obicem non interponit, coniungat cum Ecclesia. (*de
 Baptismo contra Donatistas ubique & de fide ad Petrum cap. 36.
 & contra Gaudentium Donatist.*) Nec enim baptizat sacerdos
 sed Christus: nec est hæreticorum sed Ecclesie catholi-
 cæ baptismus: quanquam Ecclesia ex coniugali Christi
 potestate etiam de ancillis liberos marito progignit.
 Non igitur tantum in Ecclesia factus baptismus valet:
 nec ubi confertur baptismus, ibi necessariò sic est Christi
 Ecclesia ut cœtus & conuentus hominum, inter quos ad-
 ministratur baptismus, sit Ecclesia. Mysterium id vanita-
 tis Lutheranae sed falsissimum est. Vbicunque enim ba-
 ptismus integer sine mutilatione verborum est: semper
 est aliquid Ecclesie tanquam donum vero Domino sur-
 reptum & translatum ad furem: sed non est necessariò
 Ecclesia: nec si est, aliorum est quàm baptizatorum: nec
 diutius quàm quousque usum rationis consecuti in fidei
 publica testatione & in societate religionis non coniun-
 guntur cum hæreticis. Tum enim rursus propria perfid-
 dia abscissi ab Ecclesia desinunt esse Ecclesia: ut scurra
 Lutherus (*Tom. 7. fol. 414.*) faretur & terminum præsti-
 tuit septimum vitæ vel octauum annum: intra quem in
 Ecclesiam & cælum recipit in Papatu baptizatos infan-
 tes: de-

tes: deinde papisticam fidem amplexos & factus adulti-
ores rursus ab Ecclesia & cælo excludit. Permittit igitur
non esse Ecclesiam veram Papatum: sed in Papatu in-
fantes esse Ecclesiam quamdiu facti intelligentes non
recipiunt papisticam fidem: vitiosè quidem quòd hære-
ticus erroris insimulat Catholicos: tamen non absurdè
quod ad rem attinet. Non enim vera Christi Ecclesia
semper est quæ Sacramentis utitur: nec baptismus Eccle-
siam veram necessariò significat: cum & foris & intus, id
est extra & intra Ecclesiam sit baptismus verus & vtrin-
que, tanquam donum Christi cõcessum Ecclesiæ, raptum
ab hæreticis: tamen efficax propter influentē in donum
suum à Christo etiam per hæreticorum intercessionem
sanctitatem: nisi impedimentum interijciatur à bap-
tizato, ut vel post infantiam ab Ecclesia se Catholica rur-
sus abstrahat, vel adultus cum baptizatur, inrus fidem Ca-
tholicam nõ suscipiat: quo utroque casu character sem-
per imprimitur & impressus semper hæret: gratia verò
ab adulto hæretico non recipitur, & suppeditata infantì
cum ad maiorem ætatem adolescens in fide Catholica
Ecclesiæ non persistit, rursus amittitur. Sic igitur cum Ec-
clesia cohæret baptismus: ut semper sit Ecclesiæ: tam-
etsi furto ablatum veniat in manus & usurpationem hæ-
reticorum: tamen non semper inferat vel ex se conclu-
di sinat Ecclesiam: nisi respectu eorum qui vel infantes
baptizantur vel adulti accedunt ad Catholicam sequen-
dam fidem. Alioquin falsissimum est & ab ipso Lutero
repudiatum, congregationem in qua baptismus verus
tribuitur, esse necessariò verā Ecclesiam Christi. Nec ad
istam rem scripturæ, quibus Hunnius pueriliter abutitur,
considerationem ullam habent. Verum est pertinere ba-
ptismum ad solam Ecclesiam: sed interim ut meretrices
legitimorum maritorum dona & ut Philistini arcam
Dei & Reges Babyloniæ vasa sancta templi, sic hæretici
Ecclesiæ *χειρίδι* per iniuriam ad se traducunt: non ut

Qq

hære-

hæretici inde fiant Ecclesia: nec ut baptismus sit hæreticorum: Nihil enim istorum accidit: sed ubicunque baptismus ratus est, ibi tanquam donum est & possessio Ecclesie: nec tanquam res furtiua vsucapitur vel possidetur ab hæreticis vnquam. Similiter secundò verum est per baptismum infantes ingredi in Ecclesiam: & tertio, regenerari baptizatos: in Ecclesia Catholica ad salutem; ab hæreticis ad perniciem cum adulti non accurrunt ad participandum societatem Ecclesie Catholice: & quartò, per baptismum & tantum in arca saluari qui salutem consequuntur: & quintò, mundari Ecclesiam Lauacro aquæ per verbum & fieri saluam per baptismum. Omnia ista vera & scripturæ sunt. Sed quid ex tot veris & concessis sequitur? Non certè quod infans Hunnius per rudiratem concludit: tantum intra Ecclesiam dispensari baptismum & esse Ecclesiam veram ubi vsus valet baptismi: sed ad Ecclesiam Catholicam semper pertinere baptismum, & uti hæreticos baptismum tanquam furto: tamen ex illorum baptismum impetrari salutem cum baptizati intus non obijciunt repagulum & cum in verbis & in materia baptismi & in intentione baptizantis nihil interuertitur: & in genere non esse aliam ad aditum cæli à Christo patefactam viam quam per baptismum. Hæc igitur ad superiores scripturas consecraria sunt: non illa in quibus ridiculè exultat Hunnius: cum infans disputat de infantibus & ex albo concludit nigrum. Non enim quia partem primam Ecclesie constituunt infantes, ideo interroganti quæ tota sit Ecclesia Catholica rectè respondetur esse infantes: nec rursus infantes quia in Ecclesia sunt, ideo sunt in Ecclesia Lutherana: nec baptismus quia semper est Ecclesia, ideo tantum intra Ecclesiam communicatur vel semper valet ad salutem: nec ubi baptismus est, ibi & in isto coetu extra baptizatos infantes & adultos Catholicos est Ecclesia vera Christi. Falsa hæc sunt omnia & nugæ: hebetudines: malitiæ Lutherana-

theranorum & Hunnij. Sed satis excussimus conclusum primum.

Secundum & tertium (coniungam enim vt inter se connexa & consecutaria) sunt adhuc turpiora: profundi longiùs Catholicam quàm Romanam Ecclesiam & non separari à Catholica qui separantur à Romana: quia Catholica ad omnes baptizatos: Romana tantùm ad quosdam qui Pontifici subiiciuntur, spectet. Fac pro Hunnio Pappo syllogismum vt vim & efficaciam connexi videamus.

Ecclesia Catholica (inquit Hunnius) complectitur omnes baptizatos.

Ecclesia Romana non complectitur.

Ergo Ecclesia Catholica patet longiùs quàm Romana. Ergo qui cum Romana non conueniunt, tamen conueniunt cum Catholica.

Ergo Hunnius non est Hunnius.

Quid videtur Pappo de Hunnio? An non magnus est Dialecticus? Primò bis falsum est, Ecclesiam Catholicam esse omnium baptizatorum. Est enim tantùm eorum qui in Catholica Ecclesia vel etiam ab hæreticis ritè baptizati, cùm vtuntur ratione, necuntur cum Christi Ecclesia in professione fidei & vinculo pacis. Nec simpliciter omnis Catholica Ecclesia complectitur tales omnes: sed Catholica tota constans partibus omnibus & in se ambituque suo complexa ab Apostolis vsque ad ætatem nostram Ecclesias omnes omnium temporum & locorum. Sic igitur accepta Ecclesia Catholica continet baptizatos omnes, in sensum in quem diximus. Alioquin si pro Catholica particulari intelligetur, non erit omnium: tamen erit Catholica: cùm quod in partibus quas ὁμογενεῖς appellant, vsuuenit vt quæque pars sortiatur cognomentum totius, idem contingat in Ecclesia Catholica: vt sicut quæque pars aquæ dicitur aqua, sic Ecclesiæ singulares Christi dicantur Catholicæ, tametsi totius

Qq 2

Catho-

Catholicæ sint partes. Hæ verò baptizaros omnes in se non includunt sed tantùm qui ad amplitudinem & restrictionem illius pertinent. Itaque quod de Catholica proponit, verum non est, nisi de Ecclesia tota se loqui & de baptizatis cum Ecclesia deinceps significet Hunnius.

Sic secundò falsum est, Romanam Ecclesiam non esse æquabiliter omnium quorum est Catholica. Reciprocantur enim mutuò Catholica & Romana si capitis & fidei vnitas spectetur: nec Romana est non Catholica: nec Catholica non Romana, id est, in fide cum Romano Pontifice non coniuncta: nisi fortasse per malitiam Hunnius non talem Romanam sed aliam mœnibus tantùm vrbis vel finibus Imperij Romani terminatam intelligat: quam tanquam particularem Catholicam concedimus non conuerti cum tota Catholica sed angustiorē esse: tamen vt nihilominus sit Catholica. Quid igitur lucrabitur Hunnius ridicula ista propositionum textrina? Nam si in maiori non ad totam Ecclesiam, & in minori non ad fidei Romanę Ecclesiam, æqualem Catholicę Ecclesię respiciet: ex falsa & particulari maiore, & simul ex particulari minore nihil nisi miseriam Lutheranaę sectę concludet: nec nos impedit: Rursus si maiorem pro tota Catholica, minorem pro vrbis & Imperij Ecclesia intelliget, nihil negabimus: sed rursus nihil contra nos obtinebit Hunnius, qui Romanam non septam muris ciuitatis vel circumscriptam nominis Romani finibus; sed consociatam cum capite Ecclesię Romano Pontifice & peruagatam per omnes orbis terrarum & omnium ætatum angulos & partes, eo que cum tota Ecclesia Catholica reciprocantem Ecclesiam proponimus. Sed inquires, Pappę, loqui Hunniū de Romanę fidei Ecclesia: & probare de multis terrarum locis Ecclesiam Catholicam à quibus rursus segreget Romanam. At quomodo probat, Pappę? Audiamus enim rursus artificium nouum.

Græcæ;

Græcæ, ait, & Lutheranæ & Calvinisticæ Ecclesiæ, sunt Catholicæ: non Romanæ: Catholicæ, quia efficacem baptismum habent: non Romanæ; quia Pontificem non agnoscunt sed reijciunt.

Non igitur omnes Catholicæ sunt Romanæ. Catholicæ igitur sunt Ecclesiæ quædam: tamen non Romanæ: *ὅτι ἐκεῖ δὲ καὶ οὐκ ἔστιν, ut clamat Grynæus.*

Bone Deus, quantum fulmen? quantum tonitru tonantis & fulgurantis Hunnij? Primum falsum est, Catholicas propter baptismum esse Græcas & Lutheranas vel hæreticas alias Ecclesias. Baptismus enim congregacionem, in qua baptismus confertur, ex se nec indicat nec facit Catholicam, ut diximus, nisi solo respectu vel infantum qui sine vitio baptizantur, vel adultorum cum ipsi se à gratia baptismi & ab unitate Catholicæ fidei non abstrahunt. Non igitur efficit baptismus ut vel Græca vel Lutherana vel similes Ecclesiæ fiant Catholicæ: sed tantum ostendit, esse in illis aliquid non earum sed Ecclesiæ Catholicæ proprium, per quod non hæretici, non totus coetus sed tantum infantes & adulti, qui externa societate & communitate locorum iuncti cum hæreticis sunt & fidem Ecclesiæ Catholicæ non repudiant, inseruntur in Ecclesiam & fiunt pars Ecclesiæ Christi. Atqui isti Romanam Ecclesiam non vituperant: non infantes, qui per ætatem non possunt: non adulti quia implicaret contradictionem, si quos esse diximus, affectu Catholicæ fidei & Ecclesiæ non essent. Est igitur vanitas maxima: coetus in Græcia, Germania, Gallia, Anglia & locis alijs qui bellum cum Catholica Ecclesia gerunt, Catholicas esse Ecclesias: & esse propter baptismum. Schismatici coetus & hæretici sunt: tamen in exteriori aspectabili & civili consuetudine & in loci comprehensione Ecclesiam Christum infantum tum etiam adultorum, qui fidem Catholicam nostram sequuntur, sicut Babylon populum Iudæicum & Sodoma familiam Lothicam includunt: & usur-

patione furtivæ peregrinæ sanctitatis per baptismum Catholicos liberos Ecclesia gignunt: cum ipsi sint hæretici & maneat ancillæ gentiles, & non vxores Christi: Catholici vel Catholica Ecclesia non sint, nisi Romani fiant, fidei Christianæ, quomodo Romæ in publica Ecclesia Christi traditur, obsequentes filij. Non enim Ecclesia vna Catholica sentit cõtra aliam Catholicam: fides vna est, Ecclesia vna: non duæ: nec si Catholica est Catholica, erit etiam hæretica. Monstra sunt Pappe, quæ fingitis: & intelligitis prorsus nihil: ne quidem cum in iugulum exitiumque vestrũ infigitis gladios: quod hîc facit Hunnius. Nam si omnibus locis quibus baptismus efficax est, Catholica erit Ecclesia & sic erit quemadmodum vult Hunnius, vt tota societas baptizantium & baptizatorum sit Ecclesia Christi: præterea si qui in fide dissident, tamen sunt Catholici, modò rectè sint baptizati: simul igitur Catholici erunt Ariani, Nestoriani, Lutherani, Cingliani, Schvvenckfeldici & infinita colluies hæreticorum omnium: & Catholica Christi Ecclesia erit Ariana, Calvinistica, Anabaptistica, Lutherana: nec tantum Catholica erit Lutherana: erunt plures Catholicæ: & nostram Ecclesiam pariter sinetis esse Catholicam & nos Catholicos: rursusque damnabitis fatuitatem vestram quòd in primis Lutheri furoribus libenter concessum Catholicorum cognomentum postea facti impudentiores per vim detraxistis nobis: & tanquam rapinam novam adhibuistis ad induendã antiquo splendore sectam recentem vestram: cõtra naturam vocis: contra cælum & terram. Inde verò quanta extabit confusio? Nam si erunt omnes Catholicæ, erunt simul omnes sanctæ? cum vna sit sancta & Catholica Ecclesia? Nulla igitur hæretica? & par erit cõditio omnium? Quod vt fiat magis perspicuum, imitabor Hunnij in argumentando progressionem: perpende Pappe & quid de Hunnij acumine maximo iudices, responde.

Catho-

Catholica Ecclesia est omnium baptizatorum:

Lutherana non est omnium: non Græcorum: non Arianorum: non Calvinistarum: non aliorum qui cum secta vestra pugnant. Probo. Græci enim & Ariani & Calvinistę & infiniti alij baptizant: tamen vos nō agnoscunt: sed vituperant: damnant: execrantur.

Latius igitur patet Ecclesia Catholica quàm Lutherana: & non est omnis Catholica Lutherana: & est Catholica quæ non est Lutherana: & non separantur à Catholica, qui discedunt à Lutheranismō; nec nos qui longissimè volumus à vobis esse interclusi, propterea sumus alieni ab Ecclesia Catholica: sed manemus Catholici tametsi abiuncti à secta vestra: summatim erunt pariter Catholici omnes: Catholici, hæretici: schismatici.

An verò non dignus est Hūnius quem non Lutherani, quos solos Catholicos non relinquit, sed hæretici oēs laureatū cum triumpho ducāt ad hospitium? pro re tam bene gesta, & eousq; dilatata & extracta Ecclesia Catholica, quò nemo vnquam regni vel Imperij fines prouexit Imperator: & quò ipse Christus Ecclesiam non extendit quam totum agrū esse non voluit & cū mundo non adæquauit, vt contra Hunniū diximus testari Apologiā. Quid verò Diabolo fiet cuius baptismū probat Lutherus? An & ibi erit Ecclesia? & Diabolus nō attinebit ad Ecclesiā? & cœtus in quo Diabolus fingitur communicare baptismum, erit Ecclesia? & Ecclesia Catholica & Diabolus Ecclesię Catholicę pars & minister? Sed ineptus est Hūnius: animalis est: non intelligit ea quę sunt Spiritus Dei. Rursus repeto, vbi cūque firmus & integer baptismus conferatur: istius loci congregationē necessariò habere aliquid Ecclesię: non esse semper Ecclesiam: nisi eorum respectu qui per baptismū regenerati, non cœtum externum, in quo sunt, cū hæreticus est, sed Ecclesiam Christi in confessione religionis sequuntur: & sunt quidem continuitate & societate loci cum hæreticis & inter hæreticos:

tamen

ramentum in fide & iure & ciuitate Ecclesie: non cum hæreticis sed tantum cum Christi Ecclesia colligari. Illi igitur soli Catholici & eo ipso Romani sunt: Papæ Romani in fide filij & socij: nec in vllum hæreticū cœtum congruit Catholici nomen: nec vel in vel de Ecclesia sunt, hæretici, cicti ex comprehensione Ecclesie: prorsus vt mortui iam Apostoli nec in nec de mūdo sunt; nec propter eiusdem vrbis vel prouinciæ occupationem hæretici fiunt Catholici: vt vsura communis Reipublice Babylonicos ciues non fecit populum Dei: nec circumcisionis participatio Mahumetanos Constātinopoli confundit cum Iudæis: de quibus omnibus aliquando non ad confutandum Hunnium qui seipsum refutat, sed ad magis nostram illuminandam de Ecclesia controuersiam & ad obruendas Lutheranorum tenebras agam multò futius. Hoc enim loco tantum obiter argumentum quod ad infantes apposuerat & ex eorū Ecclesia duxerat Hunnius, attingere debui: in quo sicut meretricula Dalila Samsonem licio, sic ille nos baptismo infantum eò constringi putabat vt ad elabendum diuerticulum nullum relinqueretur: quemadmodum ridiculè Thraso gloriatur hæreticus, inanissimus disputator. Vides verò Pape, quomodo vincula quasi fila talarum vt Samson implexum in licio & crinibus clauum extraxit, rupta sine negotio & soluta cum magna Hunnij ignominia, non deinde nos sed sectam Lutheranam constringant. Caue igitur ne de infantibus in responso tuo verbum ascribas vnum: nec de hæretico cœtu qui infantibus baptismum subministrat: nec interrogatus de Ecclesia tota quæ prædicando verbo & administrandis sacramentis occupatur, & doctores missos à Deo ad consummationem sanctorum ad opus ministerij vsque ad exitum mundi habet, respondeas de superiorum temporum infantibus: qui pars quidem muta fuerunt Ecclesie quam quærimus: Ecclesia Catholica tota non fuerunt; & quanquam fuissent,

sent,

sent, tamen qua significatione, quo indicio constaret fuisse Lutheranos? cur non eodem iure Cinglianis, Ariamis & hæreticis alijs liceret accommodare Papisticorum infantum Ecclesiam ad sectam delirationemque suam? cur magis vestri fuissent quàm illorum? Nihil igitur Papistarum infantes vobis succurrunt, nisi prius Catholicam tum Ecclesiam fuisse Lutheranam sectam, id est, posterius priori loco commonstretis. Cur enim Lutherani fuerunt infantes? An quia Catholici fuerunt illi & estis simul vos? Atqui de vobis negamus: concedimus de infantibus: Notum igitur de illis est: de vobis non solum ignotum sed simpliciter falsum est, Catholicos esse Lutheranos. Cur verò ex ignoto & cōtrouerso concluditur falsum? Rursus fuerint superiorum temporum infantes Lutherani: tamen pabulum ad nutriendam sectam vestram non suppeditabunt: Iterum enim negabimus, fuisse infantes Lutheranos Ecclesiam Christi. Ecclesia enim Christi tum infantes tum adultos in se complectitur: nec est vnquam sine adultis qui Euangelium & sacramenta tradunt & accipiunt. Sed in vestra infantum Ecclesia per quindecim secula repressum Christi & occultatum Euangelium iacuit in tenebris & sordibus vt ab adulto nullo, de quo constet, excoleretur: lateret sine testimonio sub scamno: sine ministerio: sine cultura: sine confessione: & hæretet in solis infantibus. Vestra igitur infantū Ecclesia orba ab adultis viris & foeminis & tota in cunis & in vagitu infantum cōsistens Ecclesia Christi nō fuit. Id verò Pappè quia magis dedecorat sectā, intermitte: nec te cum Hunnio da in viam à solis infantibus tritam: ne quidem si tritam esse liqueret: De adultis circumspice: & quia publicos omnes amisisti Patres: Scholasticos: contradictores: Græcos: Catholicos: hereticos: senes: infantes: refer te ad extremum receptum & finge cum magistris tuis occultos qui propter infinitam Papæ Tyrannidem attollere caput & confi-

R r teri

teri Christum absterriti cruciamentis suppliciorum non potuerint.

Scis quidem viam vobis obstructā & gladios ex manibus excussos, & C A C V M vestrum ex latebris impudentiæ extractum esse in solem & in aspectum omnium. Tamen quid facies, desertus à præsidijs reliquis? periclitemur igitur aliquid Pappæ: & lustremus occultos.

Sed dicam vno spiritu breuiter omnia. Occulti, Pappæ, Christiani nulli sunt: sunt electi nonnulli: tamen noti & publici: non quidē electione: sed confessione Christi: societate Ecclesiæ: puritate vitæ. Tamen, inquires, cognouit Dominus qui sunt eius. Verissimum: & cognouit antequā fundamenta iacerentur mundi sanctos Apostolos, sanctos Patres, S. Martyres. An igitur quia Deus cognouit, non fuerunt visibiles? publici? non cogniti mundo? non Christianis coniuncti fide? Intuetur Deus in corda suorū: & qui seriò & qui simulatè credant, compertum habet: quod nos non possumus: tantum ex miraculis, ex exitu vitæ, ex martyrijs, ex fide, vita, iudicijs alijs conijcimus, fuisse electos Deo notos. Interim incurrunt in oculos, in aures, in sensus omnes: homines publici: eloquentes fidem Christi; oppetentes mortem pro Christo; coniuncti & nexi cum Christianis alijs societate Ecclesiæ. Nec affirmatè tantum capienda coniectura, qui Deo noti sint & electi, consequimur: sed cum primis negatiuè certum scimus, qui non sint. Qui enim cum necessitas requirit & periculū impendet nullum, Christum non confitentur coram mundo: fratres errantes, inter quos commorantur, cum possunt, non reuocant in viam: impurè viuunt & credunt: Idololatrias non refugiunt: cum vsq; ad spirationem vltimam in his persistunt, electi Dei non sunt: idque tam est nobis luminosum & perspicuum ut nihil possit esse magis. Nega aliquid si potes: Ipse Christus cum Apostolis inficiationes tuas redarguet & in fauces tuas retrudent. Quod dico vobis in tenebris, dicite in
lumi-

Iamine, & quod in aurem auditis, prædicate super tecto: qui me confitetur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est; qui negauerit, negabo (*Matthæi 10.*): Spiritus sanctus arguet mundum (*Ioannis 16.*): Ore fit confessio ad salutem & Fides est ex auditu, Et quomodo credent si non audiunt? quomodo audiēt sine prædicatione (*Rom. 10.*): In Ecclesia magna confitebor tibi, & in populo graui laudabo te (*Psal. 21. & 34. & passim*): Tu autem conuersus confirma & fratres tuos (*Luce 22.*): Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet pater (*Ioannis 14.*): In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem (*Ioannis 13.*): vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quia tu me misisti (*Ioannis 17.*): sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est (*Matthæi 5.*)

Non igitur in caligine manent electi: Accendunt in se lumen & præferunt alijs: fide: vita: martyrio: interdum etiam edendis miraculis: & quanquam in ijs, qui videntur electi, error iudicij nostri sæpenuerò intercurrit: tamen nemo electus est, qui non etiam sit vocatus & iustificatus & glorificatus (*Rom. 8.*): & qui signa electionis non proferat in conspectum.

Vt verò singulariter electi occultari non volunt: sic Ecclesia tota electorum sine detestabili blasphemia ne quidem fingi potest tota inclusa in tenebris & ignota mundo. Nam vt nihil reperam de fidei confessione quæ omnibus incumbit: est Ecclesia Christi in monte posita ciuitas (*Matth. 5.*): mons domus Domini in vertice montium positus, supra colles omnes sublatus, ad quem omnes gentes confluent & populi multi qui dicent: venite, ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius (*Esaiæ 2. & Mich. 4.*): cuius nutritij erunt Reges & nu-

trices Reginae (*Esaiæ* 49.): cui Reges ministrabunt; in cuius lumine ambulabunt gentes, & reges in splendore ortus: cuius cultores quemadmodum accurrant, videri iubet scriptura; (*Esaiæ* 60.) domus in qua timebunt gentes nomen & omnes Reges terræ gloriam Dei: nō clam sed in conueniēdo populos in vnum & reges vt seruiant Domino (*Psal.* 101.): semen quod SCIETVR in gentibus & germen in medio populorum: sic vt omnes qui eos VIDENT, COGNITVRI sint, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus (*Esaiæ* 61.): vrbs cuius portæ aperientur iugiter & nec die nec nocte claudentur vt ad eam afferatur fortitudo gentium (*Esaiæ* 49.); super cuius muros constituit Deus custodes qui tota die & nocte in perpetuum non TACEBUNT: (*Esaiæ* 62.) populus quem vocabunt sanctus populus & redempti à Domino (*Ibidem.*): cœtus non tantum Apostolorum sed etiam eorum qui per eos credent: qui tum inter se, tum in patre & filio vnus esse debet, non occulta sed testata externis sensibus vnitatem, vt infidelis mundus eam aspiciens & euidentia compulsus, credat, à patre missum esse Christum (*Ioannis* 17.): domus magna Dei, firmamentum & columna veritatis (*1 Timoth.* 3.) cui Deus Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores doctores impertit ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei: id est, vsque ad finem mundi quamdiu ministerio & consummatione opus erit (*Ephes.* 4.): in qua prædicabitur Euangelium regni vniuersæ creaturæ & in toto orbe habitabili vsque ad consummationem in testimonium omnibus gentibus (*Marth.* 24. & *Marci* 16.).

Quorum an aliquid est, quod occultatam Ecclesiam confirmet? quod non magis tollat & exterminet? & Ecclesiam Christi esse non sinat? sine cultu Dei? sine prædicatione & auditu? sine testatione fidei? Electorum igitur Ecclesia, quæ in Ecclesia vocatorum, sicut distin-

distinguit Hunnius, inhaeret & illius pars est, occulta esse non potest, cum sentiatur sensibus omnibus: & in ea primo loco splendeant opera electorum, & luceant in oculis hominum: ubi nulla supplicia, nulli cruciatus, nulli Tyranni impediunt: portæ enim inferorum non preualebunt contra Ecclesiam electorum (*Matth. 16.*) nec extimescunt dolorum acerbiter electi nec propterea tacent omnes. Nolite timere eos qui occidunt corpus: ne ergo timueritis eos: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini (*Matth. 10.*): os & sapientia cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis multos (*Luca 21.*): quod idem Lutherus & Schmidlinus magnis exclamationibus defendunt, cum damnant eos qui tacent & non pro virili parte contra Idololatrias ore, calamo, vita, morte pugnant. Non igitur impediunt Tyranni quò minus publica sit & incurrat in sensus electorum Ecclesia. Deinde vt verum sit obscurari Ecclesiam & tanquam in caligine occultari per immanitatem Tyrannorum: quod tamen est falsissimum: quid tamen de ætate S. Patrum dicemus, Hieronymi, Augustini, Leonis & æqualium? cum ad fruendam pacem splendesceret Ecclesia & floreret tranquillitate? & in ipsis S. Patribus laus summa luceret incredibilis humanitatis? Aut enim fuerunt tum electi, aut nulli fuerunt. Posterius nemo concedet: interiisset enim Ecclesia & mentiretur veritas Christus, qui semper se futurum cum Ecclesia promisit. Fuerunt igitur omnino Christiani electi. At qui rursus vel intellexerunt fidem Christi: vel non intellexerunt. Ponamus primū non intellexisse: Vsuuenit igitur aliquando vt omnes electi errarēt (contra Christum *Matthæi.*) & nemo per orbem omnium terrarum & gentium vel vocatus vel electus esset qui compertam & perspectam veritatem Christianam haberet: & vel Spiritus sanctus ele-

Quos non illuminasset: vel electi prelatu à Spiritu sancto
 lumen ipsi restinxissent: quoru nihil sine contemptione
 Christi & peruersione scripturę confirmari potest. Itaque
 necesse est fuisse semper & intellexisse scripturã Electos.
 Sed tũ cur nõ S. Patres humanissimos viros comonuerunt
 & auocarunt ab errore? cur Christum suum & Christi in
 scriptura propositã veritatem nõ sunt confessi? cur non
 comunicauerunt cum sanctis? cur non predicauerunt
 publicè? cum periculũ nullum à S. Patribus extimescen-
 dum? cum discrimen obeundũ nullum & perferendum
 supplicium nullum esset? cum laboraret ab Antichristo
 corrupta veritas? & tot tamque magnæ Ecclesiæ & in il-
 listam sancti Patres & pretiosæ animæ versarentur in er-
 rore? & passim non Christi vocem sed Antichristi de-
 prauationes audirent infundi in aures ouiu? An fortas-
 sis fecerunt? sed Patres sancti oblatam veritatem reiece-
 runt & non receperunt cohortationes? At quis de S. Pa-
 tribus credet? & omnino quando & quomodo factum
 esse? quibus testimonijs? vnde constat? & cur repulsi à
 S. Patribus, cum pacem Ecclesiæ nullus Tyrannus tur-
 baret, non ipsi tum libris tum sermonibus dimicauerunt
 pro Christo contra Patres? & miseras plebes abstraxe-
 runt à mendacio & ab Idololatria? Id verò si nun-
 quam ne quidem periclitari voluerunt, ecquis tam ru-
 dis erit in cognoscenda scriptura & tam hebes in com-
 muni intelligentia, vt electos fuisse credat, qui non ab-
 territi crudelitate tormentorum, sed retardati ignauia
 & obstupefacti torpore cum sine metu supplicij liberè
 possent, non defenderunt veritatem? & passi sunt iace-
 re mundum & Ecclesiam in sordibus errorum & ipsum
 Christum in ignoratione & neglectione Christiano-
 rum? Falsum igitur est & falsius falso: occultos esse ele-
 ctos omnes & vlla ætate oppressam taciturnitate & mu-
 tam Ecclesiam Electorum & remotam fuisse ab ocu-
 lis & auribus hominum: sed verum est S. Patrum publi-
 cam

eam Ecclesiam fuisse Christi & Electorum Ecclesiam;
& electos fuisse S. Patres, & fidem eorum fuisse fidem Ele-
ctorum.

Dices fortassis, Pappo, electos qui cū S. Patribus vixe-
runt, obligatos communi errore, & obstrictos eadem cę-
citate nō vidisse veritatē antequam morerentur? & cum
morte primū plenam perfectamque Christi cognitio-
nem influxisse, tabescētibus tū stipulis humanis. At illud
in initio Epistolę euulsum cum radicibus omnibus & re-
futatum paulò antè fuit: nec sic nec semper esset Ecclesia
fundamentum & columna veritatis (1 *Timoth. 3.*) nec es-
set corpus Christi nec πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρωμένον (ple-
nitude Christi qui omnia implet in omnibus (*Ephes. 1.*)
nec consisteret cōtra portas inferorū (*Matth. 16.*) nec fu-
isset edificatū corpus Christi per opus ministerij, ad con-
summationem sanctorum in vnitatē fidei & agnitionis
filiij Dei (*Ephes. 4.*) nec audiissent oues vocem Christi (*Io-
annis 10.*) nec Spiritus sanctus mansisset in æternum cum
Ecclesia (*Ioannis 14.*) nec duxisset in omnem veritatē
(*Ioannis 16.*) nec bonum semen quod exceptum bona ter-
ra tulit in bono & optimo corde fructum patientiæ cen-
tuplum, creuisset vsque ad tempus messis (*Matthæi 13. &
Lucæ 8.*) nec rectè vaticinati fuissent Prophetæ, nec ve-
rum dixisset Spiritus sanctus, apud Esaiam *cap. 60*: Erit
tibi Dominus in lucem sempiternam. Non occidet vl-
trà sol tuus, & luna tua non minuetur: populus tuus
omnes iusti. & *cap. 11*: Non nocebunt feræ nec occident
in vniuerso monte sancto tuo, quia repleta est terra sci-
entia Domini. & *cap. 59*: Hoc fœdus meum cum eis, di-
cit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea
quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de
ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Do-
minus, amodò & vsque in sempiternum: de quibus
omnibus fusiùs ago in Causis quas de conuersione fan-
cti Principis, Iacobi Badensis Marchionis scripsi. Electi
igitur

igitur omnes occulti & in perspicientia veritatis erratici non sunt: & quanquam interdum Christiani nonnulli formidine cruciamentorum in silentio fidei delirescunt sine publica enuntiatione religionis: tamen nunquam contitescunt, cum postulat necessitas & cum liberi sunt à periculo: nec tota Ecclesia Electorum simul tacuit vnquam: elocuta semper & confessa Christum: vel in omnibus vel in quibusdam membris: vel in vno vel in alio loco. Cum enim in regno Israelis centum Prophetæ inclusi in cauernis & septem millia virorum, qui genua ante Baal non inflexerunt, palàm pro religione diuina non pugnarent: & in solo Elia ex Prophetis omnibus recubuisse dimicatio pro vero cultu Dei & patrocinium religionis videretur: illo eodem tempore in toto regno Iudæ apud Regem, sacerdotes & populum vigeat ad maximam deuotionem purissima cultus diuini publica tractatio: cum Asa Rex pater rectum faceret in conspectu Domini & purgaret omnes sordes idolorum: & corde perfecto cunctis vitæ diebus coleret Dominum & mandaret grauiSSimè populo Iudæ vt sub pœna mortis quærent in toto corde & in tota anima sua Dominum Deum patrum suorum & inhererent in lege Dei eiusque mandatis: & id factis laudabiliter præstaret populus (3 Reg. 15. & 2 Paralip. 14. & 15.) : & Iosaphat filius eius non declinaret à vijs patris & rectum faceret & quæ placita erant, in conspectu Domini (3 Reg. 22. & 2 Paral. 20.) & nō speraret in Baalim sed in Deo patris sui: & progredieretur in præceptis illius & non iuxta peccata Israel: mitteret verò in totum Iudam Leuitas cum libro legis ad erudiendum populū (2 Paral. 17.) : & constitueret sacerdotes qui fidem docerent populum ne peccarent in Deum: & prepararet cor suum vt requireret Deum patrum suorum: & reuocaret totum regnum ad Dominum Deum patrum suorum: sic vt propter bona opera quæ in illo reperiebantur, Deus intermitteret paratam

ratam

ratam vindictam: (*cap. 19.*) & totus Iudas congregatur cum Rege ad obsecrandum Deum: & ipse Rex tum totum se conferret ad rogandum Deum, tum pulcherrimam concionem pro cultu Dei haberet ad populum: & ieiunium prædicaret in vniuerso Iuda (*cap. 19.*) & moretur in obsequio gratiaque Dei (*cap. 20.*) Sicigitur sub Elia, cum in Israele silerent electi, non tacebant in regno Iuda, sed palam testificabantur omnes fidem: communi celebrando ieiunio: docēda per totū regnum seruandaq; lege: instituendis in virorum, mulierū & paruulorū omnium conuentu precibus & concionib. publicis, & acclamationibus ad Deum: cum Rex primum exemplum poneret: sequeretur tota totius regni circumfusa multitudo: vt quo magis religio per Regis Tyrannidem tegeretur & obscuraretur in Israele, hoc plus & summa puritate, & cumulata confessione, & externa dignitate splenderet in Iuda: & quidem illo tempore, cum Elias se solūm ex Prophetis in Israele relictum, qui iacentem religionem extolleret, tum Deo, tum hominibus conquereretur: rectē quidem quod ad particularem Ecclesiam Israelis, & ad confessores publicos istius regni, & loci spectat: sed non vt per mendacium turpissimum inuertunt Lutherani, & præsertim rabula Schmidlinus, qui de totius orbis terrarum Ecclesia & electis omnibus loqui Prophetam criminose mentitur in Esslingensibus rabiosis seditioibus.

Sic Azarias Propheta (*2. Paral. 15.*) cum vaticinaretur, transituros dies multos in Israel sine Deo vero, & sine sacerdote doctore, & sine lege: continuò excepit Iudam, ad quem loquebatur: & hunc iussit esse animo forti, & tenere cursum pietatis, in quo erat: simulque pro bono opere mercedis spem statim ostendit.

Eodem modo Oseas non Ecclesiam totam, vt sine pudore mentitur Schmidlinus: sed solam Ecclesiam Israelis nominat meretricem: liberat ipse à tanto probro Iudam, cuius Dominum misereri, & curam suscipere (*cap. 1.*)

Ss

tanquam

tanquam non deflecentis à lege (*cap. 4.*) & consentientis fideliter cum Deo, & cum Sanctis (*cap. 11.*) aperte tradit: Et quid opus est multis?

Nominent Lutherani momentum temporis vnum: quousq; regnum & Ecclesia Iudæorum floruit: ostendam semper & Ecclesiam publicam, & electos nō occultos, sed publicos: vel paucos, vel multos. Cū Elias solus esset in Israele: tamen occultus non erat: fulgurabat in miraculis: insectabatur & occidebat sacerdotes Baaliticos: conquisitus ad supplicium à Rege, non abdebat se semper in latebras, sed prodibat in conspectum & insectabatur Regem asperrimè: & totum populum reducebat in viam pietatis. Non igitur occultus fuisset: tametsi solus in totius mundi amplitudine (quod tamen falsum est) purè coluisset, & publicè contestatus esset religionem Dei.

Verū nectunc, nec vnquam postea in istam calamitatem recidit Ecclesia tota Dei, vt publicus Propheta, & publici Electi non superessent, qui palam patrocinaerentur religioni, & errantem populum corrigerent. Articulus nullus temporis: memoria nullius ætatis: indicium nullum significari ex Scriptura potest: cū non simul viuerent Prophete, qui ruentem & concussam ab idololatriis fidem statim subleuarent, & lumen præferrent populo: non occultè, sed in auribus & oculis omnium. Mittebat enim Dominus Deus Patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum de nocte consurgens, & quotidie commonens: eò quod parceret populo, & habitaculo suo (*2. Paralipomenon trigesimo sexto.*) Et testificatus est Dominus in Israele, & in Iuda per manum omnium Prophetarum, & Videntium, dicens: Reuertimini à vijs vestris pessimis, & custodite præcepta meæ, & cæt. sicut misi ad vos in manu ser-

nu feruorum meorum Prophetarum. (4. Regum decimo septimo.)

Id autem subsidium, quod clementia DEI Synagogæ Iudaicæ concessit, cur surripiunt Lutherani Ecclesiæ CHRISTI? quæ vincere Synagogam debuit, & frequentia splendoreque maiori auditorum, & longiori profeminatione, & perpetuitate, & profusione Ecclesiæ? contra scripturam? contra promissiones CHRISTI? contra consuetudinem & exempla Ecclesiæ prioris? Sinamus igitur mortuos sepelire suos mortuos: & quos occultos esse volunt, iacere occultos in tenebris: nec nobis notos, nec illis: de quibus ne quidem an fuerint constat: alioquin enim occulti non essent: eoque nec aduersarios nobis, nec amicos: & omnino religionis nec patronos, nec hostes: tantumne ex hominibus facti asini, sentiamus, fuisse vllum, vel futurum vnquam tempus, quo electos Christianos simul omnes per vniuersam Ecclesiam (siue pax sit, siue bellum) vel consopire taciturnitas, vt nemo confiteatur Christum; vel opprimere cæcitas possit, vt syncerè Christum, eiusque fidem nemo cognoscat.

Nec fortassis tu dices: nec à pingui matre, vel potius à fucoso matris pigmento Apologia dissenties: quæ occultam Ecclesiam non recipit: sed NOTAS EXTERNAS ad ECCLESIAM attexit, QVIBVS COGNOSCI POSSIT, VIDELICET, PVRAM EVANGELII DOCTRINAM, ET SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONEM CONSENTANEAM EVANGELIO CHRISTI: His enim verbis Confessio viginti vnus capitum inconstans mater, articulo 70. paulò obscurius: sed pafsa multis mendaciorum pulmentis Apologia, tegmen

Ss 2

matris,

matris, clarissime sententiam Lutheranorum proponit: & quia externa illa sunt, & tum Doctores, tum ciues Ecclesiae, tum ciuitatis gubernationem in se complectuntur, occultam & inuisibilem esse Ecclesiam, in qua rectè docetur Euangelium, & rectè porriguntur Sacramenta, non sinunt: faciunt necessariò publicam & aspectabilem: quod paucis verbis, Pappè, demonstrare visum est, cum alioquin in quæstionem meam non appositè quadraret. Nec enim instituti mei fuit, vt occultos & peregrinantes à notitia hominum Lutheranos, & qui æquè nobis ignoti sunt, ac est Mathematicis quadratura circuli, per coniecturas & cuniculos quærerem: quos mortuos, cum uiui essent occulti, reperirem nunquam: sed tantum vt propositionem, quam in calce secundæ Epistolæ tanquam scopum præfixeram, in quem tu & omnes Lutherani telis omnibus collinearetis, ita seipsum scripturæ & rationum firmamentis, vt omnibus vestris machinis non confoderetur: sed uti tū in aures totius mundi in clamaui, sic seipsam veritate Christi fulciens & circumuestiens Sanctorum Patrum exemplis, intacta perpetuò circumsonaret aures omnium:

NULLVM APOSTOLVM: NULLVM S.
 MARTYREM: S. PATREM NULLVM:
 NULLVM PER SEDECIM PENE SE-
 CVLA ORTHODOXVM: NULLVM
 HAERETICVM: NULLAM ECCLE-
 SIAM: NULLAM VRBEM: PAGVM
 NULLVM: DOMVM NULLAM: HOMI-
 NEM NULLVM: VIRVM NULLVM:
 MVLIEREM NULLAM: SENEM NVL-
 LVM: PVERVM NULLVM: INFAN-
 TEM NULLVM DE RELIGIONE
 CHRISTIANA QVOVSQVE ORBIS
 GENTIVM ET TERRARVM OMNIVM
 LONGE LATEQVE PROFVSVS EST,

SIC

SIC VNQVAM SENSISSE, VT SENSIT
LVTHERVS, ET ISTA OMNIA CRE-
DIDISSE, QVÆ CREDIDIT LVTHERVS:

Falsa verò vestra esse omnia, pigmenta, mendacia, inter-
trimenta, ludibria: quibus sub persona antiquitatis & fe-
nili aspectu occultare & inuoluere in spolijs atque ra-
pinis priorum Ecclesiarum vultis nouitatem sectæ ve-
stræ.

Id igitur dum paulò copiosius demonstraui, & argu-
mentis communiui, simulque de ignotis in vtopia laten-
tibus occultis surtrinam Lutheranam vestram disieci: vi-
deor etiam illud consecutus vt anteoccupans responsum
tuum, magna te liberarem infamia, quæ ex imprudenti re-
rum tractatione dedecori tuo inhæssisset, si, quæ aperta
iam conspicias esse & putida mendacia, nimium credu-
lus sumpsisses à magistris, & intulisses in theatrum. Po-
stea enim factus consideratior, vel gloriam dabis Deo &
in ista luminosa rei perspicuitate abdicans te recenti tur-
pitudine, subibis suaue iugum Christi; consociatus cum „
Sion monte & ciuitate Dei viuentis, cœlesti Ierusalem, „
frequentia multorum millium Angelorum & Ecclesia ^{Heb. 12.}
primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis: quod de te
prorsus confido: vel si calcitrare contra stimulum, & ipse
te ad damnationem destinare perges, intermittes tamen
vetera non argumenta, sed opprobria vestra: & quæres
noua: vel si tu stans post principia, sicut assolet exercitus
sui inflammator Herbrandus, bellum à te inchoatum re-
linques duendum & finiendum alijs, dabis fortassis ope-
ram non vt inepti calones, sed vt robusti & exercitati mi-
lites sine nugarum & conuitiorum quisquilijs in locum
tuum succedant. Quisquis autem erit: modò si vir hone-
stus & peritus pugnae: gaudebo vehementer suppeditari
nouam occasionem ad magis illuminandam rem pul-
cherrimam, & ad vestras in maiori lumine collocandas
fatuitates, & omnino ad magis expolienda nonnulla, que

hic inter plurimas occupationes, & penè perpetuas inter-
 persiones peregrinationum atq; negotiorum non satis
 fortasse plenè sum persecutus; nec adhuc opus fuit.

Deus Pater omnis gratiæ, misertus cæcitatæ vestræ, per
 infinitam clementiam suam oculos petulanter clausos
 aperiat magistris sectæ & ciuibus: vel certè, si seditionum
 principes & salutis, atque conscientiarum hostes, & pro-
 pter præfractam lasciuiam traditos in reprobum sensum
 misericordia non dignabitur: tamen miseros discipulos,
 & meliores nonnullos magistros, deteriorum magistro-
 rum simpliciores simios, in Christo Iesu, vnico totius sa-
 lutis fonte, ex turpi veterno, suscitet, ad aspiciendam lu-
 centem in omnium Christianorum oculis suauissimam
 Spiritus Sancti lucem, & ad lamentandam nobiscum in-
 credibilem Diaboli operationem in seductione iniquita-
 tis in hæreticis, per quam intelligentes homines, postquã
 semel charitatem veritatis reiecerunt, & crediderunt mē-
 dacio, eousque cæcat & infatuat, vt quæ pueri Catholici
 vident, & audiunt, & intelligunt, senes hæretici apertis o-
 culis non videant, nec audiant auribus, nec intelligant
 animis: magis tenebras lucem, & Diaboli sordes Euange-
 lium purum Christi esse putent: quamdiu Filius Dei præ-
 stigias & opera Sathanæ in hæreticis non dissoluit, &
 squamas de oculis, & impedimenta de auribus, & stupo-
 rem de mentibus non tollit.

Ephes.

Idigitur & omnibus, & tibi præsertim, Pappæ, ex animo
 precor: & quia Deus lucem præmonstrat, & inuitat ad pœ-
 nitentiam, commoneo, vt ex somno, quo congelauit ani-
 mus tuus, surgas, & exurgas à mortuis. Sic enim te illumi-
 nabit Christus, Lux mundi, quæ illuminat omnem
 hominem venientem in mundum.

Fiat. Fiat.

F I N I S.

r

P A R A L L E L A
D O C T R I N A E
L V T H E R I E T
H V S S I I.

Ex quibus clarissimè cognoscitur, in nullo prorsus inter Ca-
tholicos & Lutheranos controuerso articulo consentire
Lutherum cum Hussio: nec plus præsidij posi-
tum esse Luthero in Ecclesia Hussica,
quàm est in Ariana vel
Turcica.

P A R A L L E L V M P R I M V M.

L V T H E R V S.

SOLA Fides iustificat & saluat.

C O N T R A inquit H V S S I V S.

1. In Epistolam Iacobi cap. 2. Fides, quæ per dilectionem
non operatur, mortua est, inefficax ad salutem: mortua,
quia sensu caret, & motu; non sentiens delectationē, quæ
est in charitate ante motum boni operis, in semetipsa, vt
inferiùs ponetur. Et sicut non reficitur pauper solo ver-
bo misericordie; sic nec homo saluabitur sola fide. Vnde
dicitur: Nunquid fides poterit saluare eum sine operi-
bus? quasi dicat, Minimè. Fides enim informis non valet
ad emptionem beatitudinis, quāuis valere possit ad eui-
tationem grauioris damnationis: sed viuificatur per cha-
ritatem operantem &c. Sed contrà Mar. vlt. Qui credi-
derit & baptizatus fuerit, saluus erit: Ergo sola fides sine
operibus sufficit ad salutem. Solutio. Illa autoritas in-

a telli-

telligitur de fide perfecta per dilectionem operante. Et sic soluit glossa. Vel potest dici, quòd verba illa intelligantur de pueris baptizatis, nòdum habentibus facultatem operandi. Vel potest dici, quòd intelligantur de fide formata: Iacobus verò de fide informi. Similiter illud Rom. 3. Arbitramur hominem per fidem iustificari sine operibus legis, id est, cæremonijs legalibus. *Hactenus Hufsius Tom. 2. Nornberg. Anno 1558. publicatæ editionis, fol. 131.*

2. *Ibidem paulò antè.* Glossa interlin. dicit: Debetis bene agere, quia falluntur qui solam fidem sufficere credunt. Et ideo quid prodest? quasi dicat, penitus nihil (prodest) fides talis; sed illa, quæ operatur per charitatem. Gal. 5. De qua Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo.

3. *Tom. 2. fol. 216.* Omnis qui credit &c. 1. Ioan. 5. Credit, supple, fide formata, non informi. gloss. Credit, id est, vivit sicut Christus præcepit: quia aliter & dæmones credunt. Iacob. 2.

4. *Tom. 1. fol. 131.* Dicit, Fides sine operibus, non dicit, sine opere: quia credere est opus fidei, quod tamen non facit fidem viuam sine operibus, quia non fit ex charitate. Fidem enim sequuntur duo actus, scilicet, interior, qui est credere; & exterior, qui est bene operari credendo.

5. *Tom. 2. fol. 131.* Sed contrà dicitur Rom. 3. Iustificati gratis per sanguinem. Item, Si gratia, iam nò ex operibus. Solutio. Hæc intelliguntur de fide operante per dilectionem, vt patet Gal. 5.

6. *Ibid. fol. 132. b.* Homo, qui habet tempus operandi, non iustificatur ex fide tantum: quando tamen non adest tempus operandi, sufficit sola fides, (scilicet formata) sicut patet de latrone, cui dictum est propter fidem cordis & confessionem oris, Hodie mecum eris in paradiso. Cùm autem adest tempus operandi, tunc nec sola fides, nec opera tantum sine fide, sed vtrumque necessarium est ad salutem & iustitiam. Fides enim sine operibus mor-

tua

tua est, & item sine fide impossibile est placere Deo.

7. *Tom. 1. fol. 208.* Quicumque habuerit fidem charitate formatam in communi, sufficit cum virtute perseverantiæ ad salutem. Deus enim, qui dedit primam fidem, dabit militi suo multò clariorem, nisi ponat obicem.

8. *Ibidem.* Secundum quod duplex est fides: Vna informis, ut credunt dæmones, & contremiscunt. Alia est fides charitate formata: Ista cum perseverantia saluat, sed non prima. Vnde quò ad secundam dicitur Ioan. 3. Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam. Et Petro habenti & confitenti illam fidem, dixit Saluator: Beatus es Bariona. Et illa fides est fundamentum aliarum virtutum, in quibus Ecclesia Christi conuersatur.

9. *Tom. 2. fol. 210. b.* Et hoc est mandatum (Mandatum primum & præcipuum de Deo, quod est fundamentum aliorum) ut credamus (fide operemur per dilectionem) in nomine filij eius.

PARALLELVM II.

LUTHERVS.

Charitas non est forma fidei, nec vita fidei.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 131.* Fides sine operibus mortua est in semetipsa, quia non est coniuncta principio vitæ, scilicet, charitati. Forma namque fidei, qua fides viuificatur, charitas est.

2. *Ibid. fol. 133. b.* Fides sine operibus (id est, sine dilectione operante, quæ est vita animæ, ut 1. Ioan. 3. Translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.) mortua est, quia nihil prodest. Vnde Anselmus: Non absurdè dicitur fides viuere operosa, quia habet vitam dilectionis, sine qua non operatur.

3. *Tom. 2. fol. 131.* Fides viuificatur per charitatem operantem.

3 2

4. *Tom.*

4. *Tom. 1. fol. 49.* Fides criminosi hominis caret forma charitatis, seu dilectionis Dei, & sic est mortua. *Vide 4. 7. & 8. testimonium precedentis Paralleli.*

PARALLELVM III.

LVTHERVS.

Sola fides habet vim saluandi, non spes, non charitas.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 208. b.* Sola fides formata charitate cū perseverantia saluat, & de hac intelligenda sunt dicta Scriptura, Qui credit in filium, habet vitam æternam. *Vide primi Paralleli testimonia omnia.*

2. *Tom. 2. fol. 216. b.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; si crediderit charitatiuè finaliter; sic enim ibi accipitur credere, sicut & ibidem Ioan. 3. Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam. Ergo malè arguitur, Quicūque credit in filium Dei, habet vitam æternam & c. Sed sic debet exponi argumentum, Quicūque credit charitatiuè perseveranter in filium Dei. & tunc consequentia erit bona.

3. *Tom. 2. fol. 91. b.* Qui credit Christum esse verum filium Dei, & verum hominem, & omnia credenda de Christo, de eius diuinitate & humanitate, & discredit omnia discredēda, ille habet fundamentum in Christo positum suæ domus spiritualis, super quo debet spem, quæ est certa expectatio beatitudinis ex Gratia & Meritis proueniens, ædificare & c. & tūc debet charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, super spe erigi, vt homo ex spe ista Christum, quia summè bonum, super omnia diligit, copuletque in Christo tanquam in angulari lapide & capite domus vel templi spiritualis tectum charitatis proximi, diligens in Christo proximum sicut seipsum: & tunc erit templum integratum & firmum, quod non poterit viola-

violari à diabolo, nec moueri à tētationibus vt ruat &c. Vnde quò ad hoc, dicit Dominus Luc.6. Omnis qui venit ad me (scilicet per fidē) & audit sermones meos, (spe-
rando beatitudinem) & facit eos, (per dilectionē) ostendam vobis, cui similis sit &c.

4. *Tom.2. fol.209. b. & 210. b.* Quicquid petiuerimus à Deo, (ex radice charitatis digna scilicet petitione) accipiemus ab eo.

PARALLELVM IIII.

LUTHERVS.

Fides informis somnium est, iustificatē autem fidem non necesse est formatam esse charitate. *Tom.1. Latin. fol. 490. & 502.*

CONTRA HVSSIVS.

1. *Locis omnibus suprā adductis, vbi semper informem opponit formatæ, & iustificationem soli formatæ ascribit. Vide omnia testimonia Parall. priorum.*

2. *Sic Tom.1. fol.49.* Patet, quia quicumque non amat Deum super omnia, ille non credit in eum; & sic nullus nomine tenus Christianus existens in crimine, credit in Deum, quamuis credit Deum & Deo, sed per actum fidei informem, sicut dæmonia. Fides enim criminosi hominis caret forma charitatis, siue dilectionis Dei, & sic est mortua.

PARALLELVM V.

LUTHERVS.

Fides infusa non potest stare cum peccato mortali. *Tom. Latin.1. fol.502.*

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom.1. fol.49. Vt iam in testimonio 2. Paralleli quarti ascri-*

a 3

ptum

ptum est, ubi ait, criminofum habere fidem, fed informem, & fine forma charitatis, coque mortuam.

2. *Tom.2. fol.131.* Credere est opus internū fidei, quod tamen non facit fidem viuam fine operibus, quia non fit ex charitate.

3. *Tom.1. fol.209.* Potest aliquis firmum habitum credendorū habere, & tamen ab actu operis Meritorij propter vitam inordinatam deficere.

PARALLELVM VI.

LVTHERVS.

Fides acquisita & generalis est somnium. *Latin. Tom. fol.490.*

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom.1. fol.208. b.* Catholicus habens habitum fidei infusum vel acquisitum, explicitè credit Ecclesiam Catholicam in communi, & in illa fide communi credit implicitè quodcunque singulariter contentum sub sancta matre Ecclesia: Similiter credēdo quicquid voluit Christus de se credi, & non credendo quod noluit de se credi, in hoc credit omnem articulum siue affirmatiuum siue negatiuum de Christo credibilem. Et illam fidem implicitè habuit Petrus, dum expressè confitebatur Christum esse verum Deum &c. Vnde quicumque habuerit fidem charitate formatam in cōmuni, sufficit cum virtute perseverantiæ ad salutem. Deus enim qui dedit primam fidem, dabit militi suo multò clariorem, nisi ponat obicem. Non enim exigit Deus, vt omnes filij sui sint continuò pro sua in actu cogitandi particulari de qualibet fidei particula: sed satis est, quòd postposita desidia habeat fidem in habitu formatam.

2. *Tom.2. fol.117. b.* Actus fidei secundum Theologos est pura adhæsiō veritati catholicæ &c. & illa vocatur fides infu-

infusa. Secundò, Fides secundum actum contractum est credentia, qua quis firmiter adhæret veritati catholicæ ab intuitione eius abscondita, sine hoc quòd sciat illam ostendere ratione naturali, sed solùm per locum ab auctoritate Dei, vel creaturæ rationalis vt signi eorum.

PARALLELVM VII.

LVTHERVS.

Opera ad salutem nihil conferunt.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom.2. fol.98. b.* Iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, id est, iustificati estis per operationem bonorum.

2. *Tom.2. fol.171.* Caritas operit multitudinem peccatorum, id est, delet peccata. Luc.7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

3. *Ibid. fol.227. b.* Sicut illi (qui per baptismum facti fideles redeunt ad priores concupiscentias) primò per fidem & bona opera merentur saluari; sic secundò per murmurationem & immunditiam merentur damnari.

4. *Ibid. fol.87. b.* Christus factus est nobis, scilicet per gratiam bonæ operationis contra malitiam.

5. *Ibid. fol.276.* Mandata Domini apud Dominum iustificat eos, qui ipsa finaliter adimplent.

6. *Tom.2. fol.133.* Iacobus ait iustificari ex operibus hominem. Sed contrà dicitur Rom.4. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed non apud Deũ. & Rom.3. Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Solutio. Paulus loquitur ibi contra illos, qui dicebãt cæremonias legis esse opera necessaria ad salutẽ, quæ tamen cessauerunt in morte Christi quantum ad efficaciam. Hic autem ponitur exemplum de obedientia Abrahæ ad Deum procedente ex magna dilectione Dei, quæ semper
manet

manet efficax ad salutē. Vel soluitur aliter, scilicet, Quòd Abraham non fuit iustificatus ex operibus ante fidem; sed hīc loquitur de operibus sequentibus fidem, quæ dicuntur iustificare, quia ipsam perficiunt & conseruant: quia tunc res fieri dicitur, quando perficitur, vel quando innotescit. Vbi dicit glos. Licet Abraham per fidē, quam habebat, iustus erat; tamē per opera, quæ addidit, ampliùs est iustificatus, quæ si non fecisset, meritum præcedentis fidei amisisset.

7. *Ibid. ex Beda.* Offerens per fidem antea erat iustus: per opera fides est augmentata & cōprobata. *Et paulò post.* Fides, per quam antè iustus erat, duxit eum ad opera, quæ nō essent meritoria sine fide, sine qua impossibile est placere Deo.

8. *Tom. 2. fol. 168. b.* Baptismus, si baptizatus credidit meritoriē viuendo, saluos nos facit per resurrectionem Domini.

PARALLELVM VIII.

L V T H E R V S.

Opera non merentur vitam æternam, non debet aliquis bene operans sperare mercedem vitæ æternæ.

C O N T R A H V S S I V S.

1. *Tom. 2. fol. 273.* Beatitudo est duplex: Vna, quæ habetur in se, & hoc solū in patria: alio modo in spe, & sic habetur in via per bonorum operum merita.

2. *Paulò antè.* Iustitia perfecta est, per quam quis fit iustus, & in virtutibus consummatus, ita quòd ex merito sit ad præmium beatitudinis (quæ est præmium iustitiæ) immediatus.

3. *Ibid.* Beati immaculati, id est, carentes macula mortalis peccati in via vitæ præsentis, qui ambulant in lege Domini, mandata eius opere adimplendo: quia non sufficit

ficit declinare à malo, sed requiritur facere bonum.

4. *Tom. 2. fol. 50. b.* Nemo recipit de mercede post hanc vitam, nisi secundum quod meruit in hac vita. Patet ex hoc, quia solus status viatoris est meritorius status premij beatitudinis sic merenti. *Paulò post.* Sancti suffragantur homini in Purgatorio proportionaliter vt meruit hîc in via, quia solùm hîc est locus merendi, loquendo de merito, quod est libera Dignificatio ad beatitudinẽ. *Et hæc scripsit Hussius Anno 1411. triennio ante Conciliam.*

5. *Tom. 2. fol. 17. b. vt supra.* Et præterea perfecta patientia operatur beatificationẽ, quam addit Saluator Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Ecce opus perfectum, scilicet Beatificationem formatam passiva potentia habet &c.

6. *Tom. 2. fol. 30.* Timor & amor filialis sunt mensuræ præcipuæ totam vitam meritoriam hominis mensurantes. *Et paulò antè.* Deus est bene operantium summè præmiatius.

7. *Tom. 2. fol. 49.* Diuitiæ sunt merita viuẽtibus ad meritorie operandum. *Et fol. 50.* Oportet supponere remunerationem animæ, prout meruit in corpore, iuxta illud Matth. 16. Reddet unicuique iuxta opera sua &c. Deus enim fieret iniustus iudex & Dominus, si non daret præmium hominibus correspondenter ad Merita.

8. *Rursus fol. 50. b.* Christus est homo fundamentaliter promerens humano generi beatitudinem, sic quòd nemo alius, nisi virtute huius lapidis promeretur. Ex quo patet, quòd multum prodest superstitem esse in gratia. Nam tunc merendo sibijpsi amplificat meritum Ecclesię militantis, & per consequens Meritum purgandorum. Ex isto patet, quòd qui vult suffragari mortuis, debet à seipso incipere vitam bonam, & per consequens vt sibimet mereatur suffragia in futurũ: sic enim oportet quemque in gratia Dei ratione Meriti Christi & sui confidere, cum nemo possit alteri mereri, nisi sibi taliter mereatur;

b

nec

nec debet in alterius suffragio spem ponere, vt post mortem purgetur, sed debet per seipsum amando quantumcunque potest, meritorie operari.

9. *Ibid. fol. 120.* An tribulationes temporales sint meritoriae? Videtur quod non &c. Oppositum est in litera. Solutio. Tribulationes ex proprio peccato inflictæ, & ex natura inflictæ, de se non sunt meritoriae; tamen possunt esse ex parte patientis, si humiliter tolerantur. Sic vitam hominis meritoriam vocat *Tom. 1. fol. 51.*

10. *Ibid. fol. 244. post meritum iustorum subdit præmium ipsorum. & fol. 246. & 247.* Cor viri iusti paratum esse (gratia Dei & meritis precedentibus) sperare in Domino, qui est pius retributor. & *fol. 247.* Iustitia iusti (largitio eleemosynarum) manet (quod ad meritum) æternaliter. Constituit enim sibi eleemosynam perpetuam, & censum perpetuum.

11. *Tom. 2. fol. 329. b.* Aliquando præueniuntur preces iustorum (exaudiendo) cum plena sunt merita.

12. *Tom. 2. fol. 317.* Dubitatur hinc ex Augustino, Quia iustificationes Dei hinc sunt opera, quæ operamur circa proximorum necessitates, illa verò æterna esse non possunt, sicut nec ipsorum necessitudo vel miseria: quomodo ergo iustificationes Dei sunt faciendæ in æternum? Solutio. Quia in dilectione debent esse illa opera, & dilectio æterna est, & sic debent esse æterna. Inde est, quod iustificationes ratione finis sunt æternæ. Vnde dicit Aug. Si non diligendo ista faciamus, nulla est iustificatio; si autem diligendo, æterna est dilectio, ei que parata est æterna Retributio, propter quam retributionem dicit inclinasse cor suum ad faciendas iustificationes Dei, vt in æternum diligens, in æternum mereatur habere quod diligit. *Hec Aug. & ex eo Husius.*

13. *Tom. 1. fol. 181.* Intelligitur de illis, quorum merita ligari vel solui postulēt &c. Cum igitur Christianus nullum habiliter, nisi forsan orando, prædicando, vel merendo,

rendo, patet quòd oportet. Dei habilitationem præcedere, vt Deus habiliter hominem secundum merita eius.

14. *Tom. 1. fol. 148.* Deus non ad personas, sed ad merita respicit. *quæ per totum Hussium frequentissimè leges; sicut Tomo 2. fol. 210. vult, vt quicquid agamus, faciamus pro mercede æterna &c.*

15. *Tom. 2. fol. 173.* Difficultas saluationis est in medio, quo mediâtè fit saluatio: multa enim iusta apud nos esse videntur, quæ apud Deum sunt iniusta. *vbi de operibus loquitur, & nominat opera medium, quo mediante fit saluatio.*

16. *Tom. 2. fol. 232. b. vel p. 8. b.* Sed hîc obijcitur contra illud, quod dictum est antè, scilicet, Expectantes vitam æternam ex misericordia. Nam si vita æterna datur ex meritis, ergo ex iustitia, & per consequens non ex misericordia. Solutio. Vita æterna datur ex misericordia, & gratia, & iustitia. Ex misericordia datur quòd ad radicem meriti, quæ est ex gratia; & quòd ad mensuram remunerationis, quæ est supra condignum, de qua Rom. 8. Non sunt còdignæ passionis huius temporis &c. Quòd ad opera verò facta ex conuentione diuina ipsius operantis, datur (vita æterna) ex iustitia.

17. *Vide infra testimonium nonum Paralleli decimi tertij, & Paralleli decimum sextum.*

PARALLELVM IX.

LUTHERVS.

Vna est iustitia, non maior, non minor, qua iustificamur.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 133.* Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, scilicet, ampliorem: quia per fidem, quam Deus ei per gratiam impendit, iustum cum reputauit, (scilicet per fidem formatâ) vt paulò antè loquitur.

b 2

2. *Ibid.*

2. *Ibid.* Ex operibus sequentibus fidem iustificatur homo, id est, magis iustus efficitur. *Vide testimonium 6. Paralleli 7.*

3. *Tom. 2. fol. 273.* Iustus generalis intelligitur iustus secundum omnem statum & modum iustitiæ sufficientis ad salutem. Quæ est triplex, scilicet incipiens, perficiens, & perfecta. Iustitia incipiens & secundum illam iustificatio est, per quam de impio fit iustus, & est primus actus per gratiam de vitijs ad virtutes, & hæc iustificatio prima pertinet ad conuersos, & ad tempus conuersionis. Vnde Ezech. 18. Cùm auerterit se impius ab impietate sua &c. Iustitia perficiens est, per quam fit iustus perfectus eundo de virtute in virtutem. Iustitia perfecta est, per quã quis fit iustus, & in virtutibus consummatus, ita quòd ex merito fit ad præmium beatitudinis (quæ est præmium iustitiæ) immediatus.

4. *Tom. 2. fol. 281.* Iustificationes dicuntur (in Psalmo) præcepta Domini, in quibus nos corrigendo iustificat, vt ait Greg. hom. in Ezech. 7. Et intelliguntur hîc iustificationes omnia opera iustitiæ pertinentia ad incipientes, perficientes, & perfectos.

5. *Tom. 1. fol. 167.* Sacramentalis sumptio in Eucharistia est, vt homo amplius iustificetur, ad futuram vitam præparetur &c.

PARALLELVM X.

LVTHERVS.

Fiducia est fides.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 205. b.* Vt cùm apparuerit (Christus) habeamus fiduciam, (id est, spem assequendi ista) & non confundamur confusione æternæ damnationis.

2. *Ibid. fol. 210. b.* Vt fiduciam (id est, spem) habeamus. *Sic etiam alibi, quoties vocabulum fiducia explicat.*

PARAL-

P^ARALLELV^M XI.

LVTHERVS.

Debeo certò credere, mihi (mihi inquam) remissa esse peccata, & me saluum futurum.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 179. b.* Hic dubitatur, vtrum aliquis viator possit esse certus de sua prædestinatione. Et videtur quòd non, per illud Eccl. Nemo scit an amore vel odio dignus sit. In oppositum videtur hìc esse Petrus dicens, Facientes vocationem vestram certam &c. Hic est notandum, quòd nullus viator scit certitudinaliter sine reuelatione sibi de hoc facta, se esse prædestinatum, & sic nec se in gratia esse, nec opus suum esse virtuosum. Hoc autem contingit tripliciter: primò ex parte Dei, à quo electio, gratia & opus virtuosum dependet principaliter. nam gratia est donum à Deo immediatè infusum, & non nostris meritis acquisitum, & cum illam dat, secundum quod ex sua beneuolètia homo illam acceptat, quæ homini respectu ipsius sine reuelatione est occulta, sequitur quòd ex parte Dei homini sua prædestinatio & gratia est incerta. Secundò consideratur gratia ex parte hominis cui attribuitur, qui ex se minimum gradū gratiæ vel virtutis non potest acquirere, & cautio gratiæ latet hominem sine reuelatione, & sic quamuis homo existens extra gratiam affectualiter & delectabiliter exercet opera charitatis secundum genus &c. non tamen scit se esse in gratia &c. Tertiatio sumitur ex parte actus charitatis, qui ex ea elicitur. nam effectus ipsius actus charitatis est facere hominem Deo acceptum, & ipsum meritoriè operari; sed cum hoc sit homini incognitum, vt priora duo, patet de incertitudine. Nec sequitur, Nullum peccatum mortale scio in me, ergo scio me esse in gratia &c. cum dicat Apostolus, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum.

b 3

Sed

Sed ad textum. Hic dicitur, quod per bona opera faciant homines vocationem certam, id est, nunc (quidem) quod ad spem firmam, & in patria in reale certitudinem. Apostoli vero sciuerunt ex reuelatione Christi se esse praedestinos iuxta illud, Quos dedisti mihi, custodiui &c. Et nos scimus, quoniam translati sumus &c.

2. *Tom. 2. fol. 180.* Per bona opera facite vocationem vestram & electionem certam. Haec certitudo non est simpliciter scientiae, sed coniecturae; non rei, sed spei, de quo Rom. 8. Scio, cui credidi.

3. *Tom. 2. fol. 210.* In hoc cognoscimus (supple coniecturatione probabili, non scientia infallibili) quod ex veritate sumus.

4. *Ibid. fol. 173.* Iustus quidem vix saluabitur, quod etiam fit propter medium, quo mediante fit saluatio. Multa videntur iusta apud nos, quae in conspectu Dei sunt iniusta.

5. *Ibid. fol. 198.* Nullus potest sine peccato mortali totaliter carere, nisi Deus sibi reuelauerit. Eccl. 9. Nescit homo an odio vel amore dignus sit. Propter quod si absque reuelatione Dei asserat se peccato mortali omnino carere, incurrit peccatum iactantiae, falsitatis, & superbiae, asserendo etiam praesumptuose quod nescit.

6. *Tom. 2. fol. 92.* Tanta est profunditas cordis humani, ut lateat etiam ipsum hominem prauum. est enim cor hominis etiam inscrutabile, quis cognoscet illud? Ierem.

23. *Et paulo post.* Nihil mihi conscius sum, conscientia remordente de crimine scilicet apud Deum, quia potest aliquod delictum in me esse, quod nescio. Delicta quis intelligit? Item, Nemo scit (sine reuelatione) odio, an amore dignus sit.

7. *Tom. 2. fol. 209.* Spes non attingit ad fidei notitiam de illo quod sperat; sed quietatur in actu quodam medio inter dubietatem & credulitatem. Vnde multa sunt proponenda fidelibus, quae, semota distinctione, nec debent

bent.

bent dubitare, concedere, vel negare: sed sperare, Vt si mihi proponitur, Tu saluaberis: nec debeo concedere, quia nescio si verum est; nec debeo negare, quia nescio si est falsum; nec debeo dubitare, sed sperare.

8. *Vide testimonia ascripta ad Parall. 28. de absoluteione.*

9. *Tom. 1. fol. 16. b. Moriturus Husius fatetur, nullum sine reuelatione posse de se vel alio rationabiliter asserere, quòd sit caput Ecclesiæ sanctæ particularis, quamuis bene viuendo debeat sperare quod sit membrum Ecclesiæ sanctæ Catholicæ sponsæ Christi. iuxta illud Eccl. Nemo scit an gratia vel odio dignus sit. & Luc. 17. Cùm feceritis omnia, dicite, quia serui inutiles sumus.*

PARALLELV M XII.

LUTHERVS.

Loca Scripturæ, Nescit homo amore, an odio dignus sit &c. Item, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus &c. non pertinent ad euertendam fiduciam Lutheranam.

CONTRA HVSSIVS.

Vide testimonia precedentis Paralleli primum, 5. 6. & 9.

PARALLELV M XIII.

LUTHERVS.

Legem implere, & Deum toto corde diligere nemo potest.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 276. b. Cùm perspexero, id est, perfecte aspexero, scrutando præcepta, amando præmia, timendo supplicia, adiutus per tuam gratiam, & directus in omnibus mādatis tuis, Non ait in vno, alijs omissis, sed in omnibus:*

bus: quia dicitur Iac. 2. Si quis totam legē seruauerit & c. tunc non confundar, confusione erroris per ignorantia.

2. *Tom. 2. fol. 288.* Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, sed quò ad literam, ad mystica, ad spiritualia, ad sperandum & optandum aeterna: nec solùm scrutabor sic, sed & custodiam illam in toto corde meo, & sic pleno intellectu & affectu implebo. Iste est finis debitus perscrutationis legis ut custodiatur; Testatur Saluator Luc. 11. dicens, Beati (ecce finis legis vltimus) qui audierit verbum Dei, (ecce scrutatio) & custodierit illud (ecce operis impletio iuxta legem.)

3. *Ibid.* Custodiam legem tuam in toto corde meo, id est, in intellectu & affectu; in intellectu intelligendo, in affectu diligendo & implendo. Bene dixit, Custodiam illam in toto corde meo. Nam dicit hīc Remigius, Qui legem non custodit, si se illam intelligere dicit, mēdax est.

4. *Ibid.* Custodiam illam in toto corde meo, id est, diligam eam ex toto corde meo, tota anima, tota mente, & proximum sicut meipsum: & quia hoc minùs valeo meis viribus, nisi adiuuer Domine tuo auxilio, igitur duc me in semita mandatorum tuorum.

5. *Tom. 2. fol. 292. b.* Custodiam legem tuam (opere implendo ex dilectione legem tuam, scilicet charitatis, nō praecepta legis Mosaicæ) semper (s. in praesenti) & in seculum seculi (in futuro:) plenitudo enim legis charitas est, quæ in hoc seculo à Sanctis custoditur, & in futura & c. quem totum textum legere operæ precium est.

6. *Tom. 2. fol. 276.* Iam mandata data & promulgata ignorare non possum: sed quia sine gratia Dei, viribus propriæ voluntatis ad faciendum ea infirmus sum, Ergo vtinam meæ viæ (id est, intentiones & opera) dirigantur (gratia Dei præueniente voluntatem, & cooperante ad obseruationem) ad custodiēdas (firmiter & perseueranter tenendas) iustificationes tuas (id est, mandata tua, quæ apud te iustificat ipsa finaliter adimplentes.)

7. *Tom.*

7. *Tom. 2.* Ideo dicit Christus Luc. 10. Hoc fac, & viues, scilicet irreprehensibiliter quò ad Deum & homines. Hic in via, & perenniter in patria. *Et paulò antè.* Deus est summum bonum, ideo super omnia diligendus.

8. *Tom. 2. fol. 30.* In his verbis ostenditur Seruatoris Dei instructio & capacitas, vt sit dilectus Deus super omnia propter beatitudinem finaliter obtinendam. Cùm dicitur, Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua.

9. *Tom. 1. fol. 29. b.* Christianus debet primò credere: secundò mandata Dei adimplere: tertio deuotè orare &c. Credit autem in Deum, dum ipsum super omnia diligit. *Paulò post.* Homo volēs Christo regi exhibere maximum seruitiū, debet ipsum accedere per fidem: quia dicit Apostolus, Accedentem ad Deū oportet credere quia est &c. & tunc ad fidem seruandam requiritur obseruantia mandatorum, quibus debite obseruatis, potest seruus pro remuneratione (pro mercede dicit paulò post) suum Dominum implorare.

10. *Tom. 1. fol. 35. b.* Tunc homo Deo bene bonum vult, dum viuens absq; peccato mortali vult id Deo quod ipse Deus sibi met vult &c. Igitur homo ipsi Deo in secula debet ita velle, & mādata eius firmiter custodire, hoc enim est Deum charitatiuè diligere, de quo diligere dicit ipse Deus ad hominem, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua &c. & dum sic Deum vult & diligit, tunc est eius seruus fidelis.

11. *Tom. 2. fol. 30. b.* Dilige Dominū Deum tuum ex tota anima tua, (prudenter) & toto corde tuo, (fortiter) & ex tota mente tua, (dulciter) & dulcescat tibi sapientia Christi, ne spiritu mēdaciū & erroris seducaris; & luceat tibi veritas Christus, ne aduersitatibus fatigeris; & confortet te virtus Dei, ne oppugnationibus opprimaris: quia tunc diliges prudenter, fortiter, & dulciter Dominum Deum tuum, & per consequens Dominum Iesum

c

Chri-

Christum: quem qui sic non diligit, vt dicendum est, est veraciter anathema.

PARALLELVM XIII.

L V T H E R V S.

Nemo sine peccato magno viuit.

1. *Tom. 2. fol. 82. b.* Sāctificatio specialis, quæ fit per gratiam Spiritus sancti, remouet culpam, & pronitatē peccandi mortaliter: & talis fuit sanctificatio S. Ioannis Baptistæ & Hieremiæ. Sed sanctificatio specialissima, quæ fit per gratiam singularem, remouet culpam originalem, & pronitatem ad peccandum tam venialiter quàm mortaliter: & talis fuit in B. Virgine.

2. *Tom. 2. fol. 180.* Non peccabitis aliquando, potest intelligi tripliciter: Primò, vt referatur ad æternæ vitæ ademptionem &c. Secundò, vt hoc referatur ad gratiæ mansionem, vt sit sensus, quamdiu operabimini secundum gratiam Dei, non peccabitis. 1. Ioan. 3. Omnis, qui manet in eo, non peccat. Tertiò potest referri ad continuam humani finis & principij meditationem. vt sit sensus, Facientes hoc (id est, meditantés continuè principium & finem vestrum) non peccabitis aliquando, saltem mortaliter. Eccl. 7. Fili recordare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

3. *Tom. 2. fol. 198.* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus; De peccato veniali fit sermo, illud non potest in præsentī vita rationabiliter euitari. de illo enim dicitur Prouer. 24. Septies iustus cadit & resurgit. & sic postea de peccato mortali locum explicat item Husius.

4. *Tom. 2. fol. 207. a. & b.* Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, scilicet mortale.

5. *Tom. 2. fol. 205. b.* Ioannes Euāgelista loquitur de peccato graui vel mortali, vt Christus apparuit, vt peccata tolle-

tolleret, &c. Omnis qui manet in eo, non peccat &c. Ecce hîc loquitur de peccato graui mortali siue de crimine: sed ibi, 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus &c. loquitur de peccato leui, quod vocatur à nobis veniale.

PARALLELVM XV.

LUTHERVS.

Definitio peccati mortalis & venialis apud Papistas est inepta.

CONTRA HUSSIVS.

1. Vide testimonium proximè præcedens. Tom. 2. fol. 275. b.
2. Tom. 2. fol. 32. dicit, Solo consensu cõmitti peccatum mortale, cum cogitationem mali sequitur titillatio, titillationem delectatio, delectationem consensus. Vbi ait, peccatum mortale esse quod mortificat animam.
3. Tom. 2. fol. 198. dicit, peccata mortalia sæpe occulta esse, & latere viros sanctissimos.
4. Tom. 1. fol. 36. Definit & recitat septem peccata mortalia ad sententiam Catholicorum, & dicit omnem talem appetitum cum consensu, nimirum appetitum inordinatũ diuitias habendi, coeundi, dolendi de bono alterius, comedendi, vlciscendi &c. esse peccatum mortale. Vbi lector, quantum Hussius à Luthero in mortali & veniali peccato dissideat, nullo negotio cognoscet, & multò magis quantum à Caluino. Hussius enim in ijs omnibus sine errore Catholicorum sententiam sequitur.

PARALLELVM XVI.

LUTHERVS.

Gratia gratis data, & gratia gratum faciens &c. sunt nugæ Papisticæ.

mc 2 CON-

PARALLELA DOCTRINAE
CONTRA HUSSIVS.

Tom. 2. fol. 83. b. Gratia spirituale donum purè gratis datum à Deo, quo se preparat homo ad suscipiendam gratiam gratum facientem. Et hæc dicitur gratia gratis data, & est bona voluntas Dei, qua vult nobis dare, quod non meruimus. 3. Gratia dicitur forma, qua creatura rationalis dicitur grata Deo, & ista dicitur gratia infusa, & variatur secundum quod plus vel minus meruerit. Et ista gratia dicitur triplex, secundum quam Deus prius naturaliter agit opus meritorium quasi viator; 2. concomitans vel cooperans gratia, secundum quam Deus coagit cum meritorie operante. 3. Gratia consummans, secundum quam Deus perficit actualiter meritum finaliter terminatum. Istam triplicem gratiam præterit Apostolus 1. Cor. 15. dicens, Gratia Dei sum id quod sum; Ecce prima gratia; & gratia eius in me vacua non fuit, Ecce secunda. Et gratia eius semper in me manet, Ecce tertia. Gratia gratum faciens quamuis habeatur ex Dei dono efficaciter, tamen habetur ex libero arbitrio consentiente &c. *Vide in sequenti Parallelo.*

PARALLELVM XVII.

LVTHERVS.

Nullum est liberum arbitrium in iustificatione.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 83. b.* Gratia gratum faciens quamuis habeatur ex Dei dono, tamen habetur ex libero arbitrio consentiente. quia dicit Aug. Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te. Ista etiam gratia est à tribus, à Deo vt principaliter efficiente, à gratia gratis data liberum arbitrium excitante, & à libero arbitrio vt consentiente. Istam ergo gratiã optat Apostolus Corinthijs, vt grati Deo existentes bene incipiant, melius perficiant, & optimè terminent vitam sanctam.

2. *Tom.*

2. *Tom. 2. fol. 173.* Deus in saluatione præsupponit aliquid, nempe liberum arbitrium, quod quidem licet Deus possit in melius commutare, non tamen potest ipsum cogere permanente libertate, eò quòd coactio libertati repugnet. Oportet igitur hominem velle saluari, aliter ipsum Deus non saluat. quia secundum S. Augustinum dicitur, Qui te fecit sine te, non saluabit te sine te.

PARALLELVM XVIII.

LUTHERVS.

Duo sunt tantùm Sacramenta, vel tria, vel vnum.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 149.* In hoc Sacramento (extremæ Vnctionis) non imprimitur character. Aut enim est distinctio, & sic imprimitur in Baptismo; Aut strenuitatis, & sic imprimitur in Confirmatione; Aut excellentiæ & dignitatis, & sic imprimitur in Ordinis Sacramento. Vnde Sacramentum (extremæ Vnctionis) iterari potest, illa autem non iterantur, quæ relinquunt in suscipiente characterem, vt Baptismus, Confirmatio & Ordo; cætera verò quatuor non relinquunt. Dupliciter autem dicitur iteratio Sacramenti: primò idem est quòd iterata benedictio, & sic nullum iteratur; secundò idem est, quòd iterata susceptio, & sic iteratur Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonium, & Vnctio.

2. Sic venerabile Sacramentum Eucharistiam; sic Baptismum sacramentum *passim nominat*; sic Pœnitentiam, *Tom. 1. fol. 175. b.* sic Matrimonium *expresse Tom. 2. fol. 100. vbi ait*, Matrimonium esse vnum de Sacramentis Ecclesiæ, tenens imaginem coniunctionis Christi & Ecclesiæ. sic extremam Vnctionem Sacramentum (*Tom. 2. fol. 148. & 149.*) *nominat decies & quater, & quidem sacramentum Evangelij: sic Confirmationem & Ordinationem. Multis*

*locis expresse nominat septem Sacramenta Ecclesiae. Tom. 1.
fol. 218. b.*

PARALLELVM XIX.

LVTHERVS.

Impressio characteris nihil est.

CONTRA HVSSIVS.

Vide 28. proximi Paralleli testimonium primum.

PARALLELVM XX.

LVTHERVS.

Baptismus radit peccata, non tollit.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 82. b.* Triplex est sanctificatio: Vna communis, quae fit per Sacramenta, & ita Corinthij fuerunt sanctificati, quia per Baptismi susceptionem sancti facti. Haec sanctificatio remouet culpam, (originalem sicuti postea explicat) confert gratiam, non tamen remouet fomitem, qui est pronitas ad peccandum.

2. *Tom. 2. fol. 201.* In Baptismo remittuntur nobis peccata originalia & actualia. *Ibid.* Ab originali peccato infantes per vim baptismatis mundantur.

PARALLELVM XXI.

LVTHERVS.

Concupiscentia in renatis etiam sanctis est peccatum.

CONTRA HVSSIVS.

Tom. 2. fol. 83. nominat pronitatem ad peccandum, & fomitem *ter vno loco; peccatum nominat nunquam. Ait enim,* Baptismum remouere culpam, non tamen remouere fomitem, qui est pronitas ad peccandum.

PARAL-

PARALLELV M XXII.

LUTHERVS.

Chrisma est superstitio, & Confirmatio nihil est, multò minùs Sacramentum.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 31. laudat constitutionem, quæ ponitur 1. quest. 1. vbi anathematizatur, qui pro ordinatione, vel pro chrismate, baptismo, vel balsamo, vel pro sepultura, vel pro communionem quicquam exigunt. Vult enim vt gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.*

2. *Tom. 2. fol. 204. 1. Ioan. 2. Sed vos habetis vnctionem à sancto, (scilicet Spiritu factam & datam vobis in Baptismo) vbi quicquam de re signata loquitur, tamen signum etiam attingit.*

3. *Tom. 2. fol. 25. b. Inter potestates datas Episcopo nominat potestatem confirmandi baptizatos.*

4. *Tom. 2. fol. 148. Baptismus est intrantium, Confirmatio est pugnantium; à quibus exigitur bona vita pro se, & fama pro alijs; ideo vnguntur Chrismate consecrato ex balsamo propter odorem bonæ famæ, & oleo propter nitorem conscientiæ.*

5. *Ibid. fol. 149. In Confirmatione imprimitur character, & est Confirmatio sacramentum. Vide testimonium primum in Parallelo 18.*

PARALLELV M XXIII.

LUTHERVS.

Paruuli actu credunt.

CONTRA HVSSIVS.

Tom. 2. fol. 201. Baptismus non solùm credentes purificat, sed interdum nondum credentes emundat, vt paruulos.

uulos. Sed huic dicto videtur obstare illud Marci ult. Eunt in mundum vniuersum &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. : qui non crediderit, condēnabitur. Cū igitur paruuli baptizati non credant, videtur quòd si moriantur paruuli, condēnantur. Præterea cū non possit peccatum dimitti, nisi per charitatem, igitur paruulus qui non diligit, non potest per baptismum de peccato mundari. Sed hīc notandum est, aliquod peccatum esse originale, aliud actuale; peccatum primum sine consensu contrahitur, reliquum nunquam sine actuali consensu committitur. Illud ergo quod sine consensu contrahitur, paruulis sine consensu remittitur; istud autem quod non potest sine consensu committi, nec potest sine consensu remitti. Cū ergo paruuli teneantur solo originali peccato sine omni consensu, possunt per vim baptismatis ab illo peccato mundari.

PARALLELVM XXIIII.

LVTHERVS.

Contritio, Confessio, & Satisfactio non sunt partes Pœnitentiæ.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 37. b.* Sunt autem pœnitentiæ perfectæ, vt dicunt Doctores, partes tres, Contritio, Confessio & Satisfactio. (*idq̄ scripsit Hussius in carcere Constantiæ.*) Addit, Contritio est dolor intimus cordis, quem homo habet pro peccatis, quo plus dolet quàm si amisisset diuitias seculi, famam, vel amicos.

2. *Sic meminit Contritionis Tom. 1. fol. 175. & dicit, sine ea Sacramentum pœnitentiæ non prodesse.*

3. *Tom. 1. fol. 182. dicit, ad pœnitentiā requiri vltra contritionem & confessionem satisfactionem, idq̄ per totum librum sæpissimè repetit.*

4. *Ibid.*

4. *Ibid. fol. 214. b.* Ipsa pœnitētia Contritione, Confessione & Satisfactione conficitur.

5. *Ibid. fol. 175.* Licet sufficeret apud Christum vbique præsentem contritio, tamen Sacramentum pœnitentiæ est valde necessarium, licet non proderit sine contritione præsupposita.

PARALLELVM XXV.

LUTHERVS.

Confessio auricularis non est recipienda.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. fol. 37. b. (in carcere Constantiæ.)* Secunda pars pœnitentiæ est Confessio, quæ est corâ Deo & coram Sacerdote peccatorum recognitio, quæ debet esse plena & integra; plena, vt sacerdos intelligat; integra, ne confitens aliquod peccatum abscondat. qui enim abscondit scelera sua, non dirigitur.

2. *Tom. 2. fol. 149.* Quia remissio peccati nō fit sine confessione, si locus est confitendi, nec sufficit inducere presbyteros, nisi confiteatur infirmus, propter hoc subdit glossa, Ergo cōfitemini alterutrū &c. id est, homo homini, peccata vestra, non tantū Deo, sicut tēpore legis quando offerebant hostias, & sic peccasse se innuebant non confitentes genus, vel speciem peccati; quia in lege non erat perfecta iustitia, & sic patet quòd præceptū est confiteri. Vnde & Ioannes baptizat turbas confitentes peccata sua (Mar. 1.) in signum quòd in baptismo Christi esset confessio peccati. Et Dominus implicite confessionem præcepit Matth. 4. Pœnitentiam agere. Et Apostoli postmodum explicatè præceperunt, & distinctè, vt hîc.

3. *Sic ipse Hussius septimo die ante mortem confessus est monacho. Tom. 2. fol. 347.*

4. *Tom. 2. fol. 148. b.* Si in peccatis sit infirmus, & velit ea
d. i. h. i. c. confi-

confiteri presbytero & relinquere & satisfacere, quia aliter non dignè susciperet Sacramentum; dimittentur ei, etiam si contingeret eum mori. Quia ut glos. ait Venerabilis Bedæ, multi propter peccata etiã corporis plectuntur morte. Si ergo infirmi in peccatis sunt & presbyteris confessi, perfecto corde reliquerint, etiam emendare satagant, dimittetur eis. Nec enim sine emendatione & confessione dimittuntur quæcunque peccata.

PARALLELVM XXVI.

LVTHERVS.

Perinde est Sacerdoti, an Laico confitearis.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 149.* Mortalia peccata debet homo maiori homini confiteri. Vnde glos. & est Venerabilis Bedæ, Grauioris lepræ immunditiam sacerdoti pandamus, & quanto iusserit tempore purgare curemus. Idem ait glos. Peccata quæ fiunt ex ignorantia, vel committuntur ex infirmitate humana, dici & præcipit (S. Iacobus) alterutrū confiteri, quia facilè dimittuntur: quæ verò cum deliberatione (fiunt) non nisi per pœnitentiam maiorem, & à Sacerdote susceptam.

2. *Tom. 1. fol. 38.* Tu ergo appropinquante Quadragesima, quæ est speciale tempus pœnitentiæ, vt verè pœniteas, dole cordialiter de peccato, noli ampliùs peccare; confide de Dei misericordia, confitere sacerdoti peccata tua non tardans, ora deuotè & humiliter, ieiuna patienter, da eleemosynam si potes, abundanter.

3. *Tom. 1. fol. 214.* Cùm Christus dicit Petro, Tibi dabo claves &c. in persona Petri dixit toti Ecclesiæ militanti, non quòd quælibet persona illius Ecclesiæ indifferenter habeat claves, sed quòd tota illa Ecclesia secundum singulas eius partes ad hoc habiles habeat, id est, vt postea dicit, prælati Ecclesiæ.

4. *Tom.*

4. *Tom. 2. fol. 149.* Pœnitentia à solis sacerdotibus imponitur.

PARALLELVM XXVII.

LUTHERVS.

Satisfactio est contumelia in Christum.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 37. b.* Tertia pars completiua pœnitentiæ est Satisfactio, per quam peccator debet satisfacere Deo, sibi, & proximo; Deo humiliando se; sibi affligendo se; proximo reddēdo ei quæ sua sunt. Vnde & iuxta hoc ponuntur tres partes Satisfactionis, scilicet oratio, ieiunium, & eleemosyna. (*Et hæc scripsit ex carcere.*)

2. *Vide testimonium tertium Paralleli 25.*

3. *Sic nominat satisfactionem Purgatorij sæpissimè. Vide Parall. 24. de Purgatorio.*

4. *Tom. 2. fol. 50. b.* Aliqui saluandi decedunt sic in peccatis, quòd non satisfecerant pro commissis. *Vide testimonium tertium & decimum Paralleli de Purgatorio.*

5. *Tom. 1. fol. 183. b.* Habens peccata venialia si moriatur contritus & cōfessus, tamen sine satisfactione operis, vadit ad Purgatorij pœnam.

6. *Ibid. fol. 181. b.* Ad idē est beatus Augustinus in serm. de Pœnitentia dicens, Non sufficit nos in melius commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cum cooperantibus ieiunijs & eleemosynis. Lege totum locum, est enim pulcherrimus.

7. *Ibid. fol. 182.* Ultra Contritionē & Confessionem requiritur secundū qualitatem & quantitatem culpæ qualitas & quantitas pœnæ, & dispar fructus boni operis. hinc sit quantūcunque contritus & confessus, dum rem alienam

retinet, quam restituere potest, nō absoluitur à peccato.

8. *Ibid. fol. 184.* Ezech. 14. est, Si impius egerit pœnitentiam &c. Hic Deus primò ponit pœnitentiam, secundò satisfactionem.

9. *Ibid. fol. 114.* Ligant sacerdotes (ex Magistro Sententiarum) dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt. *Et paulò pœst.* Hoc est verè pœnitere, de præterita præuaricatione dolere cum firmo proposito confitendi, satisfaciendi, & cum cautela cauendi.

10. *Ibid. fol. 116.* Qui in mundo apud sacerdotem debite satisfactionis iniunctione constringitur, apud Deum eiusdem satisfactionis debitor tenetur.

11. *Ibid. fol. 186. b.* Confessarius debet scire proportionare pœnam.

12. *Ibid. fol. 216.* Ille veraciter absoluitur sacerdotali officio, cuius peccatum ad condignam satisfactionem iustè remittitur.

PARALLELVM XXVIII.

L V T H E R V S.

Omnis absolutus certò debet credere se in gratia Dei, & liberum à peccatis esse.

C O N T R A H V S S I V S.

1. *Tom. 1. fol. 182. b.* Augustinus in lib. de pœnitentia ita dicit: Si quis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc (ex hac vita) vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum & reconciliatus, an securus hinc exeat, ego nō sum securus &c. Nunquid igitur dico, damnabitur? Non dico. Sed nō dico etiam liberabitur &c. Tandem,

dem; Tali aut ignoscitur, aut non ignoscitur: quid horum fiat, ego nescio.

2. *Ibid. fol. 175. b.* Sapientes Christi Sacerdotes non afferunt simpliciter quòd confitens sit à peccatis solutus, sed sub conditione ista; Si dolet, & nolit peccare ampliùs, & confidit de Dei misericordia, & vult in posterum mandata Dei obseruare. *Et paulò post.* Et si sufficientem egerit pœnitentiam, non puniet Deus in Purgatorio. *Sic fol. 181. & 186. & alijs pluribus.*

PARALLELVM XXIX.

LUTHERVS.

Missa est pessima idololatria.

CONTRA HVSSIVS.

Esse rem sanctissimam.

1. *Tom. 1. fol. 58.* Proficiscens Constantiam in tota via vsque Constãtiam celebravit Missam, & Constantiæ quotidie vsque ad carcerem.

2. *Sic Tom. 2. fol. 346. ipse fatetur,* se à Papa excommunicatum, tamē perrexisse peragere sacra, id est, celebrare Missam; *vt est paulò antè. Idem dicit Tom. 1. fol. 73.*

3. *Tom. 2. fol. 51. b.* Nihil volo Missarum detrahare sacrificio. Dixi enim antea, quòd salutaris hostia est merces sufficientissima redemptionis omnium purgandorum.

4. *Tom. 2. fol. 52.* Hic dico, quòd non dissuadeo triginta Missarum ministerium: sed opto non solùm triginta, sed quotquot mihi Deus concesserit, Missas dignè celebrare pro mortuis; & alijs sacerdotes similiter celebrent.

5. *Tom. 2. fol. 52. b.* Quælibet Missa ratione sacrificij oblati, scilicet Christi, est infinitum bonum pro purgandis exhibitum, sufficiens purgare plenè omnes in Purgatorio &c. Bonum ergo esset quòd nos Sacerdotes missaremus in spiritu humili &c.

d 3

6. *Ibid.*

6. *Ibid.* Missa ex parte missati, id est, Christi oblato, qui seipsum patri offert in Missa; & ex parte verborum Missae, quaelibet Missa est tam bona quam alia, & prodest Ecclesiae tantum, quantum alia, quia ipse Christus vnus in qualibet. Sed Missa ex parte missantis mali Sacerdotis, quod est missare indignè, non est tam bona, quam bona est Missa vel missatio boni. Cuiuslibet ergo Missae oblatio, quae est Christus, prodest Ecclesiae.

7. *Ibid. fol. 51.* Quatuor modis soluuntur animae defunctorum; aut oblationibus sacerdotum, aut eleemosynis charorum, aut precibus sanctorum, aut ieiunio cognatorum &c. Si autem quaeritur quod de quatuor enumeratis est maximum defunctorum suffragium, dicitur, Quod salutaris hostia (oblatio sacerdotum) qui est Christus, ipse enim est fundamentum & merces sufficiensissima redemptionis animarum purgandarum. *Quem locum postea inferius repetit, ut supra in testimonio 3. sicut folio 52. & 53. plenissime Missam tractat & docet.*

8. *Ibid. fol. 206. b.* Ideo etiam Missa triplex terminatur. Nam in diebus laboris dicitur, Benedicamus Domino, propter eos qui in hoc mundo laborant, qui semper in suis laboribus debent Deum benedicere. Secundò dicitur, Requiescant in pace, propter eos qui sunt in Purgatorio. Tertiò dicitur, Ite Missa est, in diebus solennibus, propter eos, qui in caelo sunt.

9. *Huss. in carcere Tom. 1. fol. 40. fatetur,* se semper legisse in Officio, & in Missis canticum, Verbum caro, panem verum.

10. *Tom. 2. fol. 50. b.* Debemus quotidiana Deo lachrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare. Haec enim singulariter victima ab aeterno interitu animas saluat.

PARAL-

PARALLELVM XXX.

LVTHERVS.

Christus seipsum patri non obtulit, nec obtulit Melchisedech panem & vinum, nec Christus iussit vt Apostoli offerrent.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 234. b.* Melchisedech panem & vinum obtulit, (Gen. 14.) & Christus panem & vinum in corpus & sanguinem suum consecrauit, & Deo patri obtulit, & discipulis offerre cōmisit Matth. 26. Et hinc dicit Beda super Marcum, Manducantibus illis accepit Iesus panem, vt scilicet ipsum se esse monstraret, cui iurauit Dominus, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ecce in quantis similitur Melchisedech Christo filio Dei. propter quod dicit Ambros. de Sacramentis: Ex hoc autem accipe anteriora esse mysteria Christianorum quàm Iudæorum. Contulit enim Melchisedech panem & vinum similis per omnia filio Dei, cū dicitur, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

2. *Ibid. fol. 233.* Tu es (Christe fili Dei) sacerdos (secundum humanitatem) in æternum secundum ordinem (ritum) Melchisedech (qui panem & vinum obtulit, & non secundum Aaron, cuius ritus fuit offerre pecora.)

PARALLELVM XXXI.

LVTHERVS.

Canon Missæ est plenus abominationum.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 163.* Super his fundans se vniuersalis Ecclesia, dicit in Canone Missæ: Offerimus panem sanctum vitæ æter-

æ æternæ & calicem salutis perpetuæ. & iterum ibi. Panem cælestem accipiam, & nomen Domini inuocabo.

2. *Quia vsque ad carcerem Hussius Missam celebrauit, vii Canone perfecto debuit, vt & fecit, & in ista fide est mortuus.*

PARALLELVM XXXII.

LVTHERVS.

Corpus Christi in cœna non est adorandum, & Festum Corporis Christi est impium.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom.1.fol.163.* In cantu diei Corporis Christi canit Ecclesia: Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, Verè panis filiorum, non mittendus canibus. Bone pastor, panis vere, Iesu nostri miserere. (*Quæ omnia Hussius probat, & tanquam testimonium apponit, & dicit cani ab Ecclesia.*)

2. *Tom.1.fol.190.b.* Ipsa Eucharistia est magis à fidelibus veneranda, quàm aliorum Sanctorum reliquiæ.

3. *Tom.1.fol.162.b.* Nos adoramus Corpus Christi & sanguinem in dextra Dei patris existentem, & in venerabili Sacramento, quod Sacerdotes conficiunt, absconsum.

PARALLELVM XXXIII.

CALVINVS & ZWINGLIVS.

Verum Corpus Christi non est in cœna.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom.1.fol.39.* Ex potestate & institutione Christi veri Dei & veri hominis per ministeriũ sacerdotum est in Sacramento venerabili verum Corpus suum, quod conceptum est & natum ex Maria Virgine castissima, potestate Spiritus sancti; quod passum est in cruce, quod iacuit in sepulchro pro triduo; quod ascendit in cælum, & sedet ad dex-

ad dexteram Dei patris; illud & non aliud, sine noua sui substantiali inceptio est in ipso Sacramēto venerabili. Similiter sanguis qui effusus est in cruce in remissionem peccatorum de eodem corpore. Nam dixit Christus Iesus, Accipite &c.

2. *Tom.1.fol.126.b.* Dixit Hus in Concilio: Sentio verè, realiter, & totaliter esse Corpus Christi in sacramēto Altaris, quod natum est ex Maria Virgine, passum, mortuum, & quod resurrexit, & sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Atque hęc testatus est coram Concilio se ex animo & syncerè loqui.

3. *Tom.1.fol.155.* Corpus Christi cum omnibus suis partibus solùm in cælo est localiter, & dimensiuè, licet in Sacramento altaris sit realiter & verè.

4. *Ibid.fol.162.* Timet Hus, ne fortè quidam vacillent, an sit sanguis in Sacramento venerabili, eo quòd ipsis visibiliter non apparet.

5. *Tom.1.fol.166.* Credere in Sacramento altaris esse verum Corpus Christi, & verum sanguinem, est fides, qua fidelis adhæret fideliter veritati Catholicæ.

PARALLELVM XXXIIII.

LVTHERVS.

Corpus Christi est vbique, non tantùm in cœna & in cælo.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom.1.fol.155.* Corpus Christi cum omnibus suis partibus solùm in cælo est localiter & dimensiuè, licet in Sacramento altaris sit realiter & verè.

2. *Tom.2.fol.341.* Hyperdulia est reuerētia debita Christo, qui secundum duplicem naturam est creator & creatura simul. Sicut enim aliqua sunt incommunicabiliter in Deo, vt omnipotentia, omniscientia, & efficacissimè

c

omni-

omniuolentia, cum ceteris proprietatibus Deo proprijs: sic aliqua sunt honoris sibi appropriatissimè tribuendi, & ex alio latere aliqua sibi analogicè conueniunt, vt dominatio, potestas, dignitas, & similia.

3. *Ibid. b.* Honor humanitati Christi (adoratio) debitus, Hyperdulia vocatur, vel Dulia superior.

4. *Ibid. b.* Caro Christi siue humanitas Christi in se considerata, non est adoratione latriæ adoranda. sic glos. super illud psalmi, Adorate scabellum pedum eius. Caro Christi, ait, non est adoranda adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur. Et tamen caro Christi, quia est Verbo unita suppositaliter, est per Hyperduliam adoranda: & hoc innuit Augustini authoritas ostendēs exemplar quomodo purpura, vel diadema Regis, vt sunt separata à rege, nō sunt adoranda, sed coniuncta Regi, hoc est, quia Rex in illis adoratur: sic humanitas Christi in se considerata per intellectum, quamuis non separata realiter, non est adoranda latria, quamuis Christus homo est adoratione latriæ adorandus.

PARALLELVM XXXV.

LVTHERVS.

Transubstantiatio est res impia & blasphema. *Tom. 2. Latine Ienensi fol. 528. b.* & in Sacramento Venerabili non sunt species panis & vini, sed ipse panis & vinum.

CONTRA HVSSIVS.

1. *In genere Tom. 1. fol. 39.* De venerabili Sacramēto Corporis & sanguinis Domini credēdum est, quicquid Christus Iesus per se Apostolis, & per ipsos, & per alios sanctos Doctores tradidit, & quicquid tenet sancta sua Romana Ecclesia de hoc Sacramento venerabili, hoc firmiter est credendum, & istud in generali sufficit multis sanctis credere, & sufficit indoctis, & simplicibus Christianis infor-

informatione carentibus ampliori. *Hoc ex carcere Constantiæ, quod notandum est.*

2. *Ibidem.* Sacerdos tanquã minister Christi, qui potestate & verbis Christi facit, quod fecit Christus potestate propria & verbis proprijs Transubstantians panẽ in Corpus suum, & vinũ in sanguinẽ suum. Vnde canit Ecclesia: Dogma datur Christianis, quòd in carnem trãsit panis, & vinum in sanguinem. Et iterũ: Verbum caro, panem verum, verbo carnẽ efficit, Fitque sanguis Christi merũ &c.

3. *Ibid. cap. 3.* Christus virtute propria & verbis proprijs transubstantiat panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum iuxta canticum Ecclesiæ istud, Verbum caro &c. Verbum caro, id est, filius Dei existens homo; efficit verbo per transubstantiationem verum panem carnem; & merum, id est vinum, fit scilicet per transubstantiationem sanguis. patet in materia de Consecrat. dist. 2. per sanctos &c. Vnde (*inquit Hussius*) nunquam prædicaui, quòd in Sacramento altaris manet substantia panis materialis, de quo me veritatis inimici ei mendaciter accusarunt. *Sic scribit Constantiæ ex carcere.*

4. *Ibid.* Corpus Christi est sub specie panis per transubstantiationem panis in ipsum corpus, & sanguis est concomitanter. & Sanguis est sub specie vini per transubstantiationem vini in sanguinem, & corpus est sub eadem concomitanter.

5. *Sic Tom. 2. fol. 345. Tom. 1. fol. 5. & 9. Hussius in Concilio Constantiæ respõdet:* Pernego me vnquam vel docuisse vel credidisse, quòd post consecrationem in Sacramento altaris maneat panis materialis, sicut Hieronymus Pragensis. (*Tom. 2. fol. 356.*) *Similiter coram Concilio respondit;* Ante consecrationem esse panem & vinum, post consecrationem esse verum corpus & sanguinem Christi.

6. *Tom. 2. fol. 340. Quinquies fatetur* transubstantiari panem in corpus, non per modum creationis, sed per modum confectionis.

7. *Tom. 1. fol. 166.* Verum Corpus, & verus sanguis Christi Verè & Realiter, non sub proprijs speciebus, sed sub Alienis, manducatur & bibitur.
8. *Tom. 1. fol. 12. b.* Hussius coram Concilio non quidem annihilari panem, sed tamen quòd singulariter desinat ibi esse per transubstantiationem in Corpus Christi, fatetur publicè. Item, quòd desinat esse in hoc singulari pane materialitante tali transubstantiatione, cum ille tunc mutatur, & transit in Corpus Christi, vel transubstantiatur.
9. *Tom. 1. fol. 155. b.* In Sacramento venerabili stant accidentia sine subiecto, in quo priùs fuerant.
10. *Et hic notandum est,* Corpus Christi post consecrationem vocari ab Hussio adhuc panem non materiale, sed panem Angelorum & panem caelestem. Sed contra iam dicta obijcitur, Si Christus est panis, ergo est panis materialis ex farina factus, non transubstantialis. Respondet non sequi, nec esse Christum panem farinae materiale, sed panem supersubstantialem. Item ad dictum Ambrosij, Post pronunciationem verborum Christi, non panis sed corpus dicitur. Respondet Hussius non talem panem esse post verborum prolationem sacramentalium, sed præstantiorem, quia antea erat tantum materialis ex farina, sed iam est supersubstantialis, ut ipse Ambrosius ait. Quare ergo dixit in oratione Dominica, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie? panem dixit quippe, sed ἐπιούσιον, id est, supersubstantialem. Sic ut Hussius nunquam putaret manere panem materiale, in qua sententia mortuus est; nec unquam dixit, In, Sub, vel Cum pane esse corpus Christi, sed sub specie panis esse corpus Christi, & ipsum corpus Christi esse panem, panem scilicet Angelorum, & ἐπιούσιον, quo animæ nostræ nutriantur, quod nemo negat.
11. Species panis & vini in venerabili Sacramento semper nominat, nunquam panem & vinum; In omnibus libris, ut etiam docet *Tom. 1. fol. 40.* in specie esse corpus Christi & sanguinem; speciem videri, tangi, teri &c.

12. *Tom. I. fol. 166. pro absurdo adducit in venerabili Sacramento accidentia non esse sine subiecto, & addit dimensiones hostiæ non esse in Christo, sicut in subiecto.*

PARALLELVM XXXVI.

LUTHERVS.

Sacramentum venerabile asseruari non debet.

CONTRA HUSSIVS.

Tom. I. fol. 162. b. Si seruant presbyteri in Ecclesijs Sacramentum, tunc semper fit propter manducare, vt infirmi in casu non valentes altare accedere, manducant salubriter conseruatum.

PARALLELVM XXXVII.

LUTHERVS.

Tantum in vsu & manducatione est Corpus & Sanguis Christi.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. I. fol. 9. Falsò de medicùt, quòd docuerim, quòd quando hostia eleuatur, tunc est Corpus Christi; & quando ponitur, tunc non est.*

2. *Tom. I. fol. 40. Sciendum quòd post verba consecrationis in ipso Sacramento tamdiu est Corpus & sanguis Domini, quamdiu manet species panis & vini. Et non seorsum corpus & seorsum sanguis, sed sub vtraque specie manet Christus totus vt canit Ecclesia. Vnde Corpus Christi est sub specie panis per transubstantiationem panis in ipsum corpus, & Sanguis est concomitater. Et Sanguis est sub specie vini per transubstantiationem vini in ipsum sanguinem, & Corpus est sub eadem concomitanter. Vnde stultissima & turpissima vesania esset dicere, quòd solùm quando Sacerdos eleuat Sacramentum ve-*

PARALLELA DOCTRINAE
 venerabile, tunc est Corpus Christi, & quādo deponit, tunc
 non est. *Vide testimonia Paralleli 35.*

PARALLELVM XXXVIII.

LVTHERVS.

Vsus duarum Specierum per Cōcilium decretus pro-
 bari non debet.

CONTRA HVSSIVS.

Tom. 2. fol. 72. ex carcere scribit. Si potest fieri, attentetis,
 vt saltem permittatur per Bullam illis duas species dari,
 qui ex deuotione postulauerint circūstantijs adhibitis.

PARALLELVM XXXIX.

LVTHERVS.

Consecratio nihil est, & non necesse est Sacerdotem
 esse, qui Sacramentum conficit, nec opus est intentione,
 nec fit consecratio virtute verborum.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 39.* Credendum est quòd tam bonus, quàm
 malus Sacerdos habens fidem rectam circa venerabile
 Sacramentum, & habens intentionem sic faciēdi, vt præ-
 cipit Christus, & dicens verba in Missa secundum insti-
 tutionem Ecclesiæ, conficit, (id est) Virtute verborum
 sacramentaliter, facit ministerialiter esse sub specie pa-
 nis verum Corpus, & sub specie vini verum Sanguinem
 Christi.

2. *Tom. 2. fol. 340. b.* Hinc dicit B. Bernardus in sermone
 de corpore Christi ad Petrū papam: Nulli Angelorum,
 nulli Archangelorum, nullis supernis spiritibus, sed ho-
 minibus, Non omnibus, sed tātūm ordini nostro (presby-
 teris) commissam esse celebrationem tanti Sacramenti,
 vt con-

vt consecratus in Sacerdotem, conficiat in altari, quod Christus confecit in cœna Paschali. In altari quippe Sacerdotum ore conficitur Corpus Christi.

3. *Tom. 2. fol. 159. b.* Secundò dicuntur Sacerdotes, quia sunt sacra conficientes. Vnde in eorum consecratione dicitur; Vnctione consecrentur, Domine, manus istæ, & benedicantur, vt quæcūque benedixerint, benedicta sint, & quæcūque consecrauerint, consecrata sint. Tertiò dicuntur Sacerdotes, quia sunt sacra dantes, ipsi enim ministri sunt Sacramentorum Ecclesiæ.

4. Consecrationis voce sæpe vitur *Tom. 2. fol. 234. b. 345. b. Tom. 1. fol. 5. 9. 12. & sæpissimè.*

5. *Tom. 1. fol. 39.* Ex potestate & institutione Christi veri Dei & veri hominis per ministerium Sacerdotum est in Sacramento venerabili verum Corpus, & verus Sanguis Christi.

6. *Tom. 2. fol. 26. b.* Deus ordinauit in Episcopis varias potestates Sacramenta Ecclesiastica conficiendi & administrandi.

PARALLELVM XL.

LUTHERVS.

Nugæ sunt, accidentia Specierum consistere sine subiecto.

CONTRA HUSSIVS.

Tom. 1. fol. 156. Non obstat quòd illa rubedo sine sanguine Christi foret sine subiecto, quia etiam accidentia venerabilis Sacramenti stant sine subiecto.

PARALLELVM XLI.

LUTHERVS.

Missa pro defunctis est res impia.

CON-

1. *Vide quintum, septimum, & octauum Paralleli 29. testimoni-
um, & octauum Paralleli 43.*

2. *Tom. 2. fol. 51. b.* O vtinam sic faceremus nos Sacerdo-
tes, tunc enim non solum triginta Missas, sed quotidia-
nas propter vitam aeternam (spementes mundum, & sic
mundi pecuniam) in purgationem omnium fidelium de-
functorum missaremus.

PARALLELVM XLII.

LVTHERVS.

Exequiæ, officia, & orationes viuorum non iuuant de-
functos.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 51.* Beati viantes (id est, viuentes) iuuant suis
orationibus, ieiunijs, & eleemosynis, & alijs sanctis ope-
ribus sanctos dormientes Ecclesiæ, vt à poenis Purgatorij
exeant, & in patria citius collocentur.

2. *Paulò post ibidem.* Pijssimus Iesus Christus dignetur
illis culpam dimittere, qui de me dicunt, quòd ego nega-
rem suffragia sanctorum & respectu viantium, & respec-
tu in gratia mortuorum. scio enim quòd Christus do-
cet, vnumquodque membrum prodest cuilibet membro.

3. *Tom. 2. fol. 300.* Participat quilibet iustus cum quoli-
bet alio iusto in isto, quòd quicquid boni fecerit alius iu-
stus, omne illud prodest cuilibet. Verbi gratia, si vnã ora-
tionem Dominicam dicit aliquis iustus, tunc in illa ora-
tione omnes sancti participant siue communicant cum
omnibus prouenit ad vsum. Nam sanctis in patria pro-
uenit ad maius gaudium; purgandis siue dormientibus
in Purgatorio ad poenæ mitigationem, & ad citiorem li-
berationem; Viatoribus sanctis ad peccati mitigatio-
nem, euasionem, purgationem, in omnibono conforta-
tionem,

tionem, etiam ad meritum Beatitudinis consequendum.

4. *Tom. 2. fol. 49. b.* Inter causas laudabiles Exequiarum est hæc tertia, vt deuotius orando pro mortuis dormienti Ecclesiæ, id est, sanctis in Purgatorio adiutorium impendamus.

5. *Vide testimonium 3. 4. & 5. Paralleli 45.*

6. *Tom. 1. fol. 198.* Sacramentum Eucharistiæ diuiditur in tres partes: primam partem immersam Sacramento dicunt significare Ecclesiam triumphantem &c. per illas duas partes, quas Sacerdos tenet in manibus, maior supposita significat Ecclesiam in Purgatorio existentem, ipsa enim innititur suffragijs militantis Ecclesiæ.

7. *Tom. 2. fol. 46.* Si sanctæ memoriæ Alexander Papa in condiendo & lucendo (id est, quia lux mundi & sal terræ esse debuit) venialiter defecit, rogemus omnipotentem Deum, vt secundum magnam misericordiam suam dignetur eum iam in cælesti gloria aggregare.

PARALLELVM XLIII.

LUTHERVS.

S. Paulus 1. Corinth. 3. per ignem non intelligit ignem purgatorium.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 90. b. primum ad textum ascribit,* Dies Domini declarabit, qua in igne reuelabitur, scilicet in poena Purgatorij.

2. *Idem habet in expositione istius loci,* Probabit ignis, ibidem.

3. *Sic isto eodem loco fol. 91. b. Legit testimonium septimum Paralleli 45.*

¶

PARAL-

PARALLELVM XLIIII.

LVTHERVS.

Locus Matth. 12. Nec in hoc, nec in alio seculo &c. nihil facit ad Purgatorium.

CONTRA HVSSIVS.

Vide quartum testimonium Paralleli 45.

PARALLELVM XLV.

LVTHERVS.

Purgatorium est res commentitia contra Scripturam.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 40. b. ex carcere scripsit*, Venerabile Eucharistiae Sacramentum sumendum esse (inter alia) vt liberetur homo à poena Purgatorij, quam deberet homo pati.
2. *Ibid. fol. 51.* Vniuersalis Ecclesia principaliter tripartitur, in Ecclesiam triumphantem, militantem, & dormientem. Ecclesia triumphans est, beati quiescentes in patria, qui aduersus Sathanam militiam Christi tenentes ipsius praesidio finaliter triumpharunt. Ecclesia militans, est numerus praedestinatorum, dum hic viant ad patriam &c. Ecclesia sancta dormiens est numerus praedestinatorum in Purgatorio patiens. Dicitur dormiens, quia ibi existens iam beatitudinem expectat, quam debet ingredi ex Dei gratia & Auxilio Ecclesiae militantis.
3. *Tom. 2. fol. 50.* Animae defunctorum habent post exitum à corpore triplicem mansionem; Aliquae quidem, vt sanctorum Martyrum & Confessorum, sic accenduntur pro articulo mortis in Christi amore quod statim ponuntur in patria, non relicta macula expurganda. Secunda vero animae habent amorem dispersum ad temporalia, licet amor Christi in eis praepöderet, habent venialia expur-

expurganda. Tertiæ animæ, quæ finaliter diligunt temporalia plus quàm Christum, statim perpetuam damnationem recipiunt &c. Et primæ animæ vel primi homines vocantur valde boni secundum Augustinum, secundi verò non valde mali, tertij valde mali. Vnde dicit beatus Augustinus: Cùm sacrificia siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarū pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro nō valde bonis propitiationes sunt; sed pro valde malis etiam si nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen qualescunque sunt viuorum consolationes. Hæc ille. Ex iam dictis habetur quibus defunctis prosunt suffragia ad celeriore liberationem à pœnis: quia aliqui sunt nec valde boni, nec valde mali. Medij qui nec sunt æternaliter damnati, nec actualiter in patria beatificati, sed militantis Ecclesiæ suffragio expurgandi. Nam aliqui saluandi decedunt sic in peccatis, quod non satisfecerant pro cōmissis. *Legat qui vult totum istum locum, & inueniet in ista questione Hussium totum Catholicum.*

4. *Tom. 2. fol. 50. b.* Valde malis non prosunt suffragia ad purgandum, alioquin Christus malè diceret Matth. 12. quod peccatum in Spiritum sanctum nō remittatur nec in hoc seculo, nec in futuro: quia non erit purgatio peccati in plena beatitudine, cùm pœna, quæ est peccati medicina, sit beatitudini opposita, patet quod oportet esse statum medium, & locū meriti, quem Purgatorium nominamus. *Et paulò post.* Ex quo patet quid suffragetur sancti in Purgatorio homini proportionaliter prout meruit in hac via &c.

5. *Ibid. fol. 51.* Licet alternare orando nunc specialiter pro persona, cui orans afficitur, vt sic affectio acuat, & pro vniuersali Ecclesia, quæ debet plus amari, deuotius orerur. Talis enim oratio generalis habet plus ratione meriti, & secundum maiorem charitatem ordinatè profusa, plus iuuat personam in Purgatorio, si sibi est, cui de-

precans specialiter obligatur. Deus enim partitur meritum orantis pro passis in Purgatorio proportionaliter, ut ipsi decedentes in maiori gratia amplius meruerunt.

6. *Tom. fol. 90. b.* Duos ignes legimus futuros; vnum æternum &c. alterum qui præcedet, quo exuretur facies mundi, qui mundabit eos, qui superædificauerunt lignum, fœnum & stipulam &c. & hic est ignis emendatorius, quo purgabuntur quidam saluandi.

7. *Ibid. fol. 91. b.* Qui lapides preciosos super fundamentum ædificant, securi sunt ab igne tam perpetuo, quam purgatorio &c. *Et paulò post.* Alius superædificat in Christo opera bona, sed in ligno, vel in fœno, vel in stipula &c. primi in peccatis venialibus magnis tantum, secundi in minoribus, tertij in minimis: ut primi ardeant in igne Purgatorij diutissimè, secundi verò minùs, tertij minimè.

8. *Tom. 1. fol. 184. b. ponit pro absurdo* nullum hominem venire ad Purgatorium, & concludit tanquam absurdus, non opus esse Vigilijs, Missis Defunctorum, Anniuersarijs &c. & omnibus alijs suffragijs.

9. *Tom. 1. fol. 198.* Ecclesia dormiens est numerus prædestinatorum in Purgatorio patiens, & dicitur Dormiens, quia ibi existens beatitudinem iam non meretur, eò quòd Dei præueniente & adiuuante gratia in præsentem meruit, ut post satisfactionem Purgatorij in patria præmiietur.

10. *Tom. 2. fol. 206. b.* Ter in Missa dicitur Agnus Dei, propter tres partes corporis mystici Christi: quidam enim sunt in miseria præsentis vitæ in hoc mundo; alij in Purgatorio, alij in cælo. Bis ergo dicitur Miserere, propter illos qui sunt in mundo & in Purgatorio: sed, Dona nobis pacem, semel dicitur propter illos qui sunt in cælo.

PARAL-

PARALLELVM XLVI.

LUTHERVS.

Matrimonium non est Sacramentum.

CONTRA HVSSIVS.

Vide testimonium primum & secundum Paralleli 18. vbi expresse semper nominat Matrimonium vnum de sacramētis Ecclesiæ. sicut etiam fol. 101. b. & 100. b. Tom. 2. vbi tripliciter Matrimonium Sacramentum dicit, morale, allegoricum, & anagogicum.

PARALLELVM XLVII.

LUTHERVS.

Cælibatus Sacerdotum est contra Scripturam, nec votum de eo factum valere debet.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 55. b.* Castitatem maximè tenentur seruare Clerici vltra cõmunem populum, tum ratione Diuini præcepti, tum ratione voti proprii, tum ratione sanctissimi Ministerij, tum ratione vtilis exempli.

2. *Ibid. fol. 66.* Specialiter cautus esto (Martine sacerdos) in confessionum auditione, ne laqueo luxuriæ capiaris, quia te spero esse virginem castum Deo consecratum.

3. *Tom. 2. fol. 25.* Castitas sacerdotalis est potestas presbyteri ordinate deprimendi se, & inferiores, intra gradum delectationis eis licitum. *Ibid. fol. 26. b. & 33.* dicit Sacerdotibus scriptum esse, Sint lumbi vestri præcincti. tunc autem secundum B. Gregoriũ lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.

4. *Ibidem conqueritur* de plebanis cõcubinarijs & sacerdotibus, qui contuntur mulierculis, & vult vt Episcopus

carceretales Clericos mundos faciat & purget, *sicut in eodem Tom. fol. 34.*

5. *Tom. 2. fol. 53.* O vtinam pensaremus istud secundum mandatum Domini, tunc enim nō accederemus habentes maculam criminis ad offerendum hostias Corporis Domini, dimitteremus, & fugeremus mulieres, & prostibula plus quàm veteris testamenti Aaronici incendere-
mus, vt sancti essemus &c.

6. *Tom. 1. fol. 57.* Cū Plebanus factus fueris, caue ne iuuenem coquam habeas, ne plus casam ædifices quàm animam.

7. *Ibid. fol. 59. b.* In domum tuam causa cuiuslibet rei mulieres ne intromittas, neque crebriora habeas cum illis colloquia, vt viterur offendiculum. *Et paulò antè.* Iuenculas mulieres omnimodè fuge, nec credas religioni ipsarum.

8. *Tom. 2. fol. 30.* *Reprehendit Hussius* Sacerdotes, qui carnaliter filios generant. & *fol. 44. ait ad Sacerdotes,* Accipite Spiritum sanctum per continentiam, quia sic extinguetis spiritum luxuriæ.

9. *Ibidem fol. 44. b.* Pro proprietate salis in Sacerdote ponit carnem à lubricitate luxuriæ constringere, iuxta id Matth. 19. Sunt Eunuchi qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum.

10. *Ibid. fol. 100. b.* Ordo est impedimentum Matrimonij: quia Clericus in maioribus ordinibus non debet matrimonium contrahere, quia votum fecit.

PARALLELVM XLVIII.

LVTHERVS.

Virginitas melior vel sanctior non est Matrimonio.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 103.* Virgo magis cogitat de ijs, quæ Domini sunt,

ni sunt, quàm coniugata, scilicet vel regnum cæleste, gaudium: merces magna virginitatis.

2. *Ibid. b.* Bonum est homini esse sine vxore, honestū propter puritatem, delectabile propter libertatem; vtile propter mercedem, quia ei debetur Aureola, & fructus centesimus, de quo Luc. 8. sic Augustinus ait: Supergreditur Virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Maior est tamen victoria Virginum quàm Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, Virgines in carne triumphant.

3. *Ibid.* Magis expedit, Continentiæ seruare propositum, quàm nubere, & hoc ratione maioris sanctitatis. Et est argumētum tale, Studens sanctitati & amoris Dei præferenda est cogitanti quæ sunt mundi, Mulier innupta est huiusmodi, Ergo &c.

4. *Ibid. fol. 104.* Hic ostendit S. Paulus, licet vtrumque sit bonum, tamen virginitatem esse meliorem matrimonio. Item status coniugalis honestus est, sed minùs quàm continētia. Augustinus in glos. Non Matrimonium turpe esse monstrauit, sed quod honestius erat, generalis honesti nomine commendauit. *Iterum paulò post inquit. Quo-* modo igitur non est eligendus status continētie, in quo est maius cōmodum, (dicit enim, ad vtilitatem vestram.) minus periculum (quia dicit, non vt laqueum iniiciam) maior honestas, (quia dicit, quod honestum est) liberior facultas seruiendi Deo, (quia dicit, quòd facultatem præbeat) minus impedimentum repræmiandi, (quia dicit, sine impedimento.

5. *Ibid.* Qui non iungit, meliùs facit, Gloss. Meliùs facit, qui apud Deum meritum sibi collocat, & à seculi solitudine liberat eum &c. Bonum est pudicitia cōiugalis, sed melius continētia virginalis vel vidualis. Hæc glossa.

6. *Ibid. b.* Ex quo colligitur, quòd est consilium Spiritus sancti, & per consequens totius increatæ Trinitatis, statum continētia obseruare.

7. *Ibid.*

7. *Ibid. fol. 102. b.* In coniunctione Matrimonij, de se non est peccatum, quamuis in actu Matrimonij non citò deerit peccatum. *Postea fol. 103.* Virginitas est sanctitas animæ & corporis.

PARALLELVM XLIX.

LUTHERVS.

Monachi & Sanctimonialia nubere possunt quando volunt, & Votum non impedit nuptias, & vouere castitatem impium est.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 103. b.* Nota secūdum Hieronymum, quòd virginitatem vouentibus non solū nubere, sed etiam velle nubere, peccatum est.

2. *Ibid. fol. 100. b.* Votum Deo factum ad continentiam seruandam, impedit ne persona contrahere matrimonium possit, & retractat iam iuncta cōnubia. *Et rursus.* Plenè legitimæ sunt nuptiæ, quas non impedit votum continentiae, vel ordo, vel cognatio &c.

3. *Ibid. fol.* Clericus in maioribus ordinibus non debet contrahere, quia votum fecit: & si contrahat, non valet. *vbi Versiculos apponit.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,

Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,

Si sis affinis, si fortè coire nequibus.

Hæc socianda vetant, connubia iuncta retractant.

4. *Ibid. fol. 102. b.* Virginitas est res voti, non præcepti, imperari non potest.

5. *Tom. 2. fol. 33. b.* Omnes fornicatores Clerici sunt sacrilegi, voti, & iuramenti præstiti transgressores, & sic filij Belial &c. imò quilibet Sodomita &c. & omnis corruptor sacrilegus, id est personæ per votū Deo dedicatæ ad continentiam &c. peiora eligit de carnis operibus, & potest hæreticus appellari.

6. *Tom. 1. fol. 55.* Ratione voti proprii ultra cōmunem
populum tenentur Clerici maximè seruire castitatem.

PARALLELVM L.

LVTHERVS.

Spiritualis cognatio nihil impedit in Matrimonio.

CONTRA HVSSIVS.

Tom. 1. fol. 33. b. Omnis corruptor sacrilegus, id est, spiri-
tualis filia violator enormis, eligit peiora de carnis ope-
ribus, & potest hæreticus appellari.

PARALLELVM LI.

LVTHERVS.

Extrema Vnctio non est Sacramentum, nec in Eccle-
sia vsurpari debet.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 147. b.* Infirmus debet à presbytero vngi
oleo consecrato, & quando vngitur, inuocetur nomen
Domini.

2. *Tom. 2. fol. 148. b.* Vngentes eum, (scilicet infirmum)
ex quo patet quòd & oleum & vnctio est efficacia huius
Sacramenti. Oleo scilicet consecrato in nomine Domi-
ni. Glossa, quando vngitur, nomen Domini inuocatur.
Et alia glossa; formam consecrationis ostendit. Sed qua-
re non additur hîc, oleo balsami, sicut in Baptismo, &
Confirmatione? Solutio. Baptismus est intrâtium, Con-
firmatio pugnantium, à quibus exigitur bona vita pro se,
& fama pro alijs. Ideo vnguntur chrismate, chrismate
consecrato ex balsamo propter odorem bonæ famæ, &
oleo propter nitorem conscientia: His autem qui con-
sortio hominum subtrahuntur, sufficit bona conscientia.
Ergo patet bona solutio.

g

3. *Ibid.*

3. *Ibid. fol. 149.* Videtur quòd non referat à quocunque hoc Sacramentum (extremæ Vnctionis) detur. Solutio. Quantum ad vnctionem non refert, sicut etiam in alijs Sacramentis: sed huic annexa est oratio, quæ maiorem habet efficaciam in quibusdam. Fuit autem hoc Sacramentum institutum ad alleuiationem infirmi & remissionem peccati. *Paulò post.* Si in peccatis est infirmus, indignè suscipit hoc Sacramentum, quod semper impetrat remissionem peccati quantum est de se, quia est Sacramentum nouæ legis, ideo efficit quod figurat &c. hinc patet quòd illa alleuiatio non est res sacramenti, sicut remissio peccati. Et si obijcitur, quòd est Sacramentum nouæ legis, ergo semper efficit quod figurat, ergo semper alleuiat. Solutio. Sacramentum nouæ legis non omne quod figurat, efficit, sed aliquod.

4. *Ibidem.* Sed quare hoc Sacramentum non datur nisi à sacerdotibus. Solutio. Quia est supplementum poenitentiae, quæ à solis sacerdotibus imponitur. Eadem ratio est quare detur infirmis &c. vt queratur auxilium gratiæ, quæ datur in Sacramento.

5. *In proximo loco* extrema Vnctio decies & quater nominatur Sacramentum, & sub finem dicit *Hussius*, Institutum esse ab Apostolis, & ideo recipi oleum, quo facienda est.

PARALLELVM LII.

L V T H E R V S.

Consecratio altarium & Ecclesiarum est res nugatoria.

CONTRA HUSSIVS.

Tom. 2. fol. 31. Innocentius Papa respondet in vno volumine, & ponitur post eum 1. quæst. 3. cap. fin. Si quis, inquit, præbendas, vel Prioratum, vel Decanatum, vel promotionem aliquam Ecclesiasticam, seu quodlibet Sacramentum, & consecrationes Altarium vel Ecclesiarum

LUTHERI ET HVSSII. 51
rum &c. per pecuniam acquisiuit, nota infamiae percellatur.

PARALLELVM LIII.

LUTHERVS.

Diua Virgo sanctior non est, quam quis priuatus Christianus; sed fuit æquè peccatrix ac nos.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 51. b.* Diua Virgo est reparatrix generis humani, Regina cæli, quæ ex titulo gratiæ naturæ superadito angelicam naturam superat, quæ inter omnes beatos citra suum filiū, est beator singulari priuilegio, gloriosior gratia, & dotibus gloriæ fœcundior, de cuius plenitudine (ait Bernardus) accipiunt vniuersi ægri curationem, tristes consolationem, peccatores veniam, iusti gratiam, Angeli lætitiā, filius Dei humanam carnis substantiam, tota Trinitas gloriam.

2. *Tom. 1. fol. 146.* Diua Virgo post Christum est singularis persona super omnes choros Angelorum, & super qualibet singularis persona post Christū ratione sui meriti, quo meruit Saluatorem gignere, nutrire, & imitari in moribus & martyrio proximè. *Et paulò post.* Virgo Maria maior est post Christum in regno cælorum qualibet persona alia creata post Christum.

3. *Ibid.* Sancta Virgo est Regina mundi, Angelorum Domina, & porta cælestis, mater gratiæ, mater misericordiæ.

4. *Ibid.* S. Petrus non audet nec vult se extollere super Virginem gloriosam.

5. *Ibid. fol. 147. b. Ex S. Bernardo.* Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis & excellentia prærogatiuæ Mariæ, quòd filium vnum eūdemque cum Patre meruit habere communem. *Et paulò post.* Maria inuenit humano generi gratiam, quam Eua perdidit &c.

6. *Ibid. iterum ex S. Bernardo.* Nulla materia plus deterret paruitatem ingenij mei, nulla est quam plus aggredi verear, quàm ubi loquendum est de gloria S. Virginis.

7. *Ibid. fol. 148.* Deus verbum eius in corde Mariæ conferēs, ipsam super omnes Apostolos impleuit efficacius, propter quod Beatam eam dicent omnes generationes. Vnde & facta est post suum filium, primum medium humano generi ad saluandum. Ipsa siquidem reparatrix humani generis & porta cæli, quia genitrix Dei facta est, & Angelorum Domina, sine cuius suffragio impossibile est saluari aliquem peccatorem.

8. *Ibid.* Benedicta Maria, quæ omnibus saluandis profuit; Benedicta Maria Virgo, quæ regnat super omnes choros Angelorum & (vt sequitur) super Cherubin & Seraphin.

9. *Ibid. fol. 148. b.* Virgo Maria contriuit caput serpentis, & secura de immarcescibili gloria, Regina mûdi gaudet super Angelos Benedicta in secula.

10. *Tom. 1. fol. 170.* Maria post Christum hominem est sanctissima, & super omnes alios Sanctos excellētissima.

11. *Tom. 2. fol. 340. b.* Virgo Maria ex eo, quòd ipsa Christum genuit, constituit se dignā exaltatione super omnes choros Angelorum & hominum infra Christum.

12. *Tom. 2. fol. 103.* Mater Christi subiuit supremum gradum Virginitatis, & vsque ad mortem seruata fuit à corruptione carnis, quam infert actus veneris.

13. *Tom. 1. fol. 146. b.* Matrem suam Christus superexaltauit, & super omnes cælos locauit, & sibi cōcathedrauit. *Vbi ascribendum videtur carmen, quod Husseus Ouidij per errorem esse credidit, tamen totum approbavit, & in librum suum trāscripsit: ex quo tanquam in vno aspectu videri Husseij sententia de S. Virgine potest. Illud igitur sic habet.*

O Virgo fœlix, ô Virgo significata

Per stellas ubi spica nitet, quis det mihi tantum

Viuere, quòd possum laudum fore præco tuarum?

Nam

Nam nisi tu perfecta fores, non eligeret te
 Hic Deus omnipotens, vt carnem sumeret ex te,
 Vniretque sibi, nisi digna fores, etiam quòd
 Filius ille tuus postquam surrexerit, & de
 Morte triumpharit, te vellet honorificare,
 Te superexaltans cælosque locans super omnes,
 Et sibi concathedrans: vbi namque locauerit illam
 Electam partem carnis, quam sumpserit ex te,
 Et carnem, de qua fuerit sua sumpta, locauit.
 Fas etenim non est quòd postquam portio carnis
 Vna tuæ fuerit sic cum Deitate locata,
 Reliquias alibi locet, vt sua diminuantur
 Munera circa te, dum quod bene cœperit hac in
 Parte tui, non in te tota prosequeretur.
 Nam contracta manus tanta est indigna datore,
 Perfectum perfecta decent, absit quòd apud quem
 Plena potestas est, det dona recisa,
 Quam vult sublimare creaturam super omnem.
 Sed nec ad hoc quòd sic prælata resurgat oportet
 Expectare statum motus in fine dierum,
 Quando resurrecturi sunt generaliter omnes:
 Præsertim cùm sit illi carni specialis
 Causa resurgendi, quæ materialiter illam
 De se deducit carnem, quæ primò resurget,
 Vnde resurgendi vis propagabitur ad nos.
 Nec fas est etiam, quòd eatenus in minùs alto
 Siftatur suus ordo gradus, quia quam Deus ante
 Sæcula donandam tanto præuidit honore,
 Non opus est, vt eam velit exaltare gradatim,
 Sed simul assumet, simul & sibi concathedrabit.
 Illic esto tui memorum memor optima Virgo,
 Maxima quem per te dilectio traxerit ad nos,
 Gratia sit nobis, & metæ nescia vita.

14. Tom. 2. fol. 83. b. Triplex est sanctificatio: quædã com-

munis, quæ fit per Sacramenta, & ita Corinthij fuerunt sanctificati, quia per Baptismi susceptionem sancti facti: quædam est specialis, quæ fit per gratiam Spiritus sancti: quædam specialissima, vt quæ fit per gratiam singularem. Prima remouet culpam, non tamen remouet fomitem, qui est pronitas ad peccandum. Secunda remouet culpam & pronitatem ad peccandum mortaliter, & talis fuit sanctificatio Ioannis Baptistæ in vtero, & Ieremiæ. Tertia remouet culpam originalem & pronitatem ad peccandum tam venialiter quàm mortaliter, & talis fuit in B. Virgine.

15. *Tom. 2. fol. 198.* Notandū quòd excepta Virgine gloriosa, quæ (post annunciationem sui benedicti filij) ab omni peccato immunis fuit, omnes alij sub ista sententia S. Ioānis inclusi sunt. Vnde Augustinus de Natura & gratia ait: Excepta B. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, dum de peccatis agitur, volo habere quæstionem. Inde etiam scimus quòd plus ei gratiæ collatum sit ad vincendum ex omni parte peccatum, quòd concipere & parere meruit illum quem constat nullum habuisse peccatum. & subdit, Hac virgine excepta, si omnes sanctæ congregari possent, & quæreretur ab eis, an peccatū haberent, quid responderent, nisi quod Ioannes ait, Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. quod tamen (vt sequitur) intelligendum est de veniali.

PARALLELVM LIIII.

LUTHERVS.

Diuam Mariam inuocare non licet.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 51. b.* Rogo pro meis accusatoribus Virginem castissimam (semper Virginem dicit paulò post) genitri-

nitricem Saluatoris, reparatricem generis humani, Reginam celi &c. *vt est in primo testimonio prioris Paralleli, quod lege totum &c.*

2. Maria Virgo est aduocata & mediatrix, & quodammodo causa incarnationis, passionis, & resurrectionis Christi, & per consequens causa saluationis totius omnium saluandorum. Vnde canit Ecclesia: Paradisi porta per Euam cunctis clausa est, & per Mariam virginem iterum patefacta est. Per hanc igitur Virginem castissimam & mediatricem, sed per mediatorem Christum filium eius principaliter credentes & sperantes remissionem peccatorum expectemus & resurrectionem nostram cum gaudio, & post hanc vitam, vitam sempiternam &c. ad quam vos dignetur deducere omnipotens Pater, Filius, & Spiritus sanctus in secula seculorum. Amen.

3. *Tom. 2. fol. 199.* Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed si quis peccauerit, habemus (scilicet nos fideles) aduocatum apud Patrem Iesum Christum iustum (scilicet in causis animarum, non possessionum.) Nec solum aduocatum, imò etiam Aduocatam. Vnde & canimus, Eia ergo Aduocata nostra &c.

4. *Tom. 1. fol. 146. b.* *Contra Sacerdotes qui propter sacrificium Missæ, quod offerunt, volebant, etiamsi scelesti essent, videri digniores S. Virgine, sic exclamat Hussius:* Et miror quare Sacerdotes, cum esse velint Virgine matre digniores, inuocant eius auxilium dicentes, Concede nos famulos tuos &c. Gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione à præsentis liberari tristitia. Similiter dicentes, Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Tu in hora mortis suscipe. Haha nequam & superbe Sacerdos, audes intercessionem, protectionem & susceptionem à matre Redemptoris dignissima petere, & in terris quemlibet Sacerdotem pessimum & teipsum super Regina mundi, Angelorum Domina, & porta cælesti, ex corde auaro & luendo exaltare?

5. *Tom.*

PARALLELA DOCTRINAE

5. *Tom. 1. fol. 147. b.* Maria inuenit nobis gratiam, quam Eua perdiderat &c. Igitur supplex & humilis curre ad Mariam Virginem, quia nisi filius eius per eam tibi restituerit gratiam, perdes & vitam aeternam.

6. *Ibid.* Utinam possemus mente deuota super omnes caelos ascendere, ut Virginis sacratissime possemus Intercessionibus peccatorum veniam obtinere.

7. *Vide testimonium 7. 8. & 9. precedentis Paralleli, & lege accurate.*

PARALLELVM LV.

LVTHERVS.

Canticum Salue Regina, est blasphemia in Deum.

CONTRA HVSSIVS.

Laudauit & usus est hinc inde. Vide omnia testimonia precedentium duorum Parallelorum, & praesertim tertium Paralleli 53.

PARALLELVM LVI.

LVTHERVS.

Papistae corrumpunt locum, Ipsa conteret caput tuum.

CONTRA HVSSIVS.

Ipsa isto loco utitur Tom. 1. fol. 148. b. Maria contriuit caput serpentis, & secuta de immarcescibili gloria. *Vide supra Parallelo 53. testimonio nono.*

PARALLELVM LVII.

LVTHERVS.

Cantio, Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Item Cantio,

tio,

tio, Concede nos famulos tuos &c. habet in se maximam blasphemiam.

CONTRA HUSSIVS.

Expresse ponit & laudat in testimonio quarto Paralleli 54. Nota Epitheta Hussij, quibus ornat S. Virginem in locis prescriptis, Virgo castissima, & quidem supremo gradu semper Virgo gloriosa, Reparatrix generis humani Regina cæli, superans angelicam naturam gratia, Beatior omnibus beatis, excepto filio, Curatrix ægrorū, Consolatrix tristium, de cuius plenitudine accipiunt peccatores veniam, Iusti gratiam, Angeli lætitiā, tota Trinitas gloriam, singularis supra omnes choros Angelorum, super Cherubin & Seraphin. Proxima Christo in moribus & in martyrio, & concathedrata Christo, Regina mundi, Domina Angelorum, Porta cælestis, Mater gratiæ, mater misericordiæ. Inuentrix gratiæ pro humano genere. Primum medium post filium Christum humano generi ad saluandum, Excellentissima super omnes Sanctos, Aduocata nostra, Mediatrix, Causa quodāmodo saluationis totius omnium saluādorū; Quæ remissionem & veniam peccatorum, & vitam æternam nobis impetrat, Quæ protegit ab hoste, suscipit in morte, Vixit sine omni peccato veniali & mortali. Item per quam Christus gratiam nobis restituit, sine cuius suffragio impossibile est saluari aliquem peccatorem; Quæ omnibus saluandis profuit, Quæ contriuit caput serpentis, Benedicta in secula. quæ omnia in precedentibus Parallelis, ubi scripta sunt, ostenduntur.

PARALLELVM LVIII.

LUTHERVS.

Sancti post mortem dormiunt, nesciunt, Quid hic fiat, nec curant nos. *In Comment. in cap. 9. Eccl.*

h

CON.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 51.* Triumphans & militans Ecclesia habet cōmunionem iuaminis & amoris. *Et postea.* Ex quibus sequitur, quòd Sancti in patria iuuāt electos in militante Ecclesia, gaudentq; de corū poenitentia & vita meritoria.

2. *Ibid. b.* Nunquam negavi Sanctorum suffragia & respectu uiuentium, & respectu in gratia mortuorum &c. Si homo sanctus adhuc mortalis, peccatis irretitus uenialibus, potest apud Christum Deum alteri, imò toti Ecclesiae militanti pia oratione obtinere suffragium, quis stultus auderet dicere, quòd existens cum Christo in gloria, illud non posset? Etenim foret minoris potentiae & acceptationis apud regem glorię in gloria, quàm fuit in miseria dum uiauit.

PARALLELVM LIX.

LVTHERVS.

Sancti inuocandi non sunt.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. fol. 65. ex carcere.* Petrus & Paulus regnant iam cum Rege supremo, iam intersunt choris Angelorum; Ipsi ergo gloriosi martyres, sic iuncti Regi glorię, dignentur pro nobis intercedere, ut ipsorum Auxilio fortes facti, simus eorum glorię confortes, humiliter patiendo.

2. *Ibid. fol. 67. b. In alia, quam in carcere scripsit, Epistola.* S. Iohannes Baptista dignetur orare pro nobis Dominum Iesum Christum. Amen.

3. *Vide de S. Maria inuocatione in Parall. 54. testimonia omnia.*

4. *Tom. 2. fol. 343.* Possunt homines corā imagine cuiusque Sancti genu flectere, orare, & non in nomine imaginis, sed in nomine illius, cuius imago est.

5. *Tom. 2. fol. 263. b. Vocat SS. Martyres ex Maximo Episcopo principes fidei, Intercessores mundi, pracones regni, &c.*

PARAL.

PARALLELVM LX.

LUTHERVS.

Merita Sanctorum, & omnino aliena merita nos non iuuant.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 69. in epistola ex carcere ante mortem.* Ego adhuc spem habeo, quod Deus omnipotens potest me eripere Sanctorum meritis de manibus inimicorum.

2. *Tom. 2. fol. 70. b.* Vnus est mediator Dei & hominum, reconcilians homines Deo, vnus scilicet per se & effectiue: Tamen & alij Sancti possunt esse mediatores inter Deum & homines non per se & effectiue, sed dispositiue per vitam bonam & doctrinam &c. quale medium sunt Moyse & Noë. Hinc Christus insinuat Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Per quod manifestè ostenditur, aliquos deficere, & sibi ex proprijs non sufficere: qui tamen benefaciendo alijs, eorum possunt saluari suffragijs.

3. *Tom. 2. fol. 300.* Participat quilibet iustus cum quolibet alio iusto in isto, quod quicquid boni fecerit alius iustus, omne illud prodest cuilibet. Verbi gratia, si vnam orationem Dominicam dicit dignè aliquis iustus, tunc in illa oratione omnes sancti participant siue communicant cum omnibus prouenit ad vsum. Nam sanctis in patria prouenit ad maius gaudium; purgandis siue dormientibus in Purgatorio ad pœnæ mitigationem, & ad citiorem liberationem; Viatoribus sanctis ad peccati mitigationem, euasionem, purgationem, in omni bono confortationem, etiam ad meritum beatitudinis consequendæ. Et ista participatio vocatur Sanctorum communio, siue communicatio, de qua in Symbolo dicitur, Credo sanctorum communionem.

PARALLELA DOCTRINAE
PARALLELVMLXI.

LVTHERVS.

Reliquiæ extirpandæ sunt.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 190.* Notandum quòd tria sunt genera reliquiarum, de quibus B. Augustinus sic ait: Non sunt contemnenda, sed plurimum reuerēda Sanctorum corpora, quibus Spiritus sanctus (dum adhuc viuerēt) quasi quibusdam organis ad omne bonū vsus est. Et B. Hier. epist. 57. ait: Reliquiæ Sanctorum sunt ab hominibus venerandæ, & non à fidelibus contemnendæ &c.
2. *Tom. 2. fol. 263. b.* Ex isto patet quòd corpora istorum Martyrum sunt honoranda, cū sint ex morte, quæ est pretiosa in cōspectu Domini, sanctificata. Vnde hoc pensans Maximus Episcopus sermone de Martyribus dicit: Quæ cū ita sint, honoremus sanctos Martyres principes fidei, Intercessores mundi, præcones regni, coheredes Dei. Quid si ita dicas mihi: Quid honoras in carne resoluta iam & consumpta, de quo Deo iam nulla cura est? Et illud vbi est charissimi, quod ipsa veritas loquitur per prophetam, Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius? Et iterum, Mihi autem valde honorificati sunt amici tui Deus. Honorare seruos Dei debemus, quantò magis amicos Dei, de quibus alio loco dicitur, Dominus custodit omnia ossa eorum, ynum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christo cicatrices; honoro viuentes memoria perennitatis virtutes; honoro pro confessione Domini sanctos cineres, honoro in cineribus semina eternitatis; honoro corpus, quod mihi Deus meus ostendit diligere, quod me propter Domini mortem docuit non timere mortem. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod & reuerentur & demones, quod affligerunt in supplicio, sed glorificant

rificant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christum honorat in gladio, quodque cum Christo regnat in cælo. *Hec Maximus Episcopus, & ex Maximo Hussius.*

3. *Tom. 1. fol. 155. & 156. Vbi Hussius de sanguine Christi disputat, tamen concedit non quidem sanguinem Christi esse in sudario, peplo, cruce, lancea, corona &c. sed esse in illis rubedinem sanguinis Christi relictam in memoriam: Nec obstare quòd illa rubedo sine sanguine Christi foret sine subiecto, quia etiam accidentia Venerabilis Sacramenti sunt sine subiecto.*

PARALLELVM LXII.

LUTHERVS.

Nullam Imaginem adorare licet.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 2. fol. 341. b. Vtrū liceat Christianis aliquas imagines adorare. Et videtur quòd non, quia Exodi 20. dicitur, Non facies tibi sculptile, imaginem & omnem similitudinem. Ad oppositum & ritus Ecclesiæ & Damascenus est. Addit ex Holcoth. Quia tamen per imaginē Christi excitamur ad orandum Christum, & coram imagine adorationem nostram facimus, dicitur largè sumendo, quòd imaginem adoremus.*

2. *Ibid. fol. 342. Ecclesia cùm ad imaginem Christi dicit, Ave rex noster; non adorat ipsam imaginem cum his verbis, quia non dirigit verba illa ad imaginem, & specialiter nec intentionem, sed ad suum signatum. Similiter cùm dicit, Tuam Crucem adoramus Domine; dirigit verba ad Christum signans, quia ipsum Christum crucifixum adorat per Crucem.*

3. *Ibid. fol. 343. Ex quo patet, quòd quāvis coram imagine Christi, vel alia cuiuscunque Sancti, licitè possunt homines genua flectere, orare, offerre, candelas ponere,*

h 3

vt sic

vt sic faciunt: non tamen in nomine imaginis, sed in nomine illius, cuius imago est, illa debent facere. Sicut & imago non propter se, sed propter imaginatum est coram hominibus sculpta, posita vel picta. Secundò patet, quòd non sequitur, Ille homo coram imagine orat, Igitur imaginem adorat. Similiter non sequitur, Ille osculatur imaginem, Igitur osculo adorat imaginem; Vnde licet tale osculum sit materia latriæ, non tamen ipsa latria, vel Dulia &c. Ex quo tertio patet, quòd falsum est, Quòd adorans Salvatorem osculando imaginem eius, eadem adoratione, quæ est osculum, adorat Salvatorem & imaginem eius, Cùm nullum tale osculum sit adoratio, licet materia adorationis. Quartò patet, quòd licet fidelibus multa signa adorationis exteriora coram imagine Christi, vel alicuius Sancti, facere, quibus non licet adorare eos, vel quæ non licet eis exhibere. Patet istud de peccatorum confessione, de oratione obtinendi veniam peccatorum vel beatitudinem, de gratiarum actione & aliorum diuersorum Munerum oblatione. Vnde quia imago Christi, vel alia alicuius Sancti, non offert se nobis pro se, sed pro illo, cuius est imago, ideo omnis reuerentia, quæ fit vel exhibetur coram imagine, illa exhibetur imaginato. Et quò ad istud sonat superius data authoritas Basilij, quæ dicit, Quòd honor imaginis ad prototypum, id est, ad exemplar peruenit: quia honor factus coram Christi imagine, transit ad Christum, qui est exemplar imaginis.

4. *Sic imagines Christi ipse pingi iussit in templo suo Tom. 1. fol. 71.*

PARALLELVM LXIII.

L V T H E R V S.

Petrus non fuit Caput Ecclesiæ, nec Vicarius Christi.

C O N-

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 211. b.* Dicitur B. Dionysij est verū, quod Petrus fuit Capitaneus inter Apostolos, & fuit fundamentum Ecclesiarum, vt in proximo dictum est de Apostolis. Et dictum Augustini etiam est verum, quod Petrus fuit primus inter Apostolos, secundum aliquam prerogatiuam. Et dictum Marcelli verum est, quod Petrus fuit Caput totius Ecclesie, quam regebat doctrina & exemplo. Non autem fuit persona dignior matre Christi; nec erat æqualis Christo, nec constitutus Rector Angelorum, qui tunc erāt triumphans Ecclesia.

2. *Ibid.* Quare verò Christus Petrum post se Capitaneum & Pastorem constituit, fuit præ eminentia virtutum ad regendam Ecclesiam &c. Petrus enim habuit quandam præ eminentiam in omni genere virtutum, in fide, humilitate, & charitate &c. Ex illa fide accepit Petrus onus præfecturæ Ecclesie &c. Secundò ex humilitate accepit Petrus Apostolatus maioritatē, vt quod correptus acutè à Paulo (Gal. 2.) humiliter tolerauit. *Lege totum istud caput.*

3. *Ibid. fol. 222.* Petrus primus Christi Vicarius ab ipso electus & Ecclesie spiritualiter deputatus.

PARALLELVM LXIIII.

LUTHERVS.

Petrus non fuit Romæ.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 207.* Viguit sancta Christi Ecclesia primò in Ierusalem tempore Viationis Apostolorū cum Christo habitantium, & post in Antiochia tempore Cathedrationis S. Petri, & post in Roma tempore prædicationis & passionis Petri & Pauli.

2. *Tom. 2. fol. 208.* Petrus & Paulus vno die, eodem tempore

pore sanctam Romanam Ecclesiam consecrauerunt, & alijs vrbibus omnibus in vniuerso mundo tam sua praesentia, quam venerando triumpho praetulerunt.

3. *Tom. 2. fol. 176.* Petrus Epistolam suam Babyloni scripsit. *Glof. Romam (Petrus) Babylonem vocat propter confusionem multiplicis idololatriæ. Et rursus paulò post. b. Salutatur Ecclesia, quæ est in Babylone, id est, in Roma, quam figuraliter Babylonem nominat.*

4. *Tom. 1. fol. 207. b.* Petrus Christi Apostolus Romanus Episcopus, vocat Ecclesiam (1. Pet. vlt.) quæ in Babylone collecta est. Ecce ibi Ecclesia sumitur pro Christifidelibus qui erant Romæ cum B. Petro.

PARALLELVM LXV.

LVTHERVS.

Petrus non fuit Papa Romanus.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 210.* Ecce quomodo isti duo Romani Apostoli & Episcopi Petrus & Paulus ex Scriptura ipsum Dominum Christum probant esse lapidem.

2. *Ibidem fol. 207.* Petrus Christi Apostolus Romanus Episcopus &c. *vt supra testimonio 4. Parall. preced.*

PARALLELVM LXVI.

LVTHERVS.

Papa non est Vicarius Christi.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 170.* Credendum est quod Papa sit immediatus Vicarius Iesu Christi & supremus Sacerdos hic in terris ratione officij, si, & in quantum immediatus imitatur Dominum Iesum Christum, habens auctoritatem absol-

absoluendi, & excommunicandi, indulgentias dandi, & alia, quæ ad claves pertinent supremè.

2. Sic folio 212. & 222. vocat Papam verum Christi Vicarium, & præcipuum Pontificem Ecclesiæ quam regit. Sed addit Hussius de hæresi sua limitationem, Si Petrum in vita imitetur.

PARALLELVM LXVII.

LUTHERVS.

Quadragesimæ ieiunium tolli debet.

CONTRA HUSSIVS.

Tom. 1. fol. 38. Tu ergo appropinquante Quadragesima, quæ est speciale tempus pœnitentiæ, vt verè pœnitens dole cordialiter. Vide testimonium secundum Parall. 26.

PARALLELVM LXVIII.

LUTHERVS.

Epistola S. Iacobi est straminea, à D. Iacobo nõ scripta.

CONTRA HUSSIVS.

Tom. 2. fol. 206. Per os B. Iacobi tanquam per fistulam in ista Epistola Spiritum sanctum loqui testatur, Et ibid. fol. 105. nominat S. Iacobi Apostoli Domini nostri Iesu Christi canonicam Epistolam & sapientiam Dei. fol. 112. & sensum spiritus Patris nostri, & vnum spiritum, in quatuor rotis (Ezech. 1.) quæ omnia in Præfatione sæpe repetit, nec vquam dubitare cogit at de Epistolæ præstantia & authore.

PARALLELVM LXIX.

LUTHERVS.

S. Iudæ Epistola non est Apostolica.

CONTRA HUSSIVS.

1. Tom. 2. fol. 230. b. Epistola Iudæ præsertim temporibus antiquis reijciebatur, quòd ex Apocryphis testimonium

PARALLELA DOCTRINÆ

niū sumpsit: sed iam autoritate, & vetustate, & usu Meruit, vt inter sanctas Scripturas cōputetur propter hoc, quia licet de Apocryphis testimonium sumpsit, hoc tamen verum est, quod fateri licet.

2. *Ibid. fol. 226. ait* authorem Epistolæ fuisse Iudā Thadæum beatum Apostolum, fratrem Iacobi minoris Episcopi Hierosolymitani.

PARALLELVM LXX.

LVTHERVS.

Quicquid prima Ecclesia non habuit pro canonico, non potest Catholicum fieri à posteriori Ecclesia.

CONTRA HVSSIVS.

Vide primum testimonium precedentis Paralleli 69.

PARALLELVM LXXI.

LVTHERVS.

Indulgentiæ sunt fraudes, & nullius fructus.

CONTRA HVSSIVS.

1. *Tom. 1. fol. 9. b. Hussius in carcere Constantiæ ante mortem vehementer negat vnquam se docuisse, quòd indulgentiæ nihil sint.*

2. *Ibid. fol. 170. Papa, qui est immediatus Vicarius Christi, habet autoritatem Indulgentias dandi, & alia, quæ ad clauces pertinent, supremè faciendi &c.*

3. *Ibid. fol. 175. b. Omnis recipiens indulgentias, de tanto cas recipit, quanto habilior fuerit erga Deum, & vt postea dicit, de quanto se prius disposuerit per gratiam apud Deum.*

PARALLELVM LXXII.

LVTHERVS.

Horæ Canonicae sunt nugatoria.

CON-

1. *Tom.2.fol.334.b.* Septies in die laudem dixi tibi. Nota, dicit septies, primò ad literam in Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorio. Secundò, septies, id est, perfectè.

2. *Sic Tom.1.fol.73.b. scribit quomodo in carcere transigat tempus; vbi hos versus rudes ascribit.*

Nocturnus gradus, Litanix, singulæ Horæ,
Carceri sunt breues, Vigiliæ dicere leues.

3. *Tom.2.fol.299. dicit noctu surgendū & orandum esse,* quia media nocte liberati in Aegypto Israelitæ, agnus paschalis immolatus, Christus incarnatus, Christus blasphematus, & Christus infernum destruxit, Sanctos de limbo eduxit.

PARALLELVM LXXIII.

LUTHERVS.

Nulla sunt consilia Euangelica, & supererogationis opera pugnant cum Christi doctrina.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom.2.fol.243.b.* Vnus dicitur alio perfectior, in quantum non solùm seruat mandata, quæ sunt necessitatis, sed etiam consilia, quæ sunt supererogationis, & sic dicit Christus Matth.19. Si vis perfectus esse, vade, & vnde omnia quæ habes, & da pauperibus, & veniēs sequere me.

2. *Ibid.fol.102.* Bonum est non nuptis & viduis, si sic permanserint, sicuti ego, (inquit S. Paulus) vbi de bono supererogationis, non necessitatis, loquitur.

PARALLELVM LXXIIII.

LUTHERVS.

Excommunicatio Pontificis contemni debet.

CONTRA HUSSIVS.

1. *Tom.1.fol.193.b.* Timenda est pastoris sententia, siue

i 2

fit iu-

fit iusta, siue iniusta, ideo pensare debet subditus, quòd habeat timorem.


2. *Tom. 2. fol. 345. b. & 346. negat iam moriturus Husius se contempsisse Pontificis Excommunicationem, sed publicè in Concionibus appellasse ad iudicem. Quod idem est Tom. 1. fol. 17. b.*


3. *Tom. 1. fol. 18. b. Coram Concilio Constantiensi fatetur, etiam iniustam excommunicationem esse timendam; & octo causas, vel etiam plures esse, quare Excommunicatio timeri debeat.*


F I N I S.


ERRATA qua vitio Exemplaris in Parallelis admissa sunt,
quo sequitur modo corrigantur.


Pagina 1, lin. 26. lege fides etiam sine opere 3, 1. & iterum, sine 11. Beatus es Simon 15. præcipuum Dei & quasi 4, 6. spes, nec 5, 16. formata fidei 6, 28. pro viatione sua 7, 5. rationalis vel 11. iusti facti estis 20. nobis, iustitia. 8, 24. in re 10, 2. seipsum viando 4. sunt meri- 8. tolerantur 22. necessitates vel miseræ: 11, 2. meritum eius. 5. agimus, 12, 1. sequentibus per 13, 15. dependent 14, 25. hominem. Præuum est 26. hominis & 16, 4. scilicet, quòd 9. audiunt 20. deducere 31. (scilicet gratia 33. (id est, firmiter 17, 16. requiritur fidelitas & ad fidelitatem requiritur 18, 1. vt dictum est, 19. manam finis 28. *etsi postea &c. idem Husius. 31. fol. 275. b.* 19, 8. Distinctio peccati 20, 2. Secundo dicitur Gratia 9. triplex, præueniens 21, 32. Ordinationem multis locis. Expressè 23, 13. vbi quanquam 17. 148. b. 25, 13. plana & 14. plana, vt 15. peccatum scienter 26, 5. & hæc 18. dicit & 27, 31. Imò sit 29, 25. opto vt 26. dignè celebrem 30, 16. ptionis omnium purgandorum. 31, 17. Obtulit enim 18. cui dicitur 34, 2. aliqui sunt honores 35, 19. inimici mendaciter 40, 22. cer, quòd 41, 1. Beatitudinis consequenda. 11. Ecclesiam militantem; minor in nixa supposita significat Ecclesiam 42, 25. è corpore 43, 9. de malis 14. sed Medij, qui 22. non remittetur 23. futuro. Ibidem, quia 27. patet quòd 29. ruit hic in via 44, 4. *Tom. 2.* 45, 6. de septem 47, 1. scilicet regnum 49, 27. chrismate consecrato 50, 26. Consecratio sacerdotum, al- 32. cramentum Ecclesiasticum, vt pote Chrisma, vel oleum sanctum, 51, 5. quàm quiuis 9. superaddit, 19. singulari 30. excellens prærogatiua 52, 6. dicunt 53, 15. tanto est 19. quòd sit 27. ordo gradu, 54, 22. omnes sancti & sanctæ 55, 14. nos dignetur 57, 30. dormiunt, & 58, 20. Rege superno, 60, 32. quod reue- 61, 20. ad adorandum 62, 1. & sic 64, 7. Salutat vos Ec-
















Th
1330